BIBLIOTHECA
RERUM GERMANICARUM

EDIDIT

PHILIPPUS JAFFÉ

TOMUS PRIMUS

MONUMENTA CORBEIENSIA

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
MDCCCLXIV

MONUMENTA

CORBEIENSIA

EDIDIT

PHILIPPUS JAFFÉ

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
MDCCCLXIV

MAURITIO HAUPT

PROOEMIUM.

Ex assidua repetitaque earum, quae fontem cognoscendarum rerum gestarum continent, litterarum tractatione quantum nascatur utilitatis, quibusque igitur rationibus omnino impulsus denuo vetera patriae monumenta historica susceperim colligenda, expromere cum nec mihi sit in animo nec lectori intelligenti necessarium, paucis commemorare satis habeo, quam ad normam ut bibliotheca haecce dirigeretur placuerit. Amplissimo enim illi corpori, quod inscribitur „Monumenta Germaniae historica“ cuiusque edendi socium complures annos me fuisse laetor, cum ea sit lex statuta, ut non modo quinquepartitum in Scriptores, Leges, Epistolas, Diplomata, Antiquitates proponeretur, verum etiam temporis ordine observato totam materiem suam quodque eorundem illorum operis membrorum comprehenderet, circiter quadraginta post annis id evenisse videmus, ut ex quinque partibus duarum iam perdiu inceptarum: Scriptorum et Legum, neque una adhuc neque altera perfecta sit, ac reliquarum partium trium ne initium quidem natum. Neque eos, qui gratissimo Boehmeri beneficio debentur,

„Fontes rerum Germanicarum“, quamvis non prorsus Scriptoribus contineantur, eiusmodi esse patet, unde quae maxime in „Monumentis“ requiruntur redundent. Idcirco ea ratione utendum esse decrevi, ut singulis bibliothecae huius voluminibus quodammodo defectibus „Monumentorum“ subveniatur, nec quae iam in illo opere insunt devitentur, praesertim si, omni genere proprii laboris adhibito, putentur paullo meliora fieri posse. Atque haec ut efficiantur, unusquisque bibliothecae tomus sic constituendus videtur, ut earum habeat litterarum varietatem, quae aut ad unum locum sive urbem sive coenobium pertineant, aut hominis praestantis rebus gestis lumen afferant, quibusve magnum aliquod imperii tempus cognoscatur.

Igitur quae Corbeiam celeberrimum Westphaliae monasterium spectant, monumenta in hoc primum operis volumen contuli. Quo quidem in libro conficiendo nihil mihi potuit gratius acceptiusque contingere, quam ut Carolus Wilhelmus de Lancizolle, universis Prussiae tabulariis regiis praefectus, omnes quibus opus erat et Berolinensis et Monasteriensis et Dusseldorpensis tabularii codices manu scriptos qua excellit liberalitate mihi subministrari iuberet.

Berolini 14 Kal. Martias 1864.

INDEX.

MONUMENTA CORBEIENSIA

TRANSLATIO SANCTI VITI.

Allato anno 836 sancti Viti corpore, cum novellum Saxoniae coenobium Corbeiense et fama cresceret et opibus, suum esse duxit sodalis eiusdem collegii[1] *referre hoc libello, quo pacto in mediis Saxonibus Christianam fidem nuper amplexis Corbeia esset instituta*[2] *et illa sancta ossa ex Gallia in sedem novam translata*[3]. *Cuius quidem itineris socius fuit is, qui formavit narrationem*[4], *quaeque miracula in via facta aut vidisset ipse aut ex arbitris comperisset, ea se retulit scriptis mandavisse, ususque praeterea est Passione S. Viti, Paschasii Radberti Vita Adalhardi, Ludovici Pii imperatoris diplomatibus. Neque audiendus est Papebrochius*[5], *qui, nescio qua percepta sermonis diversitate, a duobus scriptoribus hoc opusculum censet factum esse, et maioris quidem aetate posteriorem libelli partem esse de ipsa S. Viti translatione agentem, minoris priorem primordia coenobii complexam. Et ista*

1. Etenim post 836 Iuli. 1 scriptor Corbeiam: „nostrum monasterium" appellat. Cf. n. 4. 2. Vid. infra p. 4: „Qualiter denique Saxones ad fidem atque ad agnitionem veritatis converti potuerint, breviter in sequenti annectere huic opusculo curavi" — p. 6: „dignum duximus, ut de eius monasterii constructione — aliquid breviter dicamus". 3. Vid. p. 6: „ad hoc, qualiter corpus sancti martyris partibus Saxoniae translatum sit vel qualiter virtutes per eum Dominus in ipso itinere ostendere dignatus est, verba vertamus". 4. Vid. ad 836 Iun.: „Hactenus quae narrantur et alia quam plurima, quae oculis perspeximus et probatis testibus affirmantibus requisivimus — in via gesta sunt"; — ad 836 Iuni. 13: „in monasterium — multitudine populi nobiscum comitante pervenimus"; — ad 837 Iuni. 15: „quam inter multitudinem populi ita sanam vidimus"; — ad 837 Iuni. 22: „die in quo octavas martyris celebravimus"; — ad 837 Iuni. 23: „Nam cum ex more ad vigiliarum surreximus officium". 5. Acta SS. Iuni. T. II. 1017, 1018, 1033 n. z.

Papebrochio eo facilius placuisse videntur, cum saeculo XI Gerardus abbas monasterii Silvae-maioris in ea quam scripsit vita Adalhardi abbatis Corbeiensis[1] *quendam libelli nostri locum improbavisset*[2]*, quia, illa divisione facta, non omnis relatio sed antica tantum eius pars in vitio esset. At tota illa Gerardi obiurgatio non iusta videtur esse.*

Legebatur haec historia in duobus codicibus mss.[3]*, integra in codice Gladbacensi, coartata in Bodecensi; quorum uterque quo abierit latet.*

Editionem principem post Widukindi annales anno 1621 curavit usus codice aut Bodecensi aut huius simili Meibomius; cuius forma repetita est anno 1636 a Chesnio in Historiae Francorum SS. II. 344—350, et anno 1688 a Meibomio iuniore in Rer. Germ. T. I. p. 763—768. Deinde Mabilio, adeptus codicis Gladbacensis exemplum ab Adolfo Overham factum, et meliorem et pleniorem textum, omisso tamen prologo, proposuit anno 1677 in Act. SS. ord. Ben. saec. IV. T. I. 523—537; quae quidem recensio potissimum a Pertzio renovata est anno 1829 in Monument. Germaniae hist. SS. II. 576—585. Sed perfectior ceteris editio iam in Act. SS. Iunii T. II. 1029—1037 parata erat anno 1698 a Daniele Papebrochio, cui erant auxilio et Gladbacensis et Bodecensis codicis exempla, alterum ab Aegidio Gelenio acceptum, alterum a Iohanne Gamansio.

In hac igitur novissima adornanda editione, cum deessent codices mss., maxime adhibui

1. *plenissimam editionem Papebrochianam; nec tamen omnino neglexi aut*
2. *Mabilionensem, aut*
3. *Meibomianam.*

Berolini 8 Idus Iulias a. 1863.

1. ed. Acta SS. Ian. T. I. 111—113, Mabillon Acta SS. ord. Ben. saec. IV. T. I. p. 345. 2. in prologo verbis his: „illius qui non authentice sensit de hac historia (S. Adalhardi) in sancti Viti translatione". Nihilominus in capite 44 Gerardus ex translatione nostra quaedam affert. 3. de codicibus cf. Acta SS. Iuni. T. II. p. 1017.

Prologus.

Scripturus aliquid iuxta modum possibilitatis nostrae de virtutibus, quas misericordia Conditoris nostri modernis temporibus dignata est ostendere propter gloriam beati pueri Viti et martyris, primum necessarium duximus, ut ad laudem et gloriam summi Opificis verba vertamus. Nam si laudanda est pictura, multo magis pictor; et si gratanter naves vel quaelibet vehicula, quae nobis victum vel vestimentum afferunt, suscipiuntur, principales tamen gratias ei qui transmisit referimus. Sit ergo laus summae et ineffabili Trinitati, quae notam facere voluit in populis virtutem suam et in omnibus gentibus salutare suum[1]. Glorificet eum omnis creatura sua, omnis sexus omnisque aetas, qui omnem hominem vult salvum facere et ad agnitionem veritatis venire[2]. O conditor atque dulcissime Domine, quis non timebit aut quis non ex totis praecordiis suis diligat te? Ab initio enim et ante secula salutem nostram operatus es, et hoc multifarie multisque modis. Nam postquam nostris meritis in hunc caliginosum carcerem decidimus, nec deserentes te deseruisti, sed stellas, quae nobis in nocte iter agentibus viam ostenderent, misisti. Ante oculos namque habemus, nisi mortali somno obdormierimus, Abel, Seth, Enoch, Noe, Abraham ceterosque patriarchas, prophetas, apostolos, martyres, confessores, virgines, viduas atque laudabiles monachos. Et quia pigri sumus sequi hos, quos fortes atque laudabiles scriptura teste cognovimus, etiam tua nobis laudabilis providentia occurrat. Attende, quicumque es et, quae cauta sunt, legis vel audis. O, inquam, miseri, quid infelices dicturi sumus in illa die districti examinis, quando prae oculis habebimus omnes, qui in hoc seculo placuerunt Domino, alii in coniugio alii in continentia, alii in viduitate alii in virginitate, alii in senectute alii in iuventute et, quod mirabilius est, in primaeva aetate. Nam mirentur, qui volunt, Noe arcam inter undas vagantem, Abraham filium suum offerentem, Moysen mare scindentem, Iosue solem figentem, ce-

1. Cf. Psalm. 66, 3. 2. Timoth. 2, 4.

terosque patriarchas et prophetas miracula facientes, apostolos quoque umbra vel semicinctio[1] infirmos curantes, mortuos suscitantes. Ego tamen mirari non desino, qualiter vel quomodo fortis in passione, strenuus in reddenda ratione, assiduus in oratione, inflexibilis etiam in patris suasione persistere potuit athleta Christi Vitus, beatissimus puer et martyr. Sed haec miranti iam iamque occurrat tua, Domine, pietas. Fecerunt siquidem sancti miracula, sed nullus sine te; certe tu in omnibus, et si tu, omnimodis et in isto. Haec tua est, Domine, veneranda potestas, haec tuorum certissima fides, quod manens inter omnia complecteris omnia, idem manens innovas omnia, nusquam dees et ubique totus es. Agamus igitur indefessas gratias, laudemus, adoremus eum, qui fecit nos, per infinita secula. Amen.

Post salvatoris nostri Iesu Christi passionem et resurrectionem, post triumphos apostolorum ac victorias[a] martyrum tandem ipse rex regum et dominus virtutum, superatis pacis inimicis, pacem ecclesiae suae restituit, adeo ut ipsi reges ad tumulos martyrum prostrati adorent et gloriosius in frontibus suis crucem Christi quam diadema regium[b] portare se gaudeant, simulque pro fide atque statu ecclesiae decertare contendant, honore quoque maximo eorum, quos antecessores sui trucidarant, sepulcra ambiant. Quae victoria Christi, cum primum apud Romanos tripudiaret, Longobardorum gentem penetravit atque in Francia gloriosius triumphare coepit, Hispanos adiit, Britannos conclusit, Anglorum gentem subegit; et, licet compulsi, ipsi Saxones, qui Anglorum socii fuerant, devota mente colla submittunt. Laus igitur soli Christo et gloria inenarrabilis, qui nomen suum usque in terminos universae terrae notum fieri voluit. Qualiter denique Saxones ad fidem atque ad agnitionem veritatis converti potuerint, breviter in sequenti annectere huic opusculo curavi.

752—768 Eo igitur tempore, quo gloriosus rex Pippinus Francorum regebat imperium, fuit vir venerabilis Fulradus[c][2] nomine, qui mo-

a. memorias 2. 3. b. regum 2. 3. c. Folradus 2.

1. V. Act. apost. 5, 15 et 19, 12. 2. abbas monasterii S. Dionysii prope Lutetiam Parisiorum 750—784.

nasterium beatissimi martyris Dionysii ad regendum sanctorum coetum monachorum susceperat. Hic cum magno desiderio aestuaret, qualiter beatissimis martyribus honorem debitum impendere potuisset, non est contentus eorum corpora sola amplecti, quibus sedulum exhibebat officium, sed praefatum principem adiit petivitque, ut eum Romam ire permitteret, quatenus inde sanctorum corpora ad praefatum monasterium aliqua, sicut cupidus erat, transferre potuisset. Quod princeps piissimus libenter accipiens, non solum licentiam dedit sed et gratias pro tali desiderio retulit. At vero venerabilis abba strenuos ac devotos sibi adiutores et socios ad hoc opus peragendum quaerebat. Erat interea vir laicus sed devotus, eiusdem abbatis consanguineus, qui, multam habens hereditatem ac familiam, filium non habebat; unde cogitare coepit, quomodo hereditatem suam Domino consecraret[a]; audiens vero iam dicti abbatis desiderium, petivit ab eo, ut secum eum ire permitteret[b]. Qui[c] votis eius congaudens, secum ire praecepit. Cui cum praefatus vir omne desiderium suum aperuisset, divina comitante gratia tale repererunt consilium, ut corpusculum beatissimi pueri ac sacratissimi martyris Viti a loco quo positum erat[1] tolleret, atque in praedio suo diligentissime poneret, ecclesiam quoque eius nomini fabricaret. Quae, donante sibi Domino, omnia complevit. Quo in loco, divina largiente clementia, per beati Viti martyris merita multae hactenus ostenduntur virtutes atque signa. Praefatus vero abba transtulit corpora beatorum martyrum Alexandri et Ipolyti[d][2]. 752—768

Post haec cum viri devotissimi, qui in praefato monasterio[3] degebant, beati Viti reliquias apud praefatum virum esse didicissent et, qualiter pro Christi nomine sanguinem fudisset, in

a. dicaret 3. b. permittat 1. 3. c. qui — praecepit *om.* 1. 3. d. Hippolyti 2.

1. Secundum passionem S. Viti (in Act. SS. Iunii T. II. p. 1026) huius sepulcrum fuit „in loco (al. „in praedio") Mariano", quem locum arbitratur Papebrochius (ibid. p. 1027) esse hodiernum Marinum (Marino), a Roma inter meridiem et orientem. 2. Utriusque sancti ossa in Alsatiae coenobiis collocavit Fulradus, S. Alexandri corpus in coenobio Lebrahensi, S. Hippolyti corpus in cella S. Hippolyti (Sant Bilt prope Schlettstadt). V. Acta SS. Febr. T. III 36—38. 3. S. Dionysii.

752—768 eius passione[1] perlegissent, totis viribus hoc agere decreverunt,
ut cum reliquorum martyrum reliquiis in basilica sancti Dionysii poneretur. Sed ille, qui eas transtulerat, omnem hereditatem suam seque cum ipsis reliquiis Sancto Dionysio tradi promittens, tandem obtinuit, ut in loco, quo positae erant, eas manere permitterent. Mansit autem in eodem loco corpus bea-
836 tissimi martyris usque ad annum 23 piissimi imperatoris Ludovici et octingentesimum tricesimum sextum incarnationis dominicae. Sed priusquam ad hoc, qualiter corpus sancti martyris partibus Saxoniae translatum sit, vel[a] qualiter virtutes per eum Dominus in ipso itinere ostendere dignatus est, verba vertamus, dignum duximus, ut de eius monasterii[2] constructione, ubi ad praesens quiescere videtur, aliquid breviter dicamus.

768 Post obitum namque nobilissimi regis Pippini, Karolus filius eius regnum obtinuit Francorum universum. Cui Dominus tantam contulit virtutem atque potentiam, ut non solum Francorum regnum strenue gubernaret sed etiam multas barbarorum gentes circumquaque subiugaret. Unde factum est, ut gentem Saxonicam, quae olim contra Francos rebellabat, non solum suo dominio
772—803 subegisset sed et mellifluo Christi nomini dicare meruisset. Nam et hunc ideo prae omnibus christianis regibus potentissimum in bellis fuisse credimus, quia, quos suo dominio subiugabat, Christi nomini dedicabat. Cum autem requiem praestitisset ei Dominus a compluribus inimicis suis, convocavit omnes qui sub ditione sua erant maiores sacerdotes et principes atque studiosissime quaesivit, quomodo veram fidem veramque religionem in universo regno suo firmaret. Quaesivit etiam nihilominus sacerdotes bonae spei, quos in Saxoniam dirigeret, qui ipsos secundum ecclesiasticam fidem docerent domosque[b] episcoporum et[c] ecclesias constituerent. Sed cum omnem ordinem ecclesiasticum in illa regione tradidisset, qualiter ibidem monasticam disciplinam[d] instituere potuisset, invenire nequivit, nisi[e] tantum quod illius gentis homines, quos obsides et captivos tempore con-

a. aut 2, ut 3. b. domos 2. 3. c. atque 2. 3. d. religionem 2. 3. e. non 3.

1. V. supra p. 5, n. 1. 2. Corbeiae novae.

flictionis adduxerat, per monasteria Francorum distribuit, ad[a] 772—803
legem quoque sanctam atque monasticam disciplinam[b] institui praecepit. Denique, quia in Corbeia[1] monasterio laudabilis eo tempore religio monachorum habebatur, multos inibi eiusmodi viros fore constituit.

Erat igitur eodem tempore in praefato monasterio abba, vir vitae venerabilis meritoque eximius, Adalhardus nomine, nobilis genere sed nobilior fide, fervens in[c] disciplina sed[d] plenus caritate, sapiens in locutione, plenus dilectione, studiosus in lege divina et plenus discretione. Hic cum esset inter primores palatii atque consiliarius[e] regis, scilicet quia erat consanguineus eiusdem[2], voluntas supradicti regis ei abscondi minime potuit. Sed quia non erat inferior illo devotione, regressus ad monasterium, ab eis, qui ibidem erant e[f] gente Saxonica, sciscitari[g] coepit, si possit illa in patria inveniri locus, ubi monachorum monasterium construi rationabiliter posset. E quibus unus Theodradus nomine ait: *Scio* inquit *in patris mei possessione esse locum, ubi ex utraque parte fons vivus emanat; et multum aptus ad hoc opus mihi esse videtur.* Cuius responsione delectatus venerabilis pater eum statim illas in partes direxit, ut diligenter rem prolatam investigaret et, utrum pater et reliqui consanguinei hoc consentire vellent, inquireret. Qui cum isset et patris matrisque, avunculi atque patruelis voluntatem cognovisset, reversus ad monasterium, ut hoc fieret eos[h] desiderare potius quam resistere velle nuntiavit.

Sed iam dicto abbati illo in tempore commissa erat cura 813
maxima, videlicet ut regnum Longobardorum gubernare deberet, donec filius Pippini[3] Bernhardus[4] nomine cresceret; nam ipse Pippinus, Karoli regis filius, ante triennii tempus obierat.[5] Et

a. ad *addidi.* b. disciplinam *om.* 1. 3. c. *om.* 2. d. sed *om.* 1. 3. e. consiliarios 2. f. a 2. 3. g. suscitari 2. h. eos *om.* 1. 3.

1. Corbeia antiqua (Corbie) ad Somonam fl., in dioecesi Ambianensi. 2. patrem enim habuit Bernhardum, Caroli Martelli filium, patruum Caroli Magni. 3. regis Italiae (806—810), filii Caroli Magni. 4. rex Italiae 813—817. 5. 810 Iul. 8; itaque regni Longobardorum administratio Adalhardo anno 813 commissa esse videtur.

813 ideo praedictus abba non potuit perficere quod cupierat, et per sexennii[a] tempus tardatum est opus. Factum est autem, postquam praefatus puer crevit, accepit ei uxorem[1], et constituit secundum iussionem principis super omne regnum. His ita gestis, perrexit Romam, non solum orationis causa, sed etiam ut cum venerabili viro Leone[2] papa conferret de necessitate regia et plebis. Ubi cum moraretur atque simul de profectu adolescentis gauderet[b], subito venit nuntius pennigero volatu, af-
814 ferens epistolam luctuosam nimis de morte Karoli imperatoris. Qua perlecta, moestus nimis venerabilis pater illo de loco abscessit statimque ad monasterium proprium perrexit. Ludowicus autem, qui usque quaque Wasconum regnum tenuit, super omne Francorum regnum est sublimatus. Tunc accesserunt ad eum viri dolo iniquitatis pleni[c] et accusaverunt venerabilem Adalhardum et eiecerunt eum de honore suo absque culpa et exiliaverunt sine causa. Interea vero Ludowicus imperator iussit, ut Corbeienses monachi alium de suis abbatem sibi eligerent. Illi vero tandem post moestitiam consolati, elegerunt sibi eiusdem nominis virum aeque[d] sanctissimum et aeque dignum. Hoc enim ita futurum utrisque[e] quidam eremita diu praedixerat, quando hi duo viri eiusdem nominis eiusdemque propositi anachoritae fieri voluerunt, et seculi gloriam et occupationes terrenarum rerum fugientes, Beneventum usque pervenerunt.

Hic itaque Adalhardus monasterium ad gubernandum cum suscepisset, satis egit, ut omnia, quae prior Adalhardus secundum voluntatem Dei facere proposuerat, instanter impleret, scilicet quia eorum semper in bonum una fuerat voluntas. Et eosdem ut[f] prior habebat in consilio adiutores, adiungens sibi[g]

a. biennii *legendum videtur* (*sc. ab a.* 813 *ad* 815). *Facile enim pro* bi *sumi potuit* vi. b. gauderent 2. 3. c. pestilentes 2. 3 *pro* dolo — pleni. d. aeque *om.* 2. e. utriasque 2. utriusque 3. f. quos 2. g. sibi *om.* 2.

1. Cunicundam. V. tabulam d. Parmae 835 Iunii 15, ap. Mabillon A. O. B. II. 740 et ap. Affò Stor. di Parma I. 283, in qua sic est: „Cunicunda, relicta quondam Bernardi incliti regis, cogitans pro mercedem et remedium anime seniori meo Bernardi vel mea seu filio meo Pipino" cet. 2. III, 795—816.

maxime venerabilem virum Walonem, qui frater erat prioris 814
Adalhardi et in diebus Karoli imperatoris magnae fuerat potestatis, omnibus, qui erant in palatio venerabiliores[a], et omni provinciae Saxonicae[b] praelatus, sed ut praescivit, quod eum quidam infestare vellent, ut accusarent, portum monasterii petiit ibique cum multo studio Domino[c] servire decrevit. Hunc praefatus abba familiarissimum habuit. Interea recordatus ipse abba, qualem prior Adalhardus habuit voluntatem de constructione monasterii in Saxoniae partibus, habuit consilium cum senioribus fratribus et cum his, qui ab illis partibus venerant, ad extremum cum omni congregatione, qualiter hoc ad perfectum[d] adduceretur. Visumque est omnibus, iustum esse, ut hanc rem indicaret imperatori, ut cum eius fieret imperio et voluntate.

Factum est autem eodem tempore, ut serenissimus imperator Ludowicus haberet placitum in Saxonia, in loco qui dicitur 815
Patherbrunna, in secundo anno regni sui, incarnationis vero Do- Iul.
mini octingentesimo decimo quinto. Tunc accessit praefatus abba ad eum et locutus est ei cum consilio suadens, ut ad profectum christianae religionis in eadem provincia monasterium monachorum construere iuberet. Quod cum piissimus princeps benigne suscepisset, placuit accersere episcopum nomine Hathumarum[1], ad cuius dioecesin pertinebat locus, ubi construendum erat monasterium, ut cum eius fieret imperio et voluntate. Sicque factum est, ut ab ea die et deinceps religio monachorum etiam in regione Saxonica succresceret atque proficeret. Eodem die remisit domnus imperator eidem abbati omne servitium, quod ad se pertinebat, ut liberius sanctum opus implere quivisset.

Coepit autem aedificare in loco qui dicitur Hethis[e][2]. Ubi
cum per sex et eo amplius annos laborassent, nihil proficere 815–822

a. venerabilis 2. b. provincia Saxonica 2. 3. c. Deo 2. d. perfectum *scripsi pro* profectum 1. 2. 3. e. Hechis 1, Hechi 3.

1. Hathumarum ep. Paderbornensem „non longo tempore" post mortuum Carolum M. imp. obiisse, docet Translatio S. Liborii (Mon. SS. IV. 151); sed in Vita Meinwerci mors eius ad annum 804 refertur. 2. quem locum in Solling saltu fuisse ferunt, postea Neustadt vocatum. V. Wigand Gesch. v. Corvey I. 68.

815–822 potuerunt, nisi quod religio sancta in loco deserto tradebatur. Nam locus ita aridus erat, ut nec victum nec vestimentum ibidem invenire possent, nisi quantum praefatus abba a monasterio proprio deferri faciebat. Augebatur tamen quotidie numerus monachorum ex nobilissimo Saxonum genere; pueri quoque bonae indolis nutriebantur optime; et licet opibus essent pauperes, religione tamen[a] sancta pollebant.

Erat eo tempore Adalbertus, vir religiosus, praefato in loco praepositus, qui cum aestuaret angustia, eo quod non haberet ad opus fratrum stipendia, coepit de mutatione loci cogitare; sed ubi vel qualiter, invenire nequibat. Sed cum magna habitatoribus ingrueret necessitas, ad hoc ventum est, ut se in tres partes dividerent cum prioribus singulis. Interim necessitas vertitur in voluntatem, omnes pariter de mutatione loci tractare[b] coeperunt.

Affuit interea etiam[c] eis in tanta necessitate positis divina
821 clementia. Ascendit enim in cor regis, ut revocaret venerabilem virum Adalhardum senem et restitueret ei omnem priorem honorem et multo eum amplius, quam unquam antea fuerat, sublimaret. Qui cum iam dictos monachos in tanta cognovisset penuria esse, cum omni festinatione misit, dans pretium, iussitque, ut sicubi invenirentur carrae oneriferae[d], et tam annonam quam boves compararent et cum festinatione laborantibus[e] subvenirent. Post haec accessit ad imperatorem et rogavit, ut daret licentiam, quaerere inter illa loca, quae ad se pertinebant, si forte posset alicubi in praefata regione locum invenire, ubi monasterium rite fieri posset; quod a pio principe statim concessum est. Tum venerabilis abba, accepta licentia, pervenit in partes Saxoniae una cum Walone fratre suo. Quo cum pervenissent, didicerunt a fratribus, quia erat locus situs super fluvium Wisera, in pago Auguense, qui pertinebat ad villam cui vocabulum est Huxere[1]; quod et antea quidam audiverant et id ipsum imperatori indicaverant. Ierunt ergo, et quidam ex fra-

a. tamen *om.* 1. 3. b. tradere 3. c. etiam *om.* 2. d. carra onusta 3. e. festinanter famelicis 2 *pro* cum — laborantibus.

1. Höxter.

tribus cum eis, et invenerunt locum huic negotio aptissimum 821
et[a], quia erat optimus[b], habitationi monachorum congruum[c]. Tunc inierunt consilium cum episcopis et comitibus et cum nobilissimis viris eiusdem gentis, ut instanter eumdem locum excolerent et monasterium ibidem collocarent.

Venerunt ergo anno octingentesimo vicesimo secundo domi- 822
nicae incarnationis, sub die octavo Idus Augusti, regnante Ludo- Aug. 6
wico serenissimo augusto undecimo[1] anno, ad locum memoratum, circumspectoque ex omni parte et undique circuientes, prostrati in orationem, decantaverunt psalmos ad hoc officium pertinentes. Et postquam compleverunt letaniam et orationem, iactaverunt lineam et infixerunt paxillos et coeperunt mensurare, prius quidem templum, inde habitationes fratrum. Quod cum peregissent, constituentes, qui quaedam habitacula initiarent, ad propria sunt reversi. Sed primum petierunt episcopum[2], ut veniret et[d] sanctificaret locum vexillumque sanctae crucis in loco altaris poneret nomenque, ut Corbeia vocaretur, aptaret. Quod factum
esse octavo Kalendas Septembris constat. Et eadem die coepe- Aug. 25
runt qui aderant aedificia erigere. Erant tamen pauci numero
usque ad diem sextam Kalendas Octobris. Septimo Kalendas Sept. 26 Sept. 25
namque eiusdem mensis surrexerunt a loco, quo usque quaque
habitaverant, cum omni suppellectile sua, senes et pueri; et alia Sept. 26
die venerunt ad locum destinatum et celebraverunt missarum sollemnia, cum omni gratiarum actione laudantes Dominum et benedicentes Domino.

Sequenti autem anno venit iterum venerabilis abba et plu- 823
res ex fratribus cum eo; et convocans omnem congregationem, instruxit eos de omnibus, quae ad cultum divinum et religionem sanctam pertinebant, quomodo et qualiter, qui scire voluerit, in libello, qui de vita eius dictatus[e] est[3], plenius invenire potest. Cum autem appropinquare cerneret diem mortis suae, misit

a. huic — et *om.* 1. 3. b. et *add.* 1. 3. c. congruus 1. 3. d. ut 2. e. editus 2, dictus 3.

1. immo nono. 2. Baduradum ep. Paderbornensem. 3. V. Paschasii Radberti Vit. Adalhardi c. 68.

823 venerabilem virum Walonem ad palatium, ut talem libertatem et tuitionem ex parte domni[a] imperatoris loci illius habitatoribus impetraret, qualem cetera quoque sublimia monasteria per Fran-
Iul. Aug. ciam habebant. Quod ille fideliter egit et domnus imperator benigne concessit[1].

Quae postquam gesta sunt, iterum coepit cogitare, quem eidem[b] loco patris nomine[c] abbatem praeferret, qui secundum voluntatem Domini[d] regere posset monachorum gregem, qui quotidie augebatur atque crescebat. Erat eodem tempore in Corbeiensi monasterio quidam adolescens monachus, qui ex nobilissimo Francorum atque Saxonum genere fuerat ortus[2], nomine Warinus. Hic a tanta perfectione coepit, ut cum esset iuvenis atque magna potestate praeditus haberetque sibi desponsatam virginem pulcram atque nobilissimam et iam iamque inter primos palatii consisteret, elegit potius servire Domino[e] aeterno quam regi mortali, relictisque omnibus portum monasterii petiit. Hunc iuvenem venerabilis pater in nova Corbeia abbatem facere cogitabat, confidens scilicet de Domini[f] misericordia, ut, qui a tanta perfectione coepisset, perfectius consummaret. Fratres autem studiosius[g] agebant, ut venerabilem virum Walonem sibi in patrem eligerent. Interim cum iam iamque diem egressionis suae adesse sentiret, misit, ut quem vellent eligerent, accepta licentia imperatoris.

826 Interim dum electio protelatur, religiosus abba diem finivit
Ian. 2 extremum[3]. Quo nuntio omnes moerore concussi, Walo, qui tunc ibi electionis gratia morabatur, iussus pergit ad palatium, inde ad proprium monasterium; statimque ibi ab omnibus eligitur in[h] abbatem. At vero hi, qui in Saxonia habitabant monachi, de electione abbatis sui beatae memoriae meritis[i] Adal-

a. domni *om.* 1. 3. b. quemadmodum 1. 3 *pro* quem eidem. c. nomine *om.* 1. 3. d. Dei 2. e. Deo 2. f. Dei 2. g. studiosius *om.* 1. 3. h. ad 2. 3. i. meritis *om.* 1; meriti 3.

1. V. Ludovici Pii diplomata data a. 823 die 27 Iulii et d. 8 Aug. ap. Erhard Reg. Westf. I. Cod. dipl. p. 5 et 6. 2. Cf. Dümmler Gesch. des Ostfränk. Reichs I. 142. n. 25. 3. in monasterio Corbeiae antiquae 826 Ian. 2. Cf. Vitae Adalhardi c. 82 et 87.

hardi confisi, eligunt[1] sibi abbatem iam dictum virum venera- 826 Apr. 26
bilem Warinum, qui[a] proficiebat quotidie et acceptus erat tam Deo quam hominibus.

His vero gestis, post aliquod temporis spatium accidit quaedam disceptatio inter Ludowicum imperatorem et principes qui erant in regno. Pro qua re in tantum indignatio principis excrevit, ut et Walonem[b], quem olim ante omnes dilexerat, in exi- 830 Oct.
lium mitteret, et Hilduwinum[2], virum aeque devotissimum, in Saxoniae partibus, scilicet in monasterio Corbeia tamquam in exilio[c] collocaret.

Interim venerabilis abba Warinus maiori honore apud imperatorem habebatur. At vero memor, quod sibi commissum erat, scilicet ut inter barbarorum gentes monasterium aedificaret, petiit, ut de corporibus sanctorum, quorum plurimi habebantur in Francia, sibi aliquot[d] transferre in proprium licuisset monasterium. Statimque imperator, ut fieret, iussit. Qui cum multum eodem anno laborasset, ut sanctum Victoricum de Ambianis civitate transferret, hoc implere nequivit, quia accolae terrae illius hoc graviter ferebant. Tunc reversus est ad propria, multorum tamen sanctorum reliquias secum adferens.

Illo[e] vero in[f] tempore venerabilis abba Hilduwinus in eodem monasterio iussu habitabat imperatoris, eratque omnibus carus atque dilectissimus. Quis enim se continere posset ab amore eius, qui Dominum[g] summo desiderio amabat et in eiusdem cultu assiduus erat? Hic cum cognovisset desiderium praefati abbatis et fratrum, quia volebant ob augmentum christiani cultus aliquem sanctorum in monasterium suum transferre, promisit, quod, si se Dominus in honorem pristinum collocaret, absque

a. quique 2. 3. b. Walo — mitteretur 1. 3. c. exilium 2. 3. d. aliquod 1. e. Eodem. 2. f. in *om.* 2. g. Deum 2.

1. 826 Apr. 26. Obiit enim Warinus a. 856 Sept. 20, cum sedisset annos 30, menses 4, dies 25. V. infra Annales Corbeienses 856 et Catalogum abbatum. 2. abbatem S. Dionysii, quem „iussum esse iuxta Patrisbrunnam in expeditionali h i e m a r e tabernaculo“, docet Vita Ludovici imp. c. 45 (Mon. SS. II. 633), idque factum esse m. Octobri a. 830, ostendunt Annales Mettenses 830 (Mon. SS. I. 336), Bertiniani 830 (ibid. 424).

retractatione aliquem eorum, qui sub ditione sua erant, eis daret.
831 Mai. Statimque post aliquot dies honori pristino restitutus est[1].

Post hoc imperator etiam venerabilem abbatem Warinum ampliavit honore eique monasterium Rasbacis[2] cognomento Hierusalem ad gubernandum tradidit. Tunc accessit ad venerabilem virum Hilduwinum et rogavit eum, ut memor esset promissionis suae et daret ei corpus beatissimi pueri et martyris Viti. Qualiter autem vel quo tempore hoc corpus sancti Viti in Saxoniam translatum sit et in monasterio quod Corbeia nova dicitur collocatum, intimare curavimus.

836 Anno incarnationis domini nostri Iesu Christi octingentesimo tricesimo sexto, indictione quarta decima, anno autem imperii sacratissimi imperatoris Ludovici vicesimo tertio, Warinus, abba monasterii Rasbacensis cognomento Hierusalem sed et Corbeiensis novi, a cuius fundatione annus vertebatur decimus quartus, consulens salutem patriae, salutem etiam gentis suae et exaltationem loci ipsius[a], ob causam fidei et religionis expetivit a viro religioso et venerabili abbate Hilduwino monasterii sancti Dionysii, ut de sanctis martyribus venerabilibus, quorum corpora in loco praefato humata quiescebant, aliquem ei ad confirmandam fidem gentis suae tribueret atque licentiam portandi[b] concederet. Quam petitionem Hilduwinus abba, cum voluntate et licentia piissimi imperatoris Luduwici, consensu etiam episcopi[3] Parisiacae urbis ceterorumque nobilium virorum in supra dicta dioecesi commorantium, libenter annuens, dedit ei, ut supra dictum est, corpus sancti Viti pueri et martyris Lucani, qui sub Diocletiani et Maximiani[c] temporibus passus esse et a quodam viro religioso, regnante Pippino, translatus ab Italia in Franciam et in dioecesi Parisiaca locatus narratur[4]. Cuius merito in loco, ubi positum fuerat corpus ipsius, ut supra dictum est, multas Dominus virtutes operatus est; fertur enim ab incolis loci illius, ubi beatissimus martyr

a. monasterii quod nova Corbeia dicitur *add.* 2. b. efferendi 2. c. Valeriani et Diocletiani 2. 3.

1. m. Maio a. 831. V. Vita Ludovici imp. c. 46, Annal. Bertinian. 831.
2. Rebais in dioecesi Meldensi; a Meldis inter orientem et meridiem.
3. Erchanradi II. 4. Cf. supra p. 5.

in corpore quievit, quod a tempore[a], quo ipso in loco positum 836
fuerat, nunquam ibi tempestates aut fulgura nocuissent[b].

Hoc corpus sancti Viti magna cum veneratione et testifica- Mart. 19
tione religionis ab Hilduwino venerabili abbate Warino religioso abbati in ecclesia sancti Dionysii coram innumerabili multitudine populorum, tam monachorum quam canonicorum, virorum ac mulierum, post peracta die dominico missarum sollemnia decimo quarto Kalendarum Aprilium commendatum ac traditum est. Suscipiens autem corpus sancti Viti religiosus vir Warinus abba, habens secum turbam copiosam tam suorum monachorum quam aliorum virorum, cum summa veneratione et ornatu atque omni decore ecclesia exiit, tam ipse et sui quam Hilduwinus abba cum suis monachis et omnis populus qui ad diem festum convenerat, a monasterio sancti Dionysii iter tendens monasterii Rasbacensis cognomento Hierusalem. Ubi perveniens cum suis omnibus, et multa turba populi comitante, honorifice custodivit
ipso in loco corpus sancti Viti martyris usque in diem duode- Mai. 21
cimum Kalendas Iunii[c]. Virtutes denique et sanitates, quas Dominus meritis et precibus martyris Viti, antequam ad memoratum monasterium pervenissent, operatus est, scire cupientibus insinuare curavimus[d].

Igitur factum est, cum egrederentur ex monasterio sancti Mart. 19
Dionysii praefato die dominico, et illis iter agentibus multisque ex vicinis locis turbis confluentibus, omnes, qui audire poterant, obviam sancto martyri cum summa festinatione currere contendebant. Cumque ex diversis locis plurimi convenirent et obviam sancto martyri properarent, accidit, ut quaedam mulier nomine Irmingardis[e], quae iam ab annis duodecim oculorum carebat usu[f], obviam[g] procederet. Prae multitudine autem turbae non valens ad feretrum, in quo sanctae reliquiae portabantur, accedere, virtute qua quibat[h] post ipsum pedetentim coepit currere et Dei misericordiam, ut novit semper, mente et ore non cessabat invocare, ut sibi divina clementia per martyris sui merita

a. quod a tempore *om.* 1. b. nocuisse 1. c. Iulii 1. 3. d. intimare dignum duximus 2. 3. e. Irmgardis 1. f. carens visu 2. g. obvia 2. h. poterat 2.

836 Mart. 19 ablatum lumen dignaretur reddere. Cernentes autem hoc viri religiosi, tam praefatus abbas quam alii qui simul[a] comitabantur, quod mulier caeca tam anhelanter post ipsos curreret, in ipso loco cum reliquiis sancti martyris paululum constiterunt[b]; atque ita[c] veniens, coram innumerabili multitudine populi corruens adoravit. Quae mox, intervenientibus meritis beati Viti martyris, largiente Dei misericordia, lumen, quo iam[d] duodecim annis ut diximus caruerat, recepit. Omnibus namque cernentibus simulque gaudentibus, sine duce usque ad proximam mansionem, quae fuit in villa nomine Mintriacus[1], prosecuta est. Affuit maritus eius ceterique vicini et cognati, qui cum ipsa totam noctem insomnem in[e] vigiliis et orationibus ac Dei laudibus duxerunt.

Mart. 20 In crastinum ergo, dum iter agerent, divulgatum est hoc per itineris loca, et coeperunt alacri devotione dextra laevaque undique occurrere. Inter quos occurrit quaedam mulier Framhildis nomine, nescientibus omnibus[f]; a cuius manibus ablata[g] fuerat species[h] propria, et[i] facti erant digiti eius curvi ita, ut mediis palmis fixi viderentur. Ipsa tamen cum appropinquasset ad feretrum, invocato sancti martyris nomine, ad sanitatem pristinam manus eius sunt reversae. Sed misera, dum hoc fuisset munus adepta, sub silentio, nesciens Deo rependere grates, repedavit ad propria. Sed divina sibi[k] reddente vindicta, eadem nocte ut prius manus eius arefactae sunt. Tunc illa intempesta nocte surgens, marito, cogente necessitate, indicavit, quae fuerant gesta. Quam vir suus in iumento vehens, ad monasterium Sanctae Crucis[2], ubi ipsa nocte pro corporum lassitudine quieverunt cum reliquiis sancti martyris, post eos adduxit, manifestans omnia, quae gesta erant cum illa[l].

His ut diximus ita se habentibus, ad iter redeamus. Cum autem appropinquarent Meldis civitatem[m], obvium habent episco-

a. simul *om.* 1. b. substiterant 2. c. At ipsa 2. d. iam *om.* 2. e. in *om.* 1. f. omnibus *om.* 2. g. oblata 1. h. *sic scripsi pro* spes 2; species propria *om.* 1. i. cuius digiti ita facti erant curvi 1 *pro* et — ita 2. k. sibi *om.* 1. l. ei acciderant 2 *pro* gesta — illa. m. civitatem *om.* 1.

1. Mitry a Meldis inter occidentem et septemtriones. 2. postea vocatum S. Faronis monasterium, in suburbio Meldensi.

pum[1] cum clero multoque populo. Abbas etiam cum suis monachis omnibus de Sanctae Crucis monasterio afferunt[a] reliquias cum crucibus et cereis omnique ornatu ecclesiae. Suscipientes autem reliquias sancti martyris, psallentes atque laudes Deo immensas agentes, in praefatum portaverunt monasterium. Ibi[b] cum in laudibus pernoctassent, mane facto post missarum officia peracta, praedicta mulier iterum sanitate adepta, veniens ante episcopum, coram omni populo cecidit ad pedes eius, iam gratias agens, veniam postulabat de commisso facinore. Post haec reversa est sana ad propria. 836 Mart. 20 Mart. 21

Inde recto tramite pergentes, cum appropinquarent Rasbacis[2] monasterio, obviam facti[c] fuerunt monachi cum reliquiis et crucibus, thuribulis accensis, flagrantibus luminaribus omnique ut dignum erat decore. Qui[d] ornate[e] canentes atque laudantes Deum, illud sanctum corpus suscipiunt et ad praefatum monasterium cum laudibus inferunt; et ibi, ut dictum est, cum summa veneratione custodientes reliquias sancti martyris, substiterunt usque in diem duodecimum Kalendarum Iunii. Mai. 21

Igitur egressi duodecimo Kalendarum Iunii de monasterio Rasbacensi[f], Warinus abbas cum suis omnibus recto tramite in Saxoniam[g] pergentes, fecerunt mansionem in villa, cui[h] vocabulum est Cella Gislefridi[3]. Ibique corporis lassitudinem reficientes, in crastinum post missarum celebrationem adfuit quaedam mulier nomine Harmildis[i] caeca iam ab annis quinque, quae in adventu sancti martyris sana facta[k] est, atque quoddam itineris spatium secuta, sana remansit deinceps. Mai. 22

Inde coepto itinere pergentes, ad cellam quamdam venerunt[l] nomine Augia[m][4]; ibique biduo subsistentes, non minimas per beatum martyrem Deus[n] dignatus est ostendere virtutes. Nam ibi duae mulieres accesserunt carentes lumine, nomen unius Mai. 22. 23

a. afferentes 2. b. Ubi 2. c. facti *om.* 2. d. Qui *om.* 2. e. ornati 2. f. Rasbacis 2. g. partibus Saxoniae 2 *pro* in Saxoniam. h. cuius 2. i. Harwildis 2. k. effecta 2. l. pervenerunt 2. m. Stugia 1. n. Dominus 2.

1. Hucbertum I ep. Meldensem. 2. v. supra p. 14. n. 2. 3. la Celle, a Resbaco ad orientem. 4. Oyes, a Resbaco et a Cella ad orientem; proxime Augiam sita est cella S. Godonis (St. Gond).

836 Mai. 22. 23 Baltrudis, quae caeca fuit annis quinque, et nomen alterius Gerlindis[a], caeca mensibus tribus; atque in ipso loco sanitatem[b] recipere meruerunt. Adfuit etiam in ipso loco puerulus nomine Warinus fere annorum octo, qui erat ex omni parte claudus; et mox ut accessit ad feretrum, ita consolidatae sunt bases eius, ut coram omnibus exurgeret[c] et thuribulum cum thymiamate vespertinali officio circa[d] altare et per totam ecclesiam portare valeret.

Mai. 24 Postera die iter agentibus in via occurrit quaedam mulier, ferens in humeris puerum parvulum ut[e] putabatur annorum quinque, a[f] mensibus vero quinque claudum[g]. Quae cum non valeret prae turba cum ipso accedere ad feretrum, propriis in terram dimisit ab humeris; et ingerens se in medio populi, tandem pervenit ad loculum, ubi corpus ferebatur beatissimi martyris, expandensque super ipsum linteum, Domini coepit pro sanitate pueri exorare clementiam, simulque sancti martyris flagitare auxilium. Post haec autem cum reverteretur ad puerum, ipse puer sanus et laetus, qui ante portabatur maternis brachiis, propriis[h] coepit matri occurrere pedibus.

Tunc se de illo loco moventes coeptumque iter tenentes[i], pervenerunt in villam quae vocatur[k] Alnidus[l][1]; ibique nocte illa
Mai. 25 manserunt. Cum autem in crastinum sol illucesceret rursumque iter pararent, moram illis facientibus atque missarum sollemnia ut dignum erat celebrantibus, adfuit quidam claudus utroque genu, plus autem dextero, qui paene natibus cohaerebat[m]. Irrumpens turbae[n] medium sese inseruit virtute qua valuit, tandemque quo modo potuit ad cancellos altaris, ubi sanctum celebratur, pervenit. Cum autem fere per unam iacuisset horam, expletaque diu[o] orasset, coeperunt membra eius contremiscere et ipse cum magno strepitu suspirare atque simul genua, diu[p] scilicet

a. *alias* Gertrudis 1. b. sanitatem — loco *om.* 1. c. surgeret 2. d. circum 2. e. et 1. f. a *om.* 1. g. claudus fuisse 1. h. propriis *om.* 1. i. moventes 1. k. vocabatur 1. l. Alvidus, *alias* Anrudus 1. m. cohaerebant 2. n. turbam 1. o. et 2 *pro* expletaque diu. p. eius 1.

1. Aulnay aux Planches, ab Augia ad orientem, a Catalauno inter occidentem et meridiem.

viginti annis arida, in proprium vigorem redire. Cernentibus 836 Mai. 25
denique omnibus, quod factum erat, et diu[a] expectantibus qualiter e terra surgeret, mox ipse, qui cum duobus venerat sustentatus baculis, propriis tentabat ambulare pedibus. Qui cum rogaretur a circumstantibus, ut pristinos sumeret baculos ipsosque haberet in adiutorium, coepit cum iuramento spernere ac dicere, quod iam nollet ipsos in usus pristinos attingere; eo scilicet, quia iam pleniter noverat, in se sancti martyris virtutem perfundi[b], et se firmo ingressu[c] quo volebat[d] pergere. Qua de re cum aliqui, ut solet in hac aetate, diffidentiam signi haberent et diligenter inquirerent nomenque ipsius percunctarentur, affuerunt plurimi vicini et cognati, qui eum a multo tempore claudum et in asello victum quaeritantem noverant[e]. Nomen enim[f] eius erat Ramfredus[g]. Urgente[h] igitur ipso die itinere, cum peragrarent a loco supradicto quasi milliaria decem, et in media via paullulum substitissent, occurrerunt duae quaedam mulieres lumine carentes, quae statim illuminari meruerunt.

A loco vero illo moventes, cum pervenissent ad mansionem
praedestinatam ibique nocte illa quievissent, in crastinum trans- Mai. 26
euntes fluvium, cui vocabulum est Matrona[i][1], obvia fuit puella parvula ut putabatur[k] annorum quatuor, caeca, quae mox ut accurrit[l] oculari meruit. Nec silendum volo, quantas ipso die Dominus virtutes meritis et precibus beati martyris ostendere dignatus est. In villa enim, quae vocatur Septem-Salices[2], cum pro sumendo cibo paullulum[m] ipsa die vel iumentis pabulo praebendo[n] substitissent ipsumque sanctum corpus in ecclesiam misissent, venit quaedam mulier nomine Waldemia ante sanctum martyrem, caeca annis multis, quae[o] deprecans Dei clementiam, ibi[p] illuminata est. Et homo quidam nomine Rancharius ipso die similiter illuminatus est, illis euntibus per viam. Quo de

a. diu *om.* 1. b. infundi 1. c. gressu 2. d. voluisset 2. e. cognoverant 1. f. enim *om.* 1. g. Rautfredus 2. h. Urgente — meruerunt *om.* 1. i. Materna 2. k. putabat 1. l. occurrit 1. m. paullulum *om.* 1. n. ad iumentis pabula praebenda 2. o. quae *om.* 2. p. ibique 2.

1. Marne fl. 2. Sept-Saulx, media fere via inter Catalaunum et Remos.

836 loco proficiscentes, ventum est ad villam quae vocatur Summa-
Mai. 26 harna[1]. In initio vero noctis eiecta plebe foris ecclesiam, quia parva erat et multitudo populi magna, remansit quaedam mulier nomine Geruntia, gibba atque curva ab annis duodecim, ante fores oratorii cum patre proprio et matre. Illis autem[a] astantibus unaque cum ipsa misericordiam Dei implorantibus ac sancti martyris merita interpellantibus, mox ipsa corruens iacuit paene exanimis, ita ut pater eius et mater, per unam prope horam expectantes, eam mortuam affirmarent. At posteaquam reversa est in pristinum sensum, detulerunt eam intro ante altare, ubi sanctum corpus fuerat collocatum. Ibi[b] tota nocte illa gravem
Mai. 27 senserat[c] dolorem; diluculo vero post officium matutinale et missarum celebrationem erecta et sana inventa est, quae venerat curva et gibba; et simul cum patre et matre[d] laudes reddens, usque ad proximam mansionem prosecuta est. Sed nec hoc silentio praetermittendum est, quod ipsa die Dominus per sanctum martyrem[e] ostendere dignatus est. Nam quaedam anus de villa supradicta, cum a tergo curreret fessaque, prout erat corpore marcida, reverti ad propria voluisset, licentia quasi non facta[f], mox figit pedem, ac immobilis fere per unam horam stans, non quivit ad propria repedare. Enimvero tentavit post sanctum ambulare virtute qua valuit, accurrensque ei[g], a tergo coepit vociferari. Ad cuius clamorem paullatim omnes steterunt; ipsaque quasi exanimis coepit denudare quod contigerat. Et sic venia concessa, remeavit ad propria.

Inde iter prosequentes, venerunt super litus Axonae[2] in villam[h], quae dicitur ad Sanctum Morulum[i 3], in vigilia sancti diei pentecostes. Ibi denique in crastinum moram facientes,
Mai. 28 diem[k] festum celebrantes[l], simul etiam corporis lassitudinem recreantes, advenit quaedam mulier, in ulnis ferens puellam par-

a. enim 2. b. enim *add.* 2. c. passa est 2. d. cum ea pater et mater 1. e. per martyrem suum 2. f. accepta 2. g. ei *om.* 2. h. villa 1. i. Marulum 1. k. denique 2. l. celebrantes *om.* 2.

1. St. Etienne à Arne, a Sept-Saulx inter orientem et septemtriones. 2. Aisne fl. 3. St. Morel, a Vouziers ad meridiem, a Virduno inter occidentem et septemtriones.

vulam necdum unius anni aetatem habentem, quae contracto debilitabatur[a] genu; et in ipso loco restitui[b] meruit. Alia etiam puella adfuit eadem die annorum octo[c], quae et ipsa erat debilis pedibus; et duae mulieres, quae stare super pedes non[d] valebant sed aut portando aut reptando ferebantur, unaque ex ipsis manum habebat aridam. Ubi[e] utraque sanitatem receperunt, et propriis redierunt[f] pedibus, quae ante subibant alienis. Quis[g] enim non miretur in hoc facto illud, quod Dominus de die iudicii loquitur: *tum saliat claudus sicut cervus*[1]. 836 Mai. 28

A loco denique praefato contigit iter per Aquis palatium habere noctemque ibi manere. Ubi multitudo magna populorum, virorum ac mulierum, senum et infantium, accurrere coeperunt, et omni conatu atque alacritate[h] reliquias sancti martyris in suis humeris gestare cupierunt. Inter quos irruit[i] quaedam mulier, nomine Edela, a tempore[2] et dimidio caeca, quae in ipsa nocte ita meruit sanari, ut mane clare videret omnia. Grates itaque eximie[k] Deo reddentes, coeptum iter intenderunt. Cumque inde moventes in via pergerent[l] virtutesque per plateas oppida et castella divulgatae et narratae[m] fuissent, coeperunt populi undique catervatim magis et magis confluere. Quorum impetum et strepitum audiens quidam caecus, baiulans pro luce tenebras, turbas nitebatur penetrare plurimas, ut ad sanctas perveniret[n] reliquias. Idem denique, qui ut ferebatur annos[o] caecus duodecim fuerat, mox ut ad feretrum accessit, lucem videre meruit. Eodem quoque loco mulier quaedam, habens manum aridam, sanari meruit.

Igitur post dies aliquot regnum Saxonicum[p] introeuntes ac Iunio recto calle gradientes, veniunt in villam, quae Sosat[q][3] vocatur, ubi maximam multitudinem Saxonum obviam habuerunt, adeo ut incredibilis numerus videretur utriusque sexus. Quis[r] ibi non

a. debilitabat 2. b. recuperari 2. c. quinque 2. d. minime 2. e. Ibique utraque 2. f. recepit, ut — redirent 2. g. Quis — cervus *om.* 2. h. alacri vultu 2. i. irrupit 2. k. eximias 2. l. fama *add.* 2. m. et narratae *om.* 1. n. mereretur pervenire 2. o. annorum 2. p. Saxonum 2. q. Sosa 1. r. enim *add.* 2.

1. Isaias 35, 6. 2. i. e. anno. Cf. infra Chronogr. Corbeiensem ad 1146 Dec. 10. 3. Soest.

836 Iunio fleret prae gaudio, aut quis non exultaret pro tam devotae susceptionis occursu? Tales enim et tantos comites habentes, apud villam praedictam noctem unam quieverunt. Ibique quidam adolescens cum matre interfuit, qui habebat manum aridam a nativitate; statimque[a] ut coepit implorare Omnipotentis auxilium et sancti martyris subsidium, manum[b] sanam habuit ut alteram. In ipso etiam loco repertus est quidam, cui omnis potestas loquendi ablata est; qui tantam sanitatem adeptus est, ut ab omnibus qui aderant rectissime[c] audiretur resonare verba. Et mulieris cuiusdam debiles[d] pedes ipsa nocte naturali usui restituti sunt.

Praedictam tandem villam relinquentes, venerunt ad aliam cui nomen est Bracal[e][1], ubi multitudo magna populi advenit[f]. Plures etiam aderant debiles et infirmi, qui cupidi erant ab infirmitatum vinculis solvi. Inter quos cum quaedam mulier advenisset, quae habebat dexterum brachium ita contractum ab annis octo[g], ut nec os nec caput posset attingere nec ulli usui aptum[h] esset, antequam ad feretrum accessisset, coeperunt nervi paulatim relaxari et venae, quae fuerant aridae, sanguine repleri, cernentibusque pluribus[i] brachium[k] ita[l] sanum factum est, ut nullum curvationis signum in eo appareret. Qua de re cum dubitarent, testes etiam quaererentur, inventi sunt plurimi vicini et cognati; domina etiam ipsius[m] mulieris affuit in ipso loco. Ipsaque nocte etiam[n] curata est alia mulier, quae adeo erat debilitata iam annis decem, ut, si quando de loco ad locum ire vellet, aut iumento veheretur aut manibus versa vice pro pedibus uteretur; quae, sicut dictum est, curabatur, ut adminiculo alterius in ambulando non indigeret. Puella etiam parvula, a nativitate habens manum aridam et contractam, curata est. Et muto cuidam loquela restituta est.

Hactenus quae narrantur et alia quam plurima, quae oculis perspeximus et probatis testibus affirmantibus requisivimus, per

a. Statim 2. b. manum *om.* 2. c. rectissima 2. d. debilis 1. e. Brechal 2. f. adunata est 2. g. novem 2. h. apta 2. i. cernentibus plurimis 2. k. brachium *addidi.* l. genu *addit* 1. m. illius 2. n. etiam *om.* 2.

1. Brakel a Paderborna ad orientem.

spatium itineris, dierum scilicet viginti[1], per beatissimum martyrem Vitum in via gesta sunt. 836 Iunio

Tandem ergo, Christo propitio, finito coepto itinere, in[a] monasterium quod Corbeia nova dicitur, multitudine populi utriusque sexus de nobilissimo Saxonum genere nobiscum comitante, pervenimus pridie ante vigiliam sancti Viti, quod est Idus Iuni. 13
Iunii[b]; ubi ipsum sanctissimum corpus in loco congruo, ut dignum est[c], collocatum et positum est. Ibi summa et ineffabilis Trinitas ad confirmandam et roborandam[d] fidem gentis ipsius multas virtutes et sanitates operari dignata est. Fit enim in loco ipso conventus magnus cum magna devotione et alacritate, adeo ut per milliarium et eo amplius per circuitum monasterii tabernaculis nobilium virorum ac mulierum replerentur campi et agri, qui[e] ex omnibus partibus Saxoniae propter religionem et reverentiam beatissimi martyris Viti aliorumque sanctorum martyrum reliquias in ipso loco subsistentium convenerant. Inter ipsam denique multitudinem tam devote concurrentium nullum verbum turpe auditur, nullus iocus aut scurrilitas invenitur, sed die[f] noctuque Deo laudes et grates rependuntur, semper in ore ipsorum *Kyrie eleison* conclamatur, choros seorsum viri[g], seorsum feminae ducentes, per totam noctem in circuitu ecclesiae sine intermissione vigilias agentes, semper *Kyrie eleison* frequentant.

Igitur, ut superius dictum est, ad confirmandam fidem tanti concurrentis[h] populi in ipsa vigiliarum nocte quaedam miracula Iuni. 14
insignia per merita dilecti martyris sui[i] Viti Dominus ostendere dignatus est. Nam quidam homo claudus a nativitate inter innumerabilem multitudinem accedens, prae[k] foribus ecclesiae, mox ut coepit invocare omnipotentis Dei misericordiam, coram omnibus adstantibus et[l] circumstantibus, ita factus est sanus[m], ut solide supra pedes staret. Adolescens quoque quidam Theodoricus

a. in *addidi*. b. Iunias 2. c. est *om.* 2. d. corroborandam 2. e. que 1. f. diu 2. g. seorsum viri *om.* 1; seorsim 2. h. occurrentis 2. i. sui *om.* 1. k. pro 2. l. adstantibus et *om.* 2. m. ita sanus factus apparuit 2.

1. In hoc verbo mendum inest. A die enim 19 Mart. (quo quidem die ex monasterio S. Dionysii profecti sunt) ad diem 13 Iunii (quo die „finitum iter“ esse ostendit scriptor) praeterierunt dies 87.

836 Iuni. 14 nomine[a], a maternis humeris in ipsum locum deportatus et utroque genu contractus, in ipsa nocte pedum officia promeruit et in ipso loco remanens non recessit.

Iuni. 15 In crastinum vero, quod est 17 Kalendas Iulii, inter missarum sollemnia quidam homo claudus ita, ut nullam gradiendi facultatem haberet, sanus inventus est. Et mulier quaedam in ipsa hora illuminata est. Et cuidam parvulo organa vocis reddita sunt. Inter caecos vero et claudos, exceptis his, qui eo die sanitatem coram multitudine utriusque sexus, qui ad sollemnitatem fortissimi agonistae undique convenerant, percipiebant[b], fuerunt undecim. Ipso vero die[c], vespertinali officio peracto iam iamque nocte propinquante[d], cum in[e] Dei laudibus pro beneficiis a Deo concessis sibi qui aderant exultarent atque Deo laudes immensas redderent, repente affuit quaedam[f] puella parvula in medium adducta, quae annis sex fuerat lumine privata, quae[g] ipso momento ita illuminabatur, ut clare videret omnia. Sed et in ipsa hora alia puella muta et surda loquelam et auditum recipere meruit.

At vero postquam haec omnia[h] divulgata sunt et in omni regione diffamata, coeperunt magis et magis undique concurrere tam nobiles quam ignobiles, divites et[i] pauperes, sani et infirmi, in tantum ut nullus mansisse domi putaretur in omni illa provincia, qui non illuc[k] orandi gratia venisset. Sed et aliud miraculum, quod cunctipotens Deus[l] per suam[m] gratuitam misericordiam in ipso tempore per insensibilem creaturam ostendere dignatus est, sub silentio praetereundum non decrevi. Nam quadam die, dum cum multitudine sub desiderio prioris populi ac devotione vulgus ad memoratum locum properarent[n] et ad portum fluminis, cuius Wesara[o] est vocabulum, advenirent, accidit, ut navis ex altera parte fluminis sine gubernatore fixa staret. At hi, qui[p] transire cupiebant et navim ex altera parte conspiciebant, cum[q] neminem affore cernerent qui eam de loco moveret et[r] ad eos usque perduceret, cogitabant, qualiter eam exquirerent.

a. qui *add.* 2. b. percipiebant *om.* 2. c. die *om.* 1. d. appropinquante 2. e. in *om.* 2. f. quaedam *om.* 2. g. ab *add.* 2. h. omnia *om.* 1. i. quam 2. k. illuc *om.* 1. l. Dominus 2. m. suam *om.* 1. n. properaret 1. o. Wisera 2. p. qui *om.* 1. q. et cum 1, et 2. r. et — perduceret *om.* 1.

Interim dum haec aguntur et cogitantur, repente navis mota est a loco[a], in quo fixa erat, et paullatim natando sine remige et ventorum impulsu, licet caelum serenum esset, sponte ad eos recto tramite pervenit; illi autem accepta ea[b] fluvium transierunt. 836 Iunio

Post haec decrescente tempore et populi devotione magis et magis succrescente, in die ante vigiliam[c] sancti Iohannis, quae subsequitur in proximo, sancti martyris sollemnitatem[1] celebrantes, puer quidam ut putabatur annorum sex, adveniens ante reliquias sancti martyris, brachium habens contractum, post diutinam orationem prout valuit peractam sanus perfecte[d] inventus est. In crastinum vero officium vespertinale celebrantibus aderat quidam claudus, qui nullam gradiendi habuit valetudinem, nisi cum duobus baculis sustentaretur[e]; sicque sanus in eadem hora inventus est, ac si numquam claudicasset[f]. Iuni. 22 Iuni. 23

Deinde procedente tempore natalitiisque Petri et Pauli apostolorum prosequentibus, adveniens quaedam mulier, proprio carens lumine ab annis quinque, in eodem loco amissum munus recepit. Mox subsequenti proximo[g] die dominico quidam claudus et puella parvula utroque genu contracta[h] et gibba, donum salutis adepti, ineffabili laetitia sunt reversi. Non post multo tempore erat quaedam matrona nomine Hogardis, commorans in pago qui vocatur Lainga[i], et vir eius nomine Wigo ex nobili progenie, miserabiliter debilitata et contracta ex omni parte membrorum ab annis quatuor, quae ire nullo modo poterat, nisi manibus servulorum sustentaretur aut aliquo vehiculo duceretur. Haec cum audisset famam virtutum, quas Dominus meritis beati martyris operari dignatus est, iussit sibi carrucam, sicut mos est in illa regione, iungi, ascendensque, nostrum adiit monasterium, implorans et flagitans Dei et sancti martyris auxilium. Quae cum noctem insomnem prae nimia gravitudine corporis pertransire non quivisset et matutinali tempore gravi sopore opprimeretur, adstitit ei quidam[k] per visum in similitudine iu- Iuni. 29 Iul. 1

a. suo *add.* 2. b. navi 2. c. in die ante vigiliam *scripsi pro* in gloriam 1. 2. d. perfecte *om.* 1. e. sustentaretur *om.* 2. f. claudicaret 2. g. proximo *om.* 2. h. contracto 2. i. Lamga 1. k. quidam. *om.* 1.

1. sc. octavam S. Viti.

836 Iul. 1 venis dicens ei: *Quare dormis? Surge. Nonne audis, quantae laudes in ecclesia Deo solvuntur?* Tunc illa statim timore perculsa, rapido cursu pervenit ad ecclesiam ita sana, ut nullius egeret sustentatione[a], quae venerat sedens in carruca; ibique curata post aliquot dies ad propria reversa est.

837 Iun. 15 Vertente igitur dehinc anni curriculo[b] celebritateque sancti Viti iterum recurrente, quidam nostrae familiae habebat filiam, cuius manus sinistra ariditate in tantum detenta erat, ut ad nullum opus necessarium eam movere posset; quam inter multitudinem populi ita sanam vidimus, ut nullum crederetur habuisse malum. Iun. 22 Post haec iterato die, in quo octavas martyris celebravimus, affuerunt duae mulieres de villa cui vocabulum est[c] Erculbergh[d] [1]; una ex eis muta, quae paululum balbutire videbatur, altera utrisque pedibus contracta[e]. Muta quidem vocabatur Thietburgh[f], altera autem Hutburgh[g], quae utraeque sanitatis curatae medicamine, incolumes ad propria sunt reversae.

Iun. 23 In futura quoque sancti Iohannis baptistae vigilia quoddam nobis novum accidit miraculum, vetustissimis simile signis praecedentium patrum. Nam cum ex more ad vigiliarum surrexissemus officium celebrandum atque solito lucernae illuminarentur ecclesiae, accidit, ut craticulae[h] in medio ecclesiae appensae, in qua quinque vitreae lampades dependebant, trahente custode, funis rumperetur, et effuso oleo omnes[i] in pavimentum dispergerentur. Quas cum astantes fractas non dubitarent, accurrens custos ecclesiae[k] nomine Autgarius, ferens manu concham aeream, volens, antequam multitudo populi quae ad fores pulsabat irrumperet, fragmenta colligere et oleum, si quivisset; arripiens[l] utraque manu vitrum, proiecit cum magno crepitu in vas aereum, nullam iam habens spem eis amplius utendi ad usum pristinum. Iun. 24 Quae cum ita in secretario[m] reposuit, postera die ita ipsae lampades[n] integrae inventae sunt, ut nullum signum fracturae appareret.

a. sustentaculo 2. b. circulo 2. c. est *om.* 1. d. Freinbergi 2. e. contractis 2. f. Thietburg 2. g. Autburg 2. h. crucicula — appensa 2. i. omnia 2. k. ecclesiae *om.* 1. l. cum *add.* 2. m. secretorio 2. n. ipsae lampades *om.* 2.

1. Erkeln prope Brakel.

BOVONIS DE SUI TEMPORIS ACTIS FRAGMENTUM.

Bovonem I monasterii Corbeiensis ab anno 879 ad diem 29 Octobris a. 890 abbatem, cuius et ortum et virtutes et ingenium laudibus Widukindus extulit[1]*, de sui temporis actis scripsisse, unus Adamus Bremensis in Gestorum Hammenburgensis ecclesiae pontificum L. I. c. 41*[2] *commemorat simulque deperditi operis huius fragmentum infert. Hoc ut separatim legeretur, Lappenbergiana Adami editione usus sum.*

Berolini 5 Kal. Octobres a. 1863.

Cum modernis temporibus gravis barbarorum irruptio in 884
omni pene regno Francorum immaniter debaccharetur[a], contigit etiam, eos divino iudicio ad quendam Frisiae[b] pagum devolvi, qui in remotis ac mari magno vicinis locis situs, Nordwidi[c][3] appellatur[d]. Hunc igitur[e] subvertere aggressi sunt. Erat[f] illic eo tempore venerabilis episcopus Rimbertus[4]; cuius adhortacionibus et doctrinis confortati et instructi, christiani congressi sunt cum hostibus[g] et prostraverunt ex eis 10377, pluribus insuper, dum fuga[h] praesidium quaerunt, in transitu fluviorum necatis[5].

a. *al.* debaccharet. b. *al.* Fresiae. c. *al.* Nordwide, *al.* Norduich. d. *al.* appellant, *al.* hunc appellant. e. *al.* Quem. f. *al.* Erat enim. g. *al.* congressi sunt hostibus. h. *al.* fuge.

1. L. III. c. 2 (Mon. Germ. SS. III. 451) verbis his: „— omni virtute ac sapientia potior. Sed et ipse nepos erat Warini, qui ex milite factus est monachus et primus omnium apud Novam Corbeiam regulariter electus est in patrem". 2. ed. Lappenberg, in Mon. Germ. SS. VII. 299, ubi fragmento praemissa sunt verba haec: „Sed Bovo, Corbeiae abba, de sui temporis actis scribens, non reticuit dicens". 3. Norden Frisiae orientalis. 4. Bremensis. 5. De hoc proelio cf. Annal. Fuldenses 884 in Mon. Germ. SS. I. 400.

ANNALES CORBEIENSES
ET CHRONOGRAPHUS CORBEIENSIS.

Qui primus haec scripta in publicum protulit, Harenbergius[1] *cum et imperitia et libidine gravissime ea corrupisset, summa a Paulo Wigandio*[2] *in describendo codice adhibita diligentia, iam propius ad veram eorum formam accessit Pertzius*[3]. *Verumtamen novam hanc editionem comparaturus, cum necessario ipsum quo continentur opuscula codicem, nunc in tabulario Monasteriensi asservatum, adhibere statuissem, is benigne ac liberaliter huc missus et ad tollenda non pauca vitia singula et ad totius libelli partes distinguendas plurimum mihi profuit.*

Codex igitur membranaceus, notatus I B. 243, *quem quomodo anno 1634 ab interitu fors fortuna detraxerit in charta tegmini anteriori agglutinata monachus Corbeiensis diligenter exposuit*[4], *hodie duodecim folia comprehendit partim integra partim*

1. in Monumentis historicis adhuc ineditis. Braunschweig 1758. I. 1—45. 2. in Archiv für Geschichte und Alterthumskunde Westphalens V. 1—26. 3. in Monument. Germ. hist. SS. III. 1—18. 4. hoc pacto: „Fragmentum hoc libri pervetusti, in quo adhuc varia ecclesiam hanc Corbeiensem concernentia et alia historica annotata leguntur, inventum dicitur apud bibliopegam M. Petrum Pilger Huxariae anno 1634, scilicet post expugnationem praedictae urbis. Quo tempore a victorioso milite in prima furia inter caetera etiam pretiosissima quaeque monasterii nostri Corbeiensis, quae reverendissimus dominus abbas ibi penes se, tanquam in secura custodia detinebat, pro dolor, direpta sunt. Reliquam libri partem praedictus bibliopega iam tum consciderat et consumpserat. Cumque eodem tempore documenta nostra literaria a furente milite ex cistis vi effractis et perscrutandis eiecta et dispersa sint, hinc mirum non est, quod multa sigilla sint confracta aut penitus a literis separata, cum iacuerint sub pedibus conculcantium et tumultuantium militum, donec altera die, sedato paulum tumultu, illa, quae ablata et direpta non fuerant, iterum a nostris sint collecta. Ita notavi ex relatione seniorum nostrorum ego frater Fridericus (Sc)henckhausz anno 1670“.

plus minusve recisa. Primitus vero ita comparatus codex erat, ut exhiberet Dionysii Exigui Bedaeque circulum magnum paschae[1]*, qui ab anno 532 ad annum 1063 perveniens undeviginti annorum in se habet cyclos octo et viginti. Etenim quamvis magni circuli principium absit, tamen manus seculo XII antiquior*[2] *sic singulos annorum novenorum denorum cyclos in paginis singulis positos numeris inscripsit, facile ut appareat, codicem habuisse quaterniones duos sive folia sedecim; in quae quemadmodum cycli digesti essent, ostendit ea quae sequitur tabula ita confecta, ut et quae omnino perierint folia litteris minimis indicetur, et manus illius seculo XII superioris numeratio cyclorum quoad supersit cernatur:*

fol. 1	r		
	v		
- 2	r		
	v	532 — 550	
- 3	r	551 — 569	
	v	570 — 588	
- 4	r	589 — 607	
	v	608 — 626	
- 5	r	627 — 645	
	v	646 — 664	
- 6	r	665 — 683	
	v	684 — 702	
- 7	r	703 — 721	
	v	722 — 740	UNDECIMUS CYCLUS

1. in cuius versibus singulis indicantur a) Annus domini nostri Christi, b) indictio, c) lunae epacta, d) concurrentes, e) lunae cyclus, f) luna XIIII, g) dies dominica paschae, h) luna diei paschalis. — In inferiore cycli septimi decimi margine manus sec. IX vel X posuit ad illam tabularum partitionem spectantes versus hos:

Linea, Christe, tuos prima est quae continet annos;
Atque secunda tenet, cycli quae indictio constet;
Servabit numeros epactis tertia certos;
Quarta dies numerat septem bissextilis anni;
Quinta tibi ciclos lunaris conputet anni;
Iam quartas decimas designat sextaque lunas;
Septima nam paschae ostendit tempusque diemque;
Aetatem lunae monstrat novissimus ordo.

2. hic illic enim erasis huius manus notis superposuit alia scriptor seculi XII.

fol. 8	r	741 — 759	. . . .
	v	760 — 778	. . . .
- 9	r	779—797	. . . .
	v	798—816	QUINTUS DECIMUS CYCLUS
- 10	r	817—832	SEXTUS DECIMUS CYCLUS
	v	833—854	SEPTIMUS DECIMUS CYCLUS
- 11	r	855—873	OCTAVUS X CYCLUS
	v	874—892	NONUS DECIMUS CYCLUS
- 12	r	893—911	VIGESIMUS CYCLUS
	v	912—930	VIGESIMUS PRIMUS CYCLUS
- 13	r	931—949	VIGESIMUS SECUNDUS CYCLUS
	v	950—968	VIGESIMUS TERTIUS CYCLUS
- 14	r	969—987	. . . . . QUARTUS . . . .
	v	988—1006	VIGESIMUS QUINTUS CICLUS
- 15	r	1007—1025	VIGESIMUS SEXTUS CYCLUS
	v	1026—1044	VIGESIMUS SEPTIMUS CYCLUS
- 16	r	1045—1063	VIGESIMUS OCTAVUS CYCLUS
	v	. . . .	

Omnem autem paschae circulum exaraverunt manus duae, quarum prior, litteris quas vocant uncialibus usa, pervenit ad annum 740, posterior Anglosaxonica ab anno 779 ad a. 1063 progressa est; quapropter, cum folium in quo inerant adnotationes annorum 741—778 interciderit, verum scripturarum ambarum confinium monstrari nequit.

Rerum gestarum vero memorias marginibus codicis inscriptas, quarum editionem sum renovaturus, quadrifariam dispertiendas esse intellexi. Nam

1. ex annalibus Lindisfarnensibus, in Nordhumbriae insula scriptis, quorum vestigia etiam in annalibus Iuvavensibus maioribus et Fuldensibus antiquis[1] *inveniuntur, nonnulla sunt a priore circuli illius magni paschae scriptore posita, eaque iisdem quibus caetera litteris uncialibus.*

2. Tum annales aut Monasterienses aut Werthinenses oportuit nuncupari annorum septem memorias, nihil omnino ad Corbeiense coenobium immo vero ad Monasterium et

1. Mon. Germ. SS. I. 87, III. 116. Cf. annales Lindisfarnenses et Cantuarienses ibid. IV. 2 et Nomina episcoporum Lindisfarnensium in Monumentis histor. Britannicis I. 626.

Werthinam pertinentes, quarum novissima est anni 840, quaeque omnes uni et eidem manui Anglosaxonicae debentur; ut eas circiter eodem anno 840 illatas esse liqueat.

3. Deinde ipsi annales Corbeienses ab anno 822 ad annum 1117 patent, qui rebus quas tractant plerumque aequales sunt. Eius rei documento est manuum varietas, quarum quidem prima uno tempore res gestas annorum 822—879 attulit; ex quo perspicuum est, codicem intervallo annorum 840[1] *— c. 879 Corbeiam sive Monasterio sive ex coenobio Werthinensi delatum esse. Ex annalium scriptoribus, quos nemo neget monasterii Corbeiensis sodales fuisse, unus modo qualis fuerit quodammodo aperit, ad annum 1028 aetatem suam commemorans. Caeterum Corbeiensium et Quedlinburgensium annalium affinitatem primus vidit Lappenbergius*[2]*; licet obstet tam exigua rerum communitas*[3]*, quominus qua ratione consensus ille effectus sit accurate perspiciamus.*

4. Post triginta fere annos quam monachi adaugere breves annales suos destiterunt, Wibaldo anno 1146 abbate facto studiisque litterarum Corbeiae rursus excitatis, uberiore narratione res Corbeienses annis 1145—1147 gestas una cum narratiunculis quibusdam priora tempora attingentibus in marginibus codicis nostri exposuit scriptor paulo rudior et tumidior. Quem chronographum Corbeiensem appellandum arbitratus sum eiusque scripta ab ipsis annalibus segreganda, non modo quod et referendi genere procul ab illorum brevitate abhorrent, sed ut etiam, quaecunque scriptoris huius manu in codicem ingesta esse vidi, ea omnia unum sub aspectum subiciantur. Nomen historici ignoratur neque quidquam aliud de eo ostendi potest, nisi monasterii Corbeiensis medio seculo XII fuisse socium[4] *annoque 1147 legationis*[5] *officio in coenobio Kemnatensi functum esse.*

Berolini 8 Idus Octobres a. 1863.

1. Vide quae supra dixi de annalibus aut Monasteriensibus aut Werthinensibus. 2. in Archiv für ältere deutsche Gesch. VI. 641. 3. ad annos 822, 844, 865, 866, 873, 929, 933, 937. 4. id ipse saepissime significat hoc modo: „affirmabant fures, nos velle revisere" cet. 5. de qua vide quae affert ad annum 1147: „— dum fungebar in locum ipsum fratrum nostrorum ad decanam et prepositissam legatione" cet.

EX ANNALIBUS LINDISFARNENSIBUS.

. . . .

(658) FINAN[1] MERIT[a].

(663) ECLIPSIS Q̂SI X̂ HORA DIEI V. N̄. MAIAS[2].

(664) COLMAN[3] ABIIT[4].

(668) CONSTANTIN̄ XVII.

(669) ANTON̄ PIUS[5] XXIII.

(670) ✝ ECGFRID REGN̄ COEPIT.

. . . .

ANNALES AUT MONASTERIENSES AUT WERTHINENSES.

Una manu Anglosaxonica scripta sunt ab a. 809 ad a. 840 haec:

809. Obít Liutgarus episcopus[b 6].

820. Obít Theotbaldus abbas[7].

825. Ordinatio Sigeri[c].

831. Obít Wilmundus presbyter.

838. Willaricus episcopus[8].

839. Gerfredus episcopus[9].

840. Hludowicus imperator.

---

a. *sic pro* moritur *Annalium Lindisfarnensium, Iuvavensium maiorum, Fuldensium* (in Mon. Germ. SS. IV. 2, I. 87, III. 116). b. *alia saec. IX manus ad annum* 814 *posuit haec:* Karlus imperator 70us obiit. c. skgfrk *c. Itaque pro quoque littera vocali, quae eandem in alphabeto sequitur, consonans posita est;* k *bis pro* i; f *pro* e.

1. episcopus Lindisfarnensis. 2. die 1 m. Maii a. 664 solem obscuratum esse constat. 3. episcopus Lindisfarnensis. 4. e Lindisfarna. 5. permirum videtur, quo errore iste imperator huc irrepserit. 6. abbas Werthinensis et episcopus Monasteriensis. 7. Maxime verisimile est, hunc fuisse Thiatbaldum illum presbyterum, qui ap. Lacomblet Urkundenbuch I. n. 7, 8, 10, 11, 13, 14, 16, 17, 19, 20, 22, 27, 28, in tredecim tabulis Werthinensibus ex spatio annorum 796—806 se offert verbis his: „Ego Thietbaldus humilis presbiter rogatus scripsi et subscripsi". 8. Bremensis. 9. episcopus Monasteriensis et rector coenobii Werthinensis.

ANNALES CORBEIENSES.

Prima manus Corbeiensis circiter anno 879 scripsit memorias annorum 822—879; quae his memoriis paullo recentiores manus interposuerunt, ea litteris inclinatis exprimenda curavi.

822. Inchoatio novae Corbeiae monasterii.

836. Adventus sancti Viti.

844. Dedicatio eclesie nove Corbeie SANCTI STEPHANI PROTOMARTIRIS.

851. Geroldus abbas obiit.

855. Hlotharius imperator obiit.

856. Warinus abbas obiit.

857. Signa prodigiosa multa; et Treveris in eclesia canis in sede pontificali visus[1].

858. Inundatio nimia.

863. *Dedicatio novae ecclesiae sancti Pauli.*

864. Adventus sanctae Liuttrudis virginis.

865. *Ansgarius archiepiscopus obiit.*

866. *Nicolaus papa obiit.* 867

867. *Dedicatio . . . .*

869. Hlotharius rex obiit.

870. *Basilica ictu tonitrui fulmine percussa ad orientem exarsit.*

873. Item inundatio nimia et locustarum prodigiosa multitudo. *Hoc anno fundamenta trium turrium posita in Corbeia nova a venerabili Adalgario abbate 6 Idus Aprelis, feria quarta.* Apr. 8

876. Hluthowicus rex obiit, Hludowici imperatoris filius. Bodo infans occisus est.

877. Adalgarius et Thancmarus abbates obierunt.

878. Ecclypsis solis.

879. Avo abbas obiit; Bovo *senior*[a] abbas ordinatur.

a. senior *scripsit manus anni* 900 *super* Bovo.

1. huius rei mentio est etiam in Prudentii Trecensis annalibus ad a. 857 et in Gestis Treviror. (Mon. Germ. SS. I. 450, VIII. 165). Cf. adnotationem codicis Luxemburgensis 113 sec. XI, quam descripsit Bethmannus in Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde VIII. 595.

Huc usque scripsit prima manus Corbeiensis; abhinc manus variae memorias attulerunt.

880. Thiadricus[1] et Marcwardus[2] episcopi occisi sunt.

885. Dedicatio trium turrium.

886. Vulfharius episcopus[3] occisus est.

887. Arnulfus rex Karoli imperator[a] . . . .

888. 3[b] Idus Iunii Rimbertus archiepiscopus[4] obiit.

889. Dodo monachus obiit. Et Arnulfus rex venit ad novam Corbeiam.

890. Bovo *senior*[c] abbas obiit; Godescalcus abbas ordinatur.

891. Cometae et ecclipsis solis. Sunzo[5] interfectus, et Regenesburg concremata. Adventus sancti Iustini.

896. Inundatio nimia.

899. Arnulfus imperator obiit; Hluthuwicus filius eius regnavit[d].

900. Hoc anno Bovo iunior[e] abbas ordinatus est.

Mai. 19 905. In pentecoste cometae apparuit.

906. Conradus dux occisus. Ungarii in Saxoniam venerunt. Adalberhtus oc(cisus).

Apr. 5 907. In paschae diebus cometae apparuit. Baioariorum gens ab Ungariis pene deleta est.

909. Adalgarius archiepiscopus[f6] obiit.

911. Hluthowicus rex obiit; Conradus rex.

912. Cometae apparuit. Oddo comes[7] obiit.

913. Godescalcus abbas obiit, et Heio presbiter.

915. Devastacio Hungariorum in Valun[8]; et bellum in Heresburg[9].

916. Bovo abbas obiit.

917. Hogerus archiepiscopus[10] obiit.

a. *super* imperator *positum est signum hoc* ÷|÷, *sed additamentum haud dubie eodem signo notatum periit.* b. IIII correctum est in cod. in III. c. senior *scripsit manus anni* 900 *super* Bovo. d. regn̄ *c.* e. iunior *eadem manus posuit super* Bovo. f. archi *manu eadem scriptum est super* episcopus.

1. I ep. Mindensis. 2. ep. Hildeshemensis. 3. Mindensis. 4. Hamburgensis. 5. archiepiscopus Moguntinus. 6. Hamburgensis. 7. pater Heinrici I regis. 8. in Falorum terra. 9. v. Widukind. I. 23. 10. Hamburgensis.

918. Conradus rex obiit; Heinricus regnare coepit.

919. Ungarii Saxoniam crudeliter vastabant et cum infinita praeda et maxima captivitate utriusque sexus ad proprias reversi sunt terras, Domino irascente adversum nos.

927. Herigerus[a] archiepiscopus[1] obiit; Hildibertus archiepiscopus[1] ordinatus est.

Anno ab incarnatione Domini 929, indictione 2, 2 Non. Sept., feria 6, oriente sole facta est pugna valida iuxta flumen quod vocatur Alpia[2] contra Sclavos, in qua prostrati sunt de paganis 120 milia[b], captivi vero 800; de nostris vero duo duces Liutharii, quidam vero vulnerati, alii autem prostrati. Sept. 4

933. Ungariorum exercitus ab Heinrico rege interfectus est.

934. Heinricus rex Danos[c] subeit.

936. Heinricus rex obiit; regnavitque Oddo rex filius eius pro eo. Et Unni archiepiscopus Hammaburgensis profectus in Scithiam predicandi gratia verbum Dei ibique defunctus ac sepultus est. Rathubodo obiit monachus.

937. Hildiberhtus archiepiscopus obiit; et eodem anno Frithuricus archiepiscopus ordinatus est Mogontinensis. Et monasteria Fuldense et sancti Galli exarserunt. Et Arnulfus dux[3] obiit.

938. Thancmarus[4] occisus est. Et Ungariorum exercitus in Belxam[5] deletus.

939. Sol visus est inminutus tertia diei hora, 4 Idus Iul. Evurhardus[6] et Isliberhtus[7] duces occisi sunt.

941. Cometae apparuit.

942. Inundatio nimia. Folcmarus abbas obiit; Bovo abbas ordinatus est.

948. Bovo abbas obiit; Gerbernus abbas ordinatus est.

949. Translatio capitis sancti Iustini martiris de Magathaburg ad novam Corbeiam.

a. *alia manus ante* Herigerus *posuit:* Hic † b. $\overset{i}{\text{m}}$ *c.* c. Danaos *est in codice correctum in* Danos.

1. Moguntinus. 2. Elbe fl. 3. Bavariae. 4. Heinrici I regis filius. 5. pago ad Albim fl. 6. dux Francorum. 7. dux Lothariensium.

954. Frithuricus archiepiscopus[1] obiit.

955. Conradus comes[2] occisus; et Ungariorum et Sclavorum exercitus a rege Oddone deletus.

957. Liudulfus filius regis in Italia obiit.

959. Hoc anno signum sanctae crucis in vestimentis hominum et in corporibus.

961. Hoc anno Oddo rex Romam profectus est.

962. Obiit Adalwardus infans 2 Kal. Ian.

965. Hoc anno Gerbernus abbas obiit; et Liudulfus abbas ordinatus.

968 Anno dominicae incarnationis 967, 2 Idus Martii obiit Mahthildis regina; 5 Nonas Martii obiit Willihelmus archiepiscopus[3]; 2 Non.[a] obiit Bernhardus episcopus[4]; 15 Kal. Decembris obiit Hildiboldus episcopus[5]; 7 Idus Novembris obiit Drogo episcopus[6]; et ceteri[b] fideles obierunt Thiatharius et Billig.

968. Inundacio nimia.

Isto[c] anno imperator et augustus reversus Otto de Benaventanis, repugnantem Romanum orbem victor subegit.

969 Sequenti ergo anno intra civitatem insidiis preventus, et bis victor extitit.

970? Secunda profectione Spolitanos et Camerinos, Tuscanos Calabriamque subegit.

973. Oddo imperator obiit; Oddo filius eius regnum suscepit.

974. Hoc anno nimia siccitas facta est per totam aestatem.

975. Hrodbertus archiepiscopus[7] obiit; Willigisus ordinatus est. Ignis visus est ferri in aere, grossitudinem habens ex anteriori parte quasi unius trabis; in quibusdam locis in terram, in quibusdam in silvam, in quibusdam vero in aquam visus est cecidisse. Et cometae apparuit multis noctibus ab oriente et aquilone iuxta signum Gemini.

978. Hoc anno obierunt tres infantes: Avo, Mainwercus, Weluth.

a. II. n̄. *c.* b. cet' *c.* c. Isto — Calabriamque subegit *in margine inferiore ad annum* 968 *apposita sunt. Manus posterior ascripsit haec:* DCCCC.

1. Moguntinus. 2. gener Ottonis I regis. 3. Moguntinus. 4. Halberstadensis. 5. Monasteriensis. 6. Osnabrugensis. 7. Moguntinus.

979. Gero comes decollatus est.

981. Hoc anno nimia siccitas facta est per totum annum.

982. Hoc anno pugnavit Oddo imperator contra Saracenos inter Apuleiam et Siciliam provintiis, et deletus est exercitus eius; et multi de populo cesi sunt, invicem se demolientes, de Saxonibus.

983. Folcmarus monachus obiit Patharbrunensis episcopus. Lidulfus abbas obiit.

991. Obiit Theophanú imperatrix.

992. Sinodus facta[a] est in Aquisgrani.

994. Duo fratres comites capti, Heinricus et Sigifridus, et tertius Udo occisus est. Valida hiems et fames magna.

998. Bellum inter Saxones et Sclavos, sed Deo auxiliante Saxones victores effecti sunt.

999. Villa Huxeli[1] divina igne concremata est.

1001. Hoc anno Thiadmarus abbas obiit.

1002. Hoc anno inperator Oddo tertius obiit.
Otto[b] imperator obit; Heinricus rex.

1008. Liudulfus Treveris episcopus obiit.

1009. Traditi sunt fratres nostri Heinrico.

1010. Hosed obiit abbas; Walh successit. Willigis presul[2] obiit; Erkanboldus ordinatur[c].

1011. Hic[d] ordinatus est Walh abbas.

1014. Hic depositus est Walh abbas[3], et Druthmarus[4] Corbeiae preficitur. Bernharius episcopus obiit Ferdensis, et magister Alfricus et C . . . . .

1019. Heimered monachus in vigilia sancti Petri obiit[5], et Iun. 28
statim multas virtutes Dominus per eum operatus est. Hoc
anno imperator in natali sancti Viti Corbeia fuit cum multa Iun. 15
ambitione.

a. fact' *c.* b. Otto — rex *addidit manus alia.* c. ord *c.* d. *ante* Hic *posuit alia manus:* Hic †.

1. Höxter. 2. Moguntinus. 3. circ. die 29 Mart. V. Thietmari Chron. L. VII. 8. 9 (Mon. Germ. SS. III. 840). 4. monachus Lauresha-mensis. V. Thietm. l. l. et infra p. 39 n. 1. 5. in Hasungen monte. V. Vit. S. Haimeradi ed. Köpke in Mon. Germ. SS. X. 595.

1020. Hiemps magna. Sanctus Heribertus Coloniensis archiepiscopus migravit ad Dominum.

1024. Benedictus[1] papa. Gero comes obiit. Heinricus imperator obiit, Cuonradus successit.

1025. Fames maxima, in tantum ut plurimi fame morerentur; insuper et pestilentia maxima. Eodem anno Bolizlaus Sclavus in regem[2] unctus est; ac non multo post mortuus est.

1026. Antiqua[a] Corbeia, monasterium sancti Petri apostoli,
Aug. 10 penitus concremata est in natali sancti Laurentii.

1028. † Ducenti sedecim anni Corbeiae[3]. Anni sexaginta quatuor mei sunt hic.

1035. Hoc anno terre motus factus est 10 Kal. Iunii, hora 10.

1036. Hoc anno villa Huxeli divinitus concremata est et mortalitas in nostro monasterio facta.

1039. Chuonradus imperator obiit; Heinricus filius ipsius succedit.

1040[b]. Iterum divinitus hoc anno villa Huxeri, ita ut non nisi paucae domunculae remanerent, concremata est; nemo enim, unde provenerit, scire potuit.

1041. Gloriosus rex H(einricus) Boehemos nobili victoria subiecit.

1043. Prima expeditio regis in Ungariam, Deique dono totam provinciam in occidentali parte Histri subegit. Hoc anno rex Agnetem, filiam Willihelmi de Pictavis, duxit.

1044. Secunda expeditio regis in Ungariam; in qua largiente divina clementia victor existens, gentem totam cum paucis subiecit, ipsisque regem ab eis antea regno privatum[4], sibi per iuramentum iam fidelem factum, instituit; ac sic cum grandi laetitia exercitus revertitur. Hoc anno Benedictus[5] papa domno

a. Antiqua — Laurentii *in margine posita sunt utque ad annum* 1026 *referrentur, scriptor bis addidit* Hic :, *et ante* Antiqua *et ad anni numerum.* b. *alia manus ante* 1040 *posuit haec:* Ind. ō XII l (*i. e.* indictione octava, 12 luna).

1. VIII. 2. Poloniae. 3. immo anni 206 interfuere inter Corbeiam anno 822 conditam et annum 1028. 4. Petrum. 5. nonus.

Druhtmaro abbati misit epistolam[a]. Vindemia hoc anno periit; sed et mel similiter carum fuit.

1045. Fames magna, ita ut multi perirent. Villa Huxeli concremata. Hoc etiam anno Bruno episcopus Wirziburgensis obiit. Rex etiam pentecosten, quae 7 Kal. Iunii evenerat, in Mai. 26 Ungaria, invitante eum quem ipse priori anno instituerat regem, peregerat. Sed et duo fratres ex antiqua Corbeia ad nos venerunt.

1046. Nix nimia. Frigus nimium. Tempestas maxima.

1046. Domnus Druthmarus 15 Kal. Martii obiit[1]. Sta- Febr. 15 timque 7 Kal. mensis eiusdem, domno Heinrico tunc rege Cor- Febr. 23 beiam veniente, ipsa die quae dominica fuit unanimiter, rege in conventu fratrum residente, Rothardus in abbatem eligitur; sequenti dominica, hoc est 6 Non. Martii, Trotmanni[2] abbas con- Mart. 2 stituitur; proxima mox dominica, hoc est 7 Idus Martii, Cor- Mart. 9 beiam deducitur, in sede ponitur et ab episcopo Patherbrunnensi Roth[3] nomine, qui legatus tunc regis fuerat, abbas per benedictionem constituitur.

1046. Terre motus 5 Idus Novembris in Tridentina valle Nov. 11 nimius, adeo ut ultra 30 castella, aliqua etiam supra homines, ruerint, montes terre motu subsederint. Tar insuper fluvius, montibus cadentibus interclusus, plus 10 dies nec unam guttam ad alveum dimisit. Multa preterea terre motu eodem in maritimis facta horrifica. Synodus magna et prima Papiae, presente domno H(einrico) tunc rege; secunda Sutriae, in qua in presentia regis secundum instituta canonum depositi sunt papae duo, medius et ultimus; tercia Rome feria 3 et 4[b], quae fuit Dec. 23. 24 nativitatis dominicae vigilia, in qua canonice et synodice depositus est papa Benedictus et unanimi cleri ac populi electione in locum eius substitutus est Suidgerus Bavenbergensis episcopus, et postera die nomine Clementis papa consecratus, domnum Hein- Dec. 25

a. epl̄m. *c.* b. *sic est in codice correctum* 4 et 5.

1. De eo in Kalendario Lauresham. ap. Böhmer Font. III. 145 leguntur haec: „15 Kal. Mart. Drutmari abbatis. Hic istinc praelatus Novae Corbeiae, congregationi composuit sermonem et cantum in honorem sancti Nazarii". 2. Dortmund. 3. 1036—1052.

ricum voto et favore maximo populi Romani coronavit inperatorem.

1047. Clemens papa obivit.

1050. Routhardus abbas deponitur, cui Arnoldus[1] successit.

1055. Arnoldus abbas obiit[2].

1056. Saracho ordinatur. Heinricus III obiit; filius succedit.

1059. Routhardus, abbas noster depositus, Herveld ordinatur[3].

1062 1063. Pugna Goslariae in ecclesia pro dispositione sellarum episcopi Hezelonis Hildinisheimensis[4] et Wideradi abbatis Ful-
Dec. 25 densis, priori vice in die natalis Domini ad vesperam absque
1063 Iun. 8 gladiis, secunda vice in pentecoste etiam gladiis.

1065. Willehem basthard, legitimo rege Anglorum expulso, regnum sibi arripuit. Nicea terrae motu ex magna parte eversa est.

1067. Rex quaedam castella in Saxoniae finibus posuit. Adelbertus, cum Saxonibus congressus missu regis, vicit.

1070. Otto Bawariorum ducatum amisit. Qui iuxta Eskeneweg[5] multam hominum cedem fecit. Quindelincburg exusta est.

1087. Willehem basthard obiit.

1088. Buggo episcopus[6] Goslariae in seditione occisus est.

1089. Egkibertus marchio Udonem episcopum Hildenesheimensem cepit.

1090. Ekkibertus marchio in quodam molendino insidiis periit.

1092. Counradus comes[7] cum multis aliis a Morsaciensibus[8] occisus est.

1. is anno 1051 etiam Laureshamensis abbas factus, ecclesiae Spirensi praeesse episcopus coepit anno 1054; ut liquet potissimum ex Chronico Laureshamensi (Codex Lauresh. Mannhemii 1768 T. I) p. 176. 2. die 2 Oct., ut docet et Catalogus abbatum infra et Kalendarium Laureshamense ap. Boehmer Font. III. 150. 3. Cf. Lamberti Annales ad 1059. 4. 1054—1079. 5. Eschwege ad Werram fl. 6. Halberstadensis. 7. de Werla. 8. Fresiae orientalis incolis. V. Annal. Hildeshem. 1092: „a Fresonibus occisus est“; Annalist. Sax. 1092: „a Fresonibus, qui dicuntur Morseton, occisus est“. Cf. Annal. Egmundan. 1163 (Mon. SS. XVI. 463) „In Fresia superiori, quae Saxoniae contermina est et vocatur Morsatia.“

1093. Discordia inter H(einricum) IIII et eius filium Counradum. Multi principum obierunt.

1094. Divortium inter imperatorem et uxorem eius Adelheidam.

1095. Imperator de Italia rediit. Rotbertus[1] occiditur.

(1096.) . . . . statuerunt visere sanctum sepulcrum, quorum multi in Ungaria perierunt. Iudei Moguntiae et variis locis occisi[a].

1097. H(einricus) imperator de Italia rediit.

1099. Heremannus[2] Coloniensis episcopus obiit; Fridericus[3] successit. Cuius dono Godefridus, edituus sancti Viti, reliquias sanctarum virginum nobis advexit. Heinricus V unctus est in regem Aquisgrani.

1100. Liudolfus et Drutmarus abbates translati etiam miraculis claruerunt. Heinricus comes Pinguis[4] interfectus est[5]. 1101

1102. Destructa est congregatio Corbeiensis, expulso Marcwardo abbate per Guntherum[6] Heresveldensem, qui pecunia eum supplantavit.

1103. Guntherus divina ut putatur ultione interiit. Marcwardus reversus omnia, quae ille iniuste prestiterat, beneficia recepit. Eppo vir potens Houltessen[7] remittere noluit, set ait: *Cum Huclehem*[8] *dimittam et Huldesson.* Et factum est; nam brevi post occisus, non scilicet ultra duas ebdomadas, Hucleheim Houltesson et vitam perdidit.

1104. Sigehardus[9] Radispone occisus.

(1105.) H(einricus) quintus contra patrem insurrexit.

1106. Abbas Marcwardus obiit; domnus Erkenbertus[10] abbas[11] constituitur. Obiit Heinricus[12] archiepiscopus Magadeburgensis. 1107

a. *Sequuntur haec:* Routpertus praepositus occisus est. *Sed haec erasa sunt; cf. ea quae leguntur ad a.* 1095.

1. praepositus. V. not. a. 2. III. 3. I. 4. sive Crassus, marchio Fresiae. 5. anno 1101; Vid. Annalist. Saxon. 1101. 6. II abbatem Hersfeldensem. 7. Holtensen prope Nordheim. 8. Höckelheim prope Nordheim. 9. comes de Scala. 10. abbas Merseburgensis. Vid. Annalist. Sax. 1107. 11. Corbeiensis. 12. I.

1107. Obiit Sigefridus comes. Expeditio regis in Flandriam.

1108. H(einricus) quintus Ungariam cum expeditione adiit; cum quo et Erkenbertus abbas exiit. Quo tempore fures, duce quodam Counrado noctu monasterium irrumpentes, aurum gemmas et argentum sustulerunt et sanctorum reliquias cum corpore Domini. Quas Dei gratia, preter reliquias sanctae crucis, omnes recepimus. Eo anno Baldwinus, rex Ierosolimorum, reliquias crucis et de sepulcro Domini cum aliis multis reliquiis nobis transmisit.

1109. Routhard episcopus Maguntiensis obiit; pro quo designatur Adelbertus cancellarius. Dux Boemicus Zuetobold occisus est.

1110. Cometa apparuit a 5 Idus Iunii usque ad 2 Kal. Iulii. Gebehardus[1] episcopus Constantiensis obiit.

1111. H(einricus) quintus, Romam cum expeditione profectus, apostolicum cepit. Postea absoluto ei satisfaciens, coronatus est. Ubi etiam abbas .... Corbeiensis affuit. Rege reverso, sepultum est demum permissu papae corpus H(einrici) quarti. Domnus Paschalis papa renovavit privilegio dignitates loci nostri.

1112. Puer in ecclesia sancti Viti de summitate machine ad picturam ecclesiae erectae decidit, et per multa obstacula sepe receptus, illesus in pavimentum deveniens, supra pedes etiam intrepidus stetit. Discessio Liutgeri ducis et Routhulfi marchionis a rege. Adelbertus, designatus Moguntiae, capitur a rege in Langesdorp, convictus conspirasse contra eum.

1113. Imperator Horneburg obtinuit. Sifridus palatinus occisus. Wigbertus comes captus. Expeditio adversus Reinholdum[2].

1114. Nupsit H(einricus) V cum maximo regni tripudio filiae[3] Anglici regis[4]. Dux Liutgerus armata manu Slavos aggressus et ad interiora progressus, quandam regionem subegit; qui cum saluti diffiderent, sancti Viti se quondam tributarios confessi, pro eius honore a duce vitae sunt relicti. Udo episcopus[5] obiit[a].

a. obuit *c*.

1. III. 2. comitem Barri et Montionis. Cf. Ekkehardi Chron. 1113. 3. Mathildae. 4. Heinrici I. 5. Hildesheimensis.

1115. Saxones contra Heinricum V bellum fecerunt in Welpeshulte, Dei gratia victores. Quidam vero scelestus Burchardus, manus contra Christum mittens, Erchenbertum abbatem captivavit, et ut 200 marcas exsolveret, preter quae in captione amisit, coegit, per hoc vere inferni penas mercatus; actum in quadragesima, die annuntiationis sanctae Mariae. Mart. 25

1116. Sanctus Vitus in villa Werle quendam demoniacum, cum parentes eum nostro monasterio adducendum vovissent, menti restituit. Bremia tota, Wormacia pro maiori parte exusta est, et Frikenhurst[1]. Certamen apud Wormaciam.

1117. Terrae motus magnus in Saxonia.

CHRONOGRAPHUS CORBEIENSIS.

790. Hoc anno hostili pergatione Karolus rex Pannoniam devastavit.

844. Hoc anno Loutharius rex Rugiacenses Scravos[a] devictos, et rege ipsorum perempto Gestimulo, tradidit huic novae Corbeiae*.

* *Alia manu saec. XII addita haec sunt:* 844. Hlotharius rex cum orientalibus Francis venit in Slaviam, Rugian vocitatam, et eorum regem Gestimulum occidit, ceterosque sibi subegit[2] et dedit ecclesiae novae Corbeiae.

1090. Hoc anno cum dubitaretur, an apud nos esset corpus preciosi pueri et martiris Viti, domnus Marcwardus abbas cum senioribus inquirens, cum omnibus pene membris suis eum invenit 7 Idus Iulii.

(1114) . . . . . Dux autem Liutgerus, in ipsa sua expeditione ad interiores Slavos habens in auxilio marchionem Heinricum Stadensem. Qui contraxerat Scyrcipensium[b] Sclavorum 300

a. Sc^r^avos *c.* b. *sic est in ipso codice correctum* Scurcepensium.

1. Frekenhorst prope Warendorf, a Monasterio ad orientem. 2. Cf. eos, qui in annalibus Hersfeldensibus nituntur, annales Hildeshemenses et Quedlinburgenses ad a. 844 in Mon. Germ. SS. III. 46.

1114 equites, id est centum de unaquaque urbe sua; nam tres urbes cum suis territoriis tantum possident, quae disterminantes per singula, provinciolas esse referunt. Qui, peracta expedicione, conventi per interpretem a duce, cui marchionio subacti fuissent, omni hesitatione semota, marchioni, cui tunc ad praesens militarent, armis obsecundare se debere legaliter, libere ac secure referebant. Hinc dux oppido indignatus, nisi sagacitate nobilium virorum animum ad instans compositiorem resumsisset, suspendio ut fatebatur omnes peremisset. Sedatus autem tandem cum de qualitate census terre sue aut cui recompensarent edicere annuisset, denuo intulerunt: civitati Corbeiae, sancto Vito quodam inibi patrocinante ac dominante, annuatim se debere aut vulpinam pellem aut bis vel ter dena[a] nomismata, Bardenwiccensis monetae simillima vel propria, de unius cuiusque soli sui unci cultura, quem nostrates[b] aratrum vocitant. Haec autem provinciola est trium tantum, ut infra[c] dictum est, urbium sive in tres divisa provinciolas[d]; Rugiacensibus et Havelbergensi episcopio interiacet. Haec Conrado urbico Frakenlevensis ministeriali nostro et alio Conrado[e] de Gronige referentibus, ipsi expedicioni consertis, ad nos sic delatum hic inseruimus.

1145. Tercio destructa est urbs Eresburg*. Primo enim per Karolum Magnum: undecimo anno obsidionis fraude cepit et devastavit; secundo per Fridericum principem Arnesburgensem[1] precatu Erkenberti abbatis[2]; tercio per Wolcuinum, virum pre-

* *Manus eadem addidit haec:* Hec est Arisburg; hec eadem Eresburg est corrupto vocabulo[f] dicta. Quam et Iulius Cesar Romano inperio subegit, quando et Arispolis nomen habuit ab eo, qui Aris Greca designatione ac Mars ipse dictus est Latino famine. Duobus siquidem idolis civitas hec dedita fuit culturae: id est Aris, qui urbis meniis insertus[3] quasi dominator dominantium, et Ermis qui et Mercurius mercimoniis insistentibus colebatur in forensilibus.

a. bis t̄ ... terdena *c.* b. nostrastes *c.* c. *sic pro* supra *c.* d. in tres divisa provinciolas *scripsi pro* in tres divisas *c.* e. .C. *cod.* f. vocalo *c.*

1. qui obiit a. 1124. 2. 1107—1128. 3. de hoc Martis simulacro cf. Grimm Deutsche Mythologie (ed. 3) I. 100.

potentem Sualenburgensem. Nam werra inter ipsum et domnum Heinricum, filiae[1] Friderici premissi filium, de Arnesberg oborta. Quem et incolae montis Eresburg ad contuendos se cum urbe adtraxerant; et ipse fortes viros, domnos videlicet Scardenbergenses et Casebergenses, inibi collocare decreverat ad humiliandum ipsum Wolcwinum, qui et ei videbantur inimicari. Condictam ergo diem, quando et convenire in monte debebant, ut unusquisque suam turrim altam et firmam inibi construeret, domnus Heinricus abbas qui et urbem reedifficaverat et domnus Volcwinus — animotenus retractantes, iacturam dicioni suae ac circumiacentibus late bonis suis de his eventuram — diem prevenerunt, montem ascenderunt, quid facto opus foret cum non repperirent, tota die illa consultantes, ut sine populi dampno inhabitantis fieri ullatenus posset, in crastinum distulerunt. Cumque sol subsequentis diei aurore indicio se prodidisset, inconsulto et inscio abbate adhuc etiam et dormitante, per milites domni Volcwini nutu ipsius circumquaque urbs succenditur et consumitur. 1145

Eodem anno fames aspera. Et fures plures, ex militibus fortioribus factione perniciosa conglobati, multos in hac terra durius angebant. Denique Vuldensem ecclesiam patera Hathemari[2] et multis thesauris spoliabant, et non nullas alias huius terrae ecclesias[a] rebus propriis et eis aliunde illatis idem predones vel fures privabant; sicut et in[b] hanc Corbeiensem fecissent, nisi et consolatrix et adiutrix divina gratia et patronorum nostrorum magnificentissima merita et sanctorum pignera, quorum hic habentur abundantissime, nos adiuvarent[c]. Nam 1146
anno dominicae incarnationis, secunda nocte[3] — quando et Dec. 25—26
omnes pene somno plus egentes nostrates ob prolixiorem servimінis Domini laudem, que prioris noctis[4] oportunitatem intri-

a. ecclesias *addidi.* b. in *addidi.* c. adadiuvarent *c.*

1. Sophiae, uxoris Godefridi I comitis de Kuik. 2. abbatis Fuldensis 927—956. 3. anni 1146, ab incarnatione Domini incepti, nox secunda fuit ea, cuius medium diremit diem 25 a die 26 m. Decembris a. 1145. 4. nam media nocte (24—25 Dec.) sollemnitas nativitatis Domini agi coepta erat, sicuti etiam nunc moris est.

1145 Dec. 25—26 caverat, et omnia fuerant nostra reserata et in propatulo constituta — navigio venerunt, pomerium transierunt, criptam sanctae Mariae quidam ex illis conscenderunt, quatinus, et ablata orientali fenestra sanctuarii[a], expedicius intrare et exire inibi valerent. Introspicientes autem sacrarium, visum est eis, multitudinem militum in armis exornatissimis ibi consistere. Que dum socii audissent nec fidem adtribuissent, alios secundo ac tercio ascendere instituerunt; qui omnes, sic se vidisse, adtestati sunt. De inde ad australes valvas templi accedunt, aditum querunt, quo desiderata repperiant. Assunt ergo divinitus missi, in habitudine militari, qualitate premissi[b]. Illi nihilominus et ibi eos annoscentes, acsi forent quos in sacrario viderant, abscedentes[c] igitur non acto negotio, degunt seorsum positi magno intersticio, ut, ubi lassi non subsistere aut durare nequissent, aliam adeundi viam obtinerent. Orientalem itaque criptae fenestram adeunt et, si quid horum simile sit etiam ibi, rescire volunt. Set nihilominus divinitus ostensos, qui non affuerant elementarie, vident fratres et laudibus divinis audiunt devotius insistere; hisque consertos non nullos honestiores miliciae. Recedunt ergo denuo et se recondunt ad potiorem fortunae oportunitatem in pomerio. Benedictus autem Dominus, per quem, frustra talem[1], opperientes ad matutinalia signa usque inibique perdurantes, infecto negocio recesserunt.

1146 Ian. Mart. Hac fama longe lateque rotante, affirmabant ipsi fures, nos velle ante paschale[d] festum[2] revisere. Unde nimio pavore omnes nos perterriti, fratres, cives et honestiores Huxarientes et humiliores strenui, in hoc conventi, quatinus et armis muniti per vices suas custodias servarent circa sacrarium sollicitudine pervigili. Quod et factum est Domino amminiculante, sine quo in vanum vigilant qui custodiunt civitatem[3]; quod et exinde claret evidentius, quia et nos admodum pauci. Nam diutinum tempus, quo durabant eorum coadunationes et terrores minaces, id est ad paschale festum, nequibant haberi per noctes singulas, qui

a. scanctuarii *c.* b. *an* premissa? c. abcedentes *c.* d. phascale *c.*

1. sc. oportunitatem. 2. ante Mart. 31. 3. Psalm. 126, 1.

forent illis numero et fortitudine comparabiles, ob quod et fuerant multi, sicut et sciri potest per factum omnium pene cognitioni consertum. 1146 Ian. Mart.

Nam cives ville, quae provinciarum duarum harum Saxoniae ac Turingiae fines disterminat, Dhuwige nomine, cum designata nocte cognovissent illos ad se venire decrevisse, plures in auxilium suum adsciverunt et clam in ecclesiam statuerunt et eam conpleverunt, ut, ubi hostes venirent, dono divino aliquem ipsorum vivum caperent, per quem reliquos scire valerent. Venientibus ergo illis, set non ut isti obtabant, ad ecclesiam unanimes et simul accedunt, et nec morae isti intersticium captantes, de cimiterio fundis et iaculis ac lanceis eminant. Illi ergo, expulsionem sui inpacienter ferentes, forti annisu restiterunt, et utrimque acerrimam pugnam et diutinam satis conseruerunt, quousque et tercio cimiterium illi, invitis istis, obtinuissent, et de ipsis hostibus unum dumtaxat solum pene occiderent et caperent, qui et Ouliko de vico satis maiusculo Dhiunethe nomine vocabatur. Reliquum vero vitae suae crurifragio adimerunt et duorum complicum suorum, in unius comperti[a] loco, non eodem tempore set post aliquantulo emenso. Contigit autem, ex his plerosque eodem anno et eodem tormenti modo nobiles satis, quantum ad secularem propaginem, damnatos, et nonnullos extaerarum provinciarum aut etiam regionum procul positarum petisse latibula.

Eodem anno nocte[b] feriae quartae huius: 6 Kal. Iulii, frater Iun. 26
quidam huius cenobii cum oratum isset in criptam ad suffragia unicae sancte, peractis iam nocturnalibus sollenpniis, et stans etiam reclinatorio semoto, repente visum est sibi, se raptum fore in presentiam domini nostri Iesu Christi, sedentis in superiori et ediciori loco coeli. Cum omnia forent circumfusa[c] inenarrabili lucis claritate, nulla que fuerant ibi valebat conspicere, preter quod lux de Domino pene inedicibili modo procedebat; exemplificat tamen — etsi non proprie, quomodo autem valet quadam comparatione — sic, quasi de fumario fumus aut ignis de ca-

a. comperti *scripsi pro* competi *c.* b. nocte *addidi.* c. circumsusa *c.*

1146 Iuni. 26 mino pleno ardentibus lignis, aut etiam, quod est comparabilius, si sol obductus nubibus per quosdam anfractus emittat in terram longos valde suos splendentes deductiones. Tandem lux ipsa ne de Domino procederet se continuit, et iam egressa quasi nebularum in formas se conlegit. Sicque postremo dominum Sabaoth, tamen viritim[a], sedere in curuli satis admodum humili vidit. Cum neuter ipsorum ad alterum aliquo uteretur affamine, is[b] autem Dominum multo intuitu animadvertente[c], ipso et minus id adtendente, frater in loco suo visus est stare repente, nec miratus modice, quid et id portentuosi posset significari per temporum successionem.

Iul. 12 Eodem anno in hac feria sexta, que est 4 Idus Iulii, tempore meridiani visum est quibusdam religiosis, quendam virum candidissimis vestibus amictum in ediciore loco sanctuarii stare, versus orientem oculos et vultum dirigentem, utraque manu lampadem clarissime ardentem et tenentem. Cum sic aliquamdiu stare videretur, modice proclivior levefactus[1], quasi lapsum subacturus, ambas dextera lucernas sustulit; hocque modo divum deseruit et tecto templi se subegit, adeo mansuete, ut et luminibus intromissis, flamma eorum manifeste contemplaretur. Bis nihilominus ipso anno tectum templi huius visum est quibusdam convicaneis nostris in sublime porrectum, ac crucem auream celitus elapsam, monasterio illapsam, tanti fulgoris, quanti nec fuerit in meridie splendor solis. Set infra et circa urbem aliquantulum longiuscule tam fratribus quam et aliis nonnullis inestimabilis lux visa est effulsisse super monasterium.

Hoc anno sepius, et priusquam domnus Heinricus[2] abbas, (Mart. 21) germanus Sigefridi principis, deponeretur[3] et postea crebrius huiusmodi portenta videri acsi elementarie opinabantur.

Ipse autem depositus non satis usitato more, Heinricus[4] Aug. 3 prepositus, huius ecclesiae filius primus, est in abbatem constitutus, set duobus mensibus et emensis quinque diebus, est et

a. *super* viritim *posuit eadem manus* singillatim. b. *sic cod.* c. aniadvertente *c.*

1. labefactus. 2. I. 3. 1146 Mart. 21. 4. II.

defunctus[1], sicut et Thomas cardinalis[2] in confinio Nariciensis 1146 Oct. 8
civitatis in campo sub divo miserabiliter, quia et insperate ac heu subitanee, a quo idem abbas[3] est depositus. Reliquid autem et abbatiam et preposituram rebus pastui habilibus permaxime attenuatas, adeo ut et vix fratres sustentarentur, quia et debitis et statutis per multa carebant; set et hec nimium angens fames effecerat, que pene et totum mundum vehementissime urgebat. Ipso anno obierunt Liupprandus, qui et camerae fratrum et custodiae monasterii sollerti vigilantia insistebat, et Herimannus Eresburg prepositus, qui[a], pro qualitate temporis accuratione[b] providus, multa ingenii ac laboris sui et magna indicia nobis dereliquid. Toti tres isti, liberalis scientiae ac multae sollertiae ditati, loci istius honorabiliores[c] et quasi lucerne clare lucentes et velut columne solidiores locum sustentabant. Set et frater noster Heriboldus, admirandi et subtilissimi per omnia ingenii, et facundia et scientia litterali pene inequiparabilis, eos paulo ante inmatura morte sacerdos prevenerat; et frater noster presbiter Routulfus, medicine arti deditus, hydropicus obiit.

Dominus autem noster rex Conradus, de Polemica[4] expe- Oct.
dicione reversus et Goslariensi statione degens, ut audivit de obitu H(einrici) abbatis, honestiores fratrum et ministerialium ecclesiae nostrae ad se accersitis, suasit, rogavit eligi in abbatem personam idoneam, sapientem, eloquentem, utilem, moribus comptum, domnum Wicboldum, Stabulensis ecclesiae prelatum. Set et principes, curiae inserti, multa laude conmendaverunt virum, et infra illos inibi nobiliores ac milites constituti; totaque pene curia extulit eum laude multifaria, dicens postremo, semoto prorsus omni dubio quod parem virtutibus tota nostra non haberet regio. Tantis auditis causis de viro laudum, nostri, licet egre tantorum creduli assencientes, differunt in diem 13 Kalendarum Oct. 20
Novembrium in locum suum, cum suis consilium et consultum

a. qui *addidi.* b. accuratiore *ap. Pertzium.* c. honobiliores *c.*

1. Heinricus II abbas obiit d. 8 Oct. 1146. 2. presb. card. tit. S. Vestinae, quem etiam die 16 m. Iunii a. 1146 in vivis fuisse, docent Regesta pont. Rom. p. 616. 3. Heinricus I. 4. Polonica.

1146 Oct. 20 libere acturi. Omnibus ergo in his assencientibus ut dictum est, conveniunt fratres et clerus, principes quidam beneficiales et nobiles eiusdem legis, ministeriales quoque; et post multa, tandem universaliter ab omnibus ipse domnus W(icboldus) in patrem dominumque eligitur[1].

Legatarii[2] ergo de fratribus et ministeriales cum Brunone preposito honestiores ad accersiri eum instituuntur. Set seorsum, consilio mutato, nobis autem et pene omnibus inconsultantibus, cum 10 marcis omnibus deputatis, prepositus cum suis electum nostrum adivit, domni regis nostri et fratrum tantum litteras[a] advexit. Quali autem habitudine mentis susceperit, ex subsequentibus[b] litteris, quas quorsum et miserit, legens et gnarus scire poterit. Itaque:

Nov. „Inclito triumphatori ac serenissimo domino suo C(onrado) Dei gratia Romanorum imperatori augusto frater W(ibaldus), divina misericordia Stabulensis ecclesiae servus, salutem in eo qui dat salutem regibus[3]. Pietatis vestrae litteras, quas nobis per prepositum Brunonem vestra magnificentia transmittere dignata est, recepimus. Quae, sicut plurimum gaudii et exultationis nobis contulerunt ex eo, quod in conspectu maiestatis vestrae gratiam et misericordiam nos invenisse certis experimentorum indiciis cognovimus, ita multum sollicitudinis et anxietatis de causa quam continebant nostrae parvitati prebuerunt. Siquidem magnitudini vestrae placuit significare nobis, quod Corbeiensis ecclesia pastore suo viduata nos pari desiderio et unanimi consensu in patrem sibi et pastorem animarum elegerit. Ad quod onus subeundum nos hortari, et divinae vocationis preceptum sequi, vestra benignitas cum regiae iussionis auctoritate maturavit. Verum quo-

a. licteras *c.* b. subquentibus *c.*

1. itaque die 20 Oct. Eundem diem electi Wibaldi abbatis Corbeiensis intelligimus ex Notis Stabulensibus infra et ex ipsius Wibaldi tabula ap. Erhard Reg. Westph. II. Cod. dipl. p. 61, in qua sic legimus: „in anniversario nostre ordinationis, id est in vigilia XI milium virginum" (20 Oct.). Wibaldus ibidem diem eundem „anniversarium diem electionis nostre" vocat, ut eum pateat utroque verbo electio et ordinatio idem significare. 2. Legati. 3. Ps. 143, 10.

niam de monachis, ad quos id opus sicut inchoare ita et consummare maiori ex parte pertinet, nullus ad nos venerat, rem totam religiosorum consilio differendam esse credidimus, donec Corbeiensis ecclesia coram maiestatis vestrae presentia et principum conveniat et, quid quove ordine id quod asseritur fecerit, sicut canonicum et competens est, exponat. Propterea mansuetudo vestra non moveatur, quod ad presentem curiam secundum iussionis vestrae beneplacitum non venimus, quoniam in festo beati Nicholai[1], quando Corbeiensis ecclesia curiam vestram adire disposuit, Deo ducente veniemus. Si quid ergo apud vestram excellentiam nostra valet exigua set fidelis devotio, locum nobis circa Werzenburg in festo beati Nycholay assignare dignemini, quo vobis cum his, qui venturi sunt, commode occurrere valeamus“. 1146 Nov.

Regalis haec responsio:

„C(onradus) Dei gratia Romanorum rex W(ibaldo) Stabulensi abbati gratiam suam cum dilectione. Postquam ecclesia Corbeiensis abbate suo orbata fuit, statim divina inspiratione commonita dominum et patrem spiritualem te sibi canonica electione ascivit. Postea vero tam in temporalibus quam in spiritalibus propter absentiam tui turbata et distracta grave damnum sustinuit. Mandando igitur rogamus dilectionem tuam, quatinus in festo sancti Nicholai Frankenevurt presentiam nostram adeas et, quae ad donum regiae dignitatis spectant, ibidem de manu nostra suscipiens, ecclesie Corbeiensi tamquam pater spiritualis et prudens dispensator in posterum provideas. Vale“.

Hec apud Wilzenbroch[2] scripta et data; et 3 Kalendarum Nov. 29
Decembrium in Stabulensi ecclesia abbati sunt presentata; ecclesieque Corbeiensi Kal. Decembr. eadem scripta sunt invecta. Dec. 1
Abbas de loco suo; et Adelbertus prepositus et fratres nostri quidam munifici cum Brunone preposito, et ministeriales honestiores aliquanti 4 Nonas eiusdem mensis ad condictum locum Dec. 2
exierunt a Corbeia. Et quia nec sic celeres nostri nequibant illo venire, ut statuta die occurrerent domno regi, octava demum die Dec. 10
in Wineheim[3], tertio miliario sito a Laureshamis abbaciae regalis,

1. Dec. 6. 2. Würzburg. 3. Weinheim.

1146 Dec. 10 cuius et hic maiusculus pagus dicionis, regiae presentie se ingesserunt, set non eo numero, quoti sunt egressi de suo monasterio; nam Theodericus, mulionis beneficio functus, apud Frideslariam egrotans, post modicum est et defunctus, et ad nos usque deductus, in ministerialium cimiterio[a] cum suis est sepulturae traditus.

Dec. 9 Pridie autem, quam Wineheim venerant, in Frank(enevurt) condicti vici[1] diverterunt nostri, ubi iam frequentius mansitaverat dominus suus electus. Et in familiare sibi diversorium introibant, abunde satis necessariis preparatis modo per puerum, quem abbas in haec oportune premiserat, et per quendam maiorem ipsius pagi, nutu domni regis hoc precipientis, quatinus et in forensibus ad comparandum sufficerent. Talis enim dignatio abbatis talem commeruit sollicitudinem circa ipsum et dileccio regis; nam et inde nihilominus evidentius claret, quod de Wilzenbroch ad Frank(enevurt) quatuor dietas[b] estivales et prolixiores in occursum ipsius descendit; insuper et alia nonnulla talibus longe supereminentia, loco et tempore suo referenda.

Post haec nostri in introgressis mansionibus, ut, compositis suis, quietis operam adepti iam hilariores forent, abbas venit; aliorsum ab illis mansitare divertit. Quod ut senserunt commoti, sciscitantes si se iuberet sibi adesse, in crastinum distulit. Set
Dec. 10 crastinum inibi non fecit. Nam pene noctis medio abbas cum suis abscedens, regem adire absentibus illis accelerabat. Ipsum autem, quod intendit illis, ipse passus est. Licet igitur illos preierit ipse maturius, optabilioris tamen erroris viaeque intercapedines abbas arripuit, et sic quod decreverat, effectu minus trutinabat. Nam nostri noscentes, inde ipsum de diversorio abisse, accelerant iter arripere, satis admodum et prepropere. Et dum insequuntur abbatem itinerantem, inveniunt dominum nostrum regem.

Dec. 8 Pridie tamen quam ipsi Frank(enevurt) advenissent, rex inde profectus, ad Alceiam iter dirigit, ubi fratrem suum ducem Alimanniae domnum Fridericum ad mortem usque infirmari

a. cimimiterio *c*. b. dietes *c*.

1. in condicto vico.

cognovit; aut etiam Wormatiensem ecclesiam in transitu visitare 1146 Dec. 8
pro tempore, si quoquo modo valeret oportunitati suae succurrere; nam antisticii locus illius dispositore vacabat, quia recens sors eum iam e vicino de medio tulerat. Alioquin et ad abbatis et Corbeiensium adventum Frankenevorde sustinuisset. Egre siquidem tulit, quod et fieri minus valuit; quia utrarumque rerum iam infra prelibatarum in tantum[a] urgens ipsum sollicitabat, quod nulla viae huius intermissio sibi haberi poterat.

Ut autem Wineheim[b] venerunt nostri, abbatem adhuc ab- Dec. 10
sentem asscisci et sibi electum suum in dominum donari, a rege aliquociens poposcerunt. Ad tres igitur post ipsum pueris sigillatim destinatis, postremo tandem tricatis morulis venit. Regem Dec. 11
adivit clam, et obnixius efflagitavit, quatinus et electio in ipsum facta cassaretur, quoniam quidem, et nonnullis sudoribus iam pene ad supremum exhaustus, amplioribus nullo modo inseri pateretur. Rex ergo turbatur, abbatem ut talibus desistat multifarie ac suppliciter exoratur. Set iste, viso rege obstinatius de inceptis persistere, ut valeat decretum eius reflectere, ipsi prosternitur, lacrimis haut[c] modicis aspergitur, senariam profectionem ad Romana menia pro regia honorificentia et, que iam per sedecim tempora[1] prelatus pertulerit repugnancia multifaria et omnino valde asperrima, rememorabatur; insuper ut et obtentu gratie ipsius, dummodo ne alienaretur prelationi consertae, rogabat, expediretur[d] quam inserende[e] oneraretur. Rex itaque, talibus sollicitatus, convenit eum e converso delenificentius, locum, tempus, oportunitatem animadvertere . . . .
. . . . tis[2] die suscipiens salutis signum in superficie suarum vestium, sicut est moris modernorum dum

a. *an* intentio. b. Winehiem *c.* c. hau *c.* d. potius *excidisse videtur.* e. insereuda (sc. praelatione) *legendum videtur.*

1. i. e. annos. Wibaldus enim anno 1130 factus erat abbas Stabulensis.
2. a vero abest Pertzius, hunc locum supplens sic: „Conradus rex ..... dominicae nativitatis". Qui enim hoc loco signum crucis suscepisse fertur, eundem legimus post paulo Fuldae die 29 Ian. 1147 a Wibaldo petiisse, ut „secum Romanas apices reviseret". Cf. infra p. 54 not. 3.

se votificant invisere sanctum Domini sepulcrum[1], absque intricationis intercapedine, quantum valuit pro agilioris ac devotioris legatarii[2] festinatione; et id domno abbati placuit innotescere, ac sibi se mandans in Fuldensi ecclesia 4 Kal. Februarii occur-
1147 Ian. 29 rere. Talis ergo iniunctionis[a] facta execucione, commorantur aliquamdiu una in consistorii[b] mansione; quatinus et ipse debeat secum Romanas apices revisere, insistit[3] oppido ac multifarie. Hinc abbas cum communicassed consilium cum fidelibus et amicis suis, una cuncti consultacione accincti aiebant, iter hoc non intermittere debere ipsum nec posse, quod esset necessarius, ob id et plurimum: quod publica et privata regis negocia, in Romana curia sollemniter peracta, nulli sic ex integro cognita; per eum denique quia et disposita et manu ipsius sunt exarata, et horum omnium exemplaria penes se manentia; ipseque ad respectum honorificentie regie fax et incentor et auctor omnium primus et precipuus pene ab omnibus semoto procul omni scrupulo existimatur. Taliter igitur abbas conventus, licet egerrime, assentatur tamen acsi voluntarie, et hoc instinctu suorum et bona denique spe.

Huiusmodi autem actionum fidelium et devotionum abbatis circa regem regisque dilectionis superabundantia[c] ad abbatem, ut nostracium animis irrepsit, fiduciae suae aucmentum maximo cumulo fuit. Suggerentibus igitur et consultantibus illis abbati antecessoris[d] sui cum rege negotia[e] de concedendis ecclesiae nostrae quibusdam sanctimonialium[f] cenobiis, licet tepide ac

a. iniunctonis *c.* b. consisterii *c.* c. superabundantia *scripsi pro* superabundantem *cod.* d. antessoris *c.* e. negotiis *c.* f. sanctimonalium *c.*

1. Facile cognitu est, hoc loco agi de cruce contra Slavos suscepta, quam dicit scriptor a viro quodam (quem quidem puto Anselmum episcopum Havelbergensem fuisse, vid. n. 3) pari modo vesti affixam esse, „sicut est moris modernorum, dum se votificant invisere sanctum Domini sepulcrum". 2. Legati. 3. Is videtur Anselmus ep. Havelbergensis fuisse, quem scimus et die 30 Ianuarii 1147 Fuldae fuisse et una cum Wibaldo ad Eugenium III papam a Conrado rege mense Martio eiusdem anni in Galliam missum esse et mense Iunio partem belli adversus Slavos capessivisse. V. librum meum, qui inscribitur „Geschichte des deutschen Reiches unter Conrad III" p. 279.

valde nimis timide, cepit tamen de his cum rege, ut oportunitati 1147 Ian. 29
noverat conpetere, insistere. Rex autem, quamquam non facile acquiesceret, tandem convictus amica eius dilectione et nonnulla laborum suorum circa ipsum commonicione, blandaque qua et abundabat conventione, in fructuario boni fenoris emolumento peticioni abbatis annuit, et ecclesie nostre abbaciolas duas Kymenaden[1] et ei vicinam Visbike[2] concessit, ac per anulum gemmario lapide condecorosum[a][3] ad nos transmisit. Quem et abbas scriniolo sancti Stephani inseri precepit, quatinus et posteris nostris beneficia regis et abbatis industria circa locum nostrum non facile oblitterari possit. Nam ne minus et rex hinc regno prospiceret[b], quocienscumque serviri sibi de loco nostro legis debito et priorum longe dierum instituto contingeret: si argento anticipanda[c] foret, denae appenderentur[d] librae, sin autem pastibus, aucmentarentur tanti precii pro temporis qualitate ac comparationis commoditate. Pro his ergo stabiliendis et confirmandis, licet non nulli principum his affuerint et consentientes fuerint eciam, Frankenevurde se sibi occurrere statuta die indixit, ubi et primates regni pro publica re, generali evocatione advenire instituit.

Hinc domnus abbas ad nos absque devio reversus, modico Febr.
dierum intervallo habito nobiscum, ambiciosius ut suis visum est Kimenaden perrexit, regiumque satellitem[e], scripto signato ipsius regis munitum, in promtu habuit[4]. Quod ut recitatum in auribus omnium fuit, quamquam non sine admodum retractatione intricata assentarentur, tamen presentes omnes, preter puellulis[f] scolaribus prelatam, sub dicione[g] abbatis se submiserunt.

Procedere autem et Visbike volens, premisit quosdam de

a. condecoroso *c.* b. pr^p^siceret *c.* Nam nec minus et rex huic regno proficeret *ap. Pertzium.* c. praestatio *excidisse videtur.* d. appederentur *c.* e. satellem *c.* f. puellulam *ap. Pertzium.* g. dicioni *c.*

1. Kemnade ad Wiseram fl., a Bodenwerder ad septemtriones. 2. Fischbeck, ab Hameln inter occidentem et septemtriones. 3. Cf. Conradi III regis diploma (ap. Erhard Reg. II, cod. dipl. p. 46): „per aureum donationis nostrae anulum". 4. Cf. Wibaldi ad Conradum regem epistolam n. 201 infra, in qua sic est: „per auctoritatis vestrae litteras, Kaminatam per proprium legatum transmissas, Kaminatensem ecclesiam introivimus".

1147 Febr. suis, ut familiae illius aecclesie coadunarentur et in subiectionem sibi convenirentur. Destinatorum autem quidam nota fucatioris[a] fidei hoc in negocio a nonnullis notabatur, quoniam et dominicale forsetum ab abbate in beneficium optinere nequibat. Nam et ministeriales ducis[1] et in premunitorio[b] dicto Scowenburg[2] milites Adulfi[3] dicioris ac nobilioris viri, per ipsum inibi constituti, legatis suis id ab abbate obtinuerunt, quatinus illô venire differret, quousque dominorum suorum decretum super hoc rescire valerent; et si foret ipsorum assentationi non offensum, ad omne servimen sibi deferendum offerrent animum promptissimum. Taliter domnus abbas inceptis dilationem inposuit.

Ac de Kimenaden thesaurum et queque preciosiora huic ecclesie ad conservanda in pocioris fortunae dies duxit; quia et adstans perplexi malicia per variaque et inenarrabilia[c]. Idcirco et armata[d] manu militari abbas coadunata satis admodum et copiosa, ne se presente sinistri quid oriretur aut etiam se semoto, hinc spectabiliora tulit: ne forte, si qui emulatorum supervenirent, ad votum sibi parere haut invenirent inibi vel unde.

Nam domnus Volcwinus causabatur, germanae suae filiam[4] in prelatricem universaliter nutu regis electam in Kimenaden, et per abbatem cassatam. Denique et pater iuvenculae Hloutwicus de Lare — nam et ipse sororem Volcwini, defuncto viro suo Adelberto de Everstein, in matrimonium asciverat — ac frater ipsius puelle Adelbertus, filius prioris Adelberti non Hloutduwici, non mediocriter hinc dolebant. Theodericus nihilominus de Riclige nostris offensus extat; qui et sororem[5] Sigefridi principis et Heinrici[6], quondam hoc in loco abbatis, iam nunc patrocinatur et reinducere inibi tota sagacitate ac studio conatur.

1146 c. Mart. Nam ut et filia[7] ipsius Kimenaden preficeretur, instabat[8]

a. note fucationis *c.* b. premunctorio *c.* c. *sic cod.* d. armatu *c.*

1. Heinrici Leonis. 2. Schauenburg sive Schaumburg prope Wisceram fl., media fere via inter Hameln et Bückeburg. 3. Adolfi de Schowenburg, II comitis Holsatiae. 4. Iuditam, Ludovici filiam. 5. Iuditam, sororem Heinrici I abbatis Corbeiensis. 6. I. 7. Iudita, filia Theoderici. 8. Theodericus de Riclige.

id per Thomam cardinalem[1] exequi posse, dummodo iam prelata[2] deponeretur. Nacta igitur quantulacumque decolorata occasione, quia nec vera nec idonea, per proprios[a] suos Theodericus eminari abbatissam[3] verbis precepit, sin autem exire et minus assentaretur, pelleretur aut etiam foras ab ipsius[b] servulis[c] — quod et factum postremo — et[d] non nullis lacrimis crebrius madidaretur[e]. Siquidem in sancti Viti festo, id est 17 Kal. Iuliarum, ipsa in edicioris loci constratu pueris suis sollemnius convescens, advenerunt servuli Theoderici in hoc destinati; qui in eandem abbatissam indecentius etiam, quam fari mihi queat, manus iniecerunt, renitentem de mensa submoverunt sicque foras miserabiliter eiecerunt*. Nam nec dilacionem ad ciborum consummationem, quos et proprio censu ex vendentibus contraxerat, obtinere nequibat. Set quis dispensationem dominicam infirmare valeat? Illa, undecumque talia perpeti habuit, sic depulsa, eligitur tandem ab omnibus intus et foris Helmburgis prepositissa, non Theoderici filia, quamquam per multos multifarie instaret maximaque instantia. Hlouduwicus autem infra iam dictus cum suis, modis quibus facile id efficeret, ut iam electa electioni cederet et filiam eius acsi non electa cum ceteris eligeret, set et bona spe, quia promiserat centenos mansus dare velle illi ecclesiae.

1146 c. Mart. — Iun. 15

Domnus autem rex, talia vel his similia aut etiam maiora pernoscens, oportunitate decentioris mutationis aut etiam laudabilioris professionis, quam et aliquanto extulit, Corbeiensi ecclesiae, sicut dictum est, utraque loca illa tribuit. Et quia pastus sanctimonialibus omnimodo Kimenaden defuit, Corbeiam se obtemperantes transtulit, et quasdam[f] ibi, quasdam cum suis honestioribus ad novos fructus alias destinavit, ubi et de naufragio

1147 c. Ian. 29

* *In margine eadem manus addidit haec:* set et depulsa et Loduwici et filia Theodorici uno nomine scilicet Iudhita vocitate sunt.

a. per prorios *c.* b. ipsis *c.* c. *sequitur litura.* d. et *addidi.* e. madetur *c.* f. *sequitur litura exigua.*

1. presb. card. tit. S. Vestinae. V. supra p. 49 n. 2. 2. Iudita soror Heinrici I abbatis Corb. 3. Iuditam sororem Heinrici I abb. Corb.

1147 continentiae suae nulla posset haberi suspicio, et vitae necessariis[a] abundaret eis amministratio.

Post haec, interposito aliquanto temporis intersticio, ad in-
Mart. 19 dictam diem — haec esse censetur in 14 Kal. Aprilium[b] — abbas Frankenvorde venit et agit se in principum consistorio, quando et denuo duarum ecclesiarum illarum, iam aliquociens prelibatarum, facta est huic ecclesiae tradicio aut etiam confirmatio[1].

Multi enim principum ex omni pene orbis plaga confluxerant, ut oportunitas sane deposcebat, quippe tum[c] rex novus eligendus erat. Nam dominus noster rex Counradus, Hierosolimam sicut infra[2] dictum est iturus, obtinuit a principibus, quatinus eis eligeretur in regem Heinricus suus filius.

Utrisque[3] igitur in hac tradicione vel confirmatione assentientibus, presulibus abbatibus principalibus nec non et cunctis presentibus proceribus in his applaudentibus, rata sancitur, sic tamen ordinarie, ut investigaretur publice a domno Burghardo, presule civitatis Argentine[4], censurae iudiciarie: si possent dari legitime cellule regales regali et maiori ecclesie, de qua et regnum sumeret non nulla obsequia, cum et de minoribus preter nominis solam gloriam nulla provenirent regno profutura. Assentientibus[d] ergo universis assistentibus primoribus, domno Burghardo episcopo id iudicante, domnoque Bernhardo Clarevallensi abbate id nihilominus suadente, magnificentia signorum iam late ipsum notificante ac exornante, quod et inconvulsum infra . . . . .
. . . . id est principes prelibatos, apud nobiliores tamen preter Adulfum de Scowenburg nemo, cui negotium huius largitatis regiae offensioni vel contradictioni fuerit. Ille siquidem, quantum facultatis habuit effectu

a. necessasariis *c.* b. Apl:v̄ *c.* (*perperam in editione Pertziana:* April. ut). c. cum *c.* d. enti *scriptum est super* assentibus; *qua re motus esse videtur Pertzius ut pro* Assentientibus ergo universis *perperam scriberet:* Assentientibus omnibus ergo et universis.

1. Vide Conradi III diploma d. 1147 Fraukenevort; ap. Erhard l. l.
2. Fere semper „infra“ posuit scriptor pro „supra“; itaque periit ea narrationis pars, ubi egerat de bello Hierosolymitano a Conrado rege suscepto.
3. regibus. 4. 1140—1162.

trutinari, omnimodo prohibere sategit. Cassatur autem domi- 1147 Mart. 19
nico amminiculo talis eius adversatrix emulatio, quia, etsi de naturali affectione — nam et ipse ab[a] consanguinitate abbatisse[b] lineam generis deducebat — non tamen vera exstat. Iterabant ergo reges hanc tradicionem per anulum; et ubicumque oportunitas exigeret, presente nihilominus apostolico et toto Romanorum maiorum collegio, insuper et in unum collecto universo populo, hoc factum fixum et ratum stare debere, ac firmare posse ac velle semoto procul omni scrupulo etiam omni suo quo vitae huius tempore carperent halitus[c], examinatius affirmabant; et huius astipulationem litteris signatis tradebant. Domnus autem abbas penes se pro causa non superflua scripta haec detinet, etiam cum de ipsa curia procedat mandatis regiis legationis gratia ad Cluniacensium menia, ubi domni apostolici habebatur tunc presentia[1].

Set hec dum aguntur, Theodericus de Riclige prepositum Kimenaden cum fratribus, inibi per domnum abbatem constitutis, per nuncios suos de inde transmigrare[d] precepit, dicens, ducis nutu id exequi debere nulla iam interposita intersticione. Ipse vero prepositus cum ceteris fratribus minitantium fluctuum eius inpetuositates flocci[e] pendebat, quia degebat et in loco nobiscum tempore, quo prepositus noster Adelbertus cum reliquis ad curiam procedentibus venit et reliquias patroni nostri sancti Viti reportavit[2] et, que gesta fuerant vel quo modo, per ordinem in auribus omnium nostrum exposuit, etiam qualiter ipse dux advocatias utrorumque locorum illorum regibus redderet, ipsique et ecclesie nostre traderent, postque ab abbate ipse dux denuo in beneficium reciperet. Set haec Theodericus si noverat necne, non est nobis animadvertere, cum nos quippe tueantur et dominatores terre, Domini sicut speramus inspiratione[f] vel domni abbatis conventione. Nam et antea — dum fungebar in locum

a. ab *scriptum est in cod. super* consanguinitates. b. abbesse *c.* c. habitus *ap. Pertzium.* d. transmigare *c.* e. flocti *c.* f. inspiraratione *c.*

1. Cluniaci die 26 Martii 1147 fuisse Eugenium III papam, docent Regesta pont. Rom. n. 6293. 2. Reliquias S. Viti in curia Francofurtensi fuisse, ostendit Conradi III diploma (v. supra p. 55 n. 3).

1147 ipsum fratrum nostrorum ad decanam et ad prepositissam legatione, quo deberent suis[a] sororibus concordare, quod tamen et ad presens flagitabant differre se in gratia omnium licere — litis cunctis illius ecclesiae sub interminatione salutis suae precepit, in nullo prorsus prepositum[b] obaudire. Quod ut quantocius noscioni meae claruit, instinctu meo communicato cum suis prepositus consilio — quoniam recens scriptum detuleram fratrum — ex persona ipsorum Theodericus blande conveniretur, quatenus et eius iussio in adventum abbatis usque relaxaretur, in talis verbi compactione, ut ipsis domnus abbas moneretur, si quid correctioni condignum in utrisque[c] foret, placide componeretur; in his ergo conquievit, quousque ut dictum est eos de loco mandavit superflue transire[d].

Set et hoc tempore abbatissa — iam depulsa ut infra dictum est miserabillime, qualiter tante quis nobilitatis non est auditum[e] sic sine noxa de proprio loco exire — cum curiae Frankenvorde etiam frustra conserta fuisset, sicque has partes provincie revisit et, ut vulgo rotatur consilio et adiutorio eiusdem Theoderici, quoscumque poterat milites collegit et Kimenaden ad repossidendam ire decrevit. Quod ut nostris ministerialibus expertum fuit, armati preposito advenerunt, et ipse pariter quos poterat ad resistendum vel pocius ad despoliandum illam cum suis coadunavit. Et ut hec fieri possent, nostris nulla diffidencia fuit, quia et illos quantitate ac fortitudine tanta precellebant, ut non aliud evenire opinarentur; idcirco et conatus adversariorum cum congregatione sua dispersioni patuit.

Prelatrices etiam duae[1] iam prelibatae ob victus defectum transierunt ad electam suam[2] in Larensse[f] castellum, ibique degentes, que in loco suo agebantur aliquamdiu non noverunt; ut autem indagini sue obrepsit, quantocius Kiminaden venerunt, inportuniores[g] quam condignum fuerat nostris se ingesserunt,

a. fratres *ap. Pertzium pro* suis. b. *sequitur litura exigua.* c. inutsq; *c.*; *detrita est littera* i *super* t. *Pertzius scripsit* iniusque. d. transfire *c.* *Cf. supra verba haec:* per nuncios suos de inde transmigrare precepit. e. n̄ ē auditum *c.* f. Larresse *ap. Pertzium.* g. inportuniorē *c.*

1. Decana et praepositissa. 2. Helmburgim.

adulterina clavi armarium aperuerunt, preciosiora sua non repere- 1147
runt. Hinc ergo nimium animo exacerbatae populum congregabant signorum concrepatione. Quinque autem tantum viri ex omnibus venere ac pene tocius illius vici femine. Diversas ergo mortes nostris inferre multis verborum tumultuacionibus in animam suam affirmabant, cum maiora quippe sceleratissimis latronibus et homicidis sceleratissime in invasione et sacrilegiis perpetrassent. In procinctu igitur erat, ut insurgerent repente in nostros, et quanto de . . . . . . invenire possent, mortibus destinarent. Talia ut fratres nostri noverunt, confugium ad Deum precibus et lacrimis fecerunt, et quidam illorum differri causam ad adventum prepositi tandem vix valde obtinuerunt.

Wolfhardus quoque sacerdos, abbatisse[1] Reithe[a] iam incluse creditarius, per omnes episcopos et abbate set prepositos . . . . per cenobia litteras ex persona abbatisse late circumquaque destinavit, et omni populo . . quem . . . . mando querelosas voces edens causabatur multifarie, Corbeie[b] se et omnes cum ecclesia multis thesauris, quo modo equi vel venalia comparari solent, sic subactos. Set ne pred . . . . is ieiuniisque ac precibus a Domino et sanctis eius instantissime deposcerent, exorabat. Haec autem hic inde inserere . . . . ri qualibus quaterentur in his infaustis diebus nostri.

Anno d(ominicae incarnationi)s M 1148
a. Non. Ma . . . . us s . . . . ipse per W. c . . . . que per 30 pene viros tredecim diebus vix eradicavit, et ad ecclesiam sancti Viti resarciandam oportuna primordia sternit per Godefridum et Anschelmum cum auri marca, quos pridie a Stabulaus in id[c], ibi positus pene pro simili edificiali opere, istuc transmisit.

A magistro Isenboldo de sancti Pauli apostoli titulo et eccle- 1146
sia Halverstadensi transmissa est hec subiecta epistola Elvingo: 1147

a. Berthe *ap. Pertzium.* b. Corb. *c.* c. *sequitur litura.*

1. Iuditae, sororis Heinrici I abb. Corbeiensis.

1146 1147 „Domno E(lvingo) suus I(senboldus) diligenter attendere, ne processus estimatus fiat retrocessus.

Quoniam lacrimarum convalle iam pene transcensa, ad ipsius pacis visionem defecati cordis elucubrationem anhelatis, fortasse videbor ingratus, si ad cepti vestri non applaudam apparatus. Set adtendendum queso, cum quid boni operis aggredimur, intus contra occultum raptorem attentius vigilemus, ne dum foris vexilla virtutum in altum porrigimus, intus ab inopinato[a] hoste gravius occupemur. Probate itaque, si ex Deo sunt spiritus, perpendite, ne quod devotionis suggerit voluntas, professionis dissuadeat honestas. Plerumque etenim adversarius noster circuiens, nocendi locum querens nec inveniens, artes reciprocat, vada pretemptat, sicam latrocinii tegit, figurativa inductione illudit, corticem denique lucis ostentat, quo postmodum tenebrarum medullas subinferat. Inter que omnia sollicita spiritus trutinatissimi discretione utendum arbitror, ne quod putatur antidotum, veneni acescat in poculum. Queritis itaque, an placeat, ut Ierusalem proficiscamini. Laudo quod queritis; iam enim discretiva spiritus consideratione uti videmini. Adicitis quoque de Abraham peregrinatione, de Lazari euangelici illius paupertate, quorum alterius exulatu, alterius tenuitate consummationis terminum sortiri desideratis, ut secundum apostolum, dum plus laboratis, plus mercedis accipiatis. Ast ego, ni fallor, utriusque typum vos iam pridem gessisse existimo, cum universis, quibus mundi huius fulcitur ambicio, in concupiscentiis ac pompis seculi abrenunciastis. De terra quippe vestra cum Abraham existis, cum, que foris possederatis, terrena bona reliquistis. De cognatione vestra existis, cum, que nobiscum orta sunt, viciis abrenunciastis. De domo patris existis, cum, spretis omnibus propter Deum, vosmet ipsum abnegastis. Domus enim patris nostri ipsum est cor nostrum, quoniam pater noster habitat in nobis. Pater noster primus diabolus fuit secundum nativitatem, qua nati sumus; pater noster secundus Deus est secundum nativitatem, qua renati sumus; et vult uterque pater habitare in filiis suis, dia-

a. ab obinopinato *c.*

bolus in filiis ire, Deus in filiis gratiae. Quam ergo adhuc pau- 1146
pertatis exiguitatem requiritis? Subiungitis etiam famae voli- 1147
tantis ministerio cognovisse, ceptum vestrum mihi displicuisse. Quod nec ante acceptas litteras vestras propositum vestrum scieram extitisse, unde velut ignotum nec placuisse nec displicuisse sciatis. Verumtamen subtili examine pensandum suadeo, quatinus, si tantopere foras egredi desideratis, inconcussa domus interioris fundamenta custodiatis. Locorum quippe mutacio morum non solum corruptelam non abstergit, set et quandoque eorumdem in deteriora conversionem parit. Unde poeta:

Coelum non animum mutant, qui trans mare currunt.

Vocatione ergo qua vocatus estis, ad illam Iherusalem coelestem quae sursum est, que est mater nostra, suspirate, erigimini, festinate; cuius ad intuitum plurimos quidem anhelare, certe non nisi beatos constat appropinquare[a]. Huius autem, que de deorsum est, visio, cuius homini cum bestiis est communio, si videntes quosque aspectu suo beatificat, Iudam traditorem et Pilatum a beatitudine non exterminat. Set absit a fidelium cordibus, eos beatos vel estimare vel dicere, quos moenibus caducae huius civitatis, hominum inestimabili sanguine rubricatis, appropinquare[a] contigerit. Ad illam ergo, quae in coelis vivis exstructa nitet lapidibus, cuius lapis angularis Christus missus est, in qua tronum suum rex ille filius regis angelorum iugiter concinente choro expolivit, festinemus, anhelemus; civitatis huius incolae ac concives fieri satagamus. Non ut ignoranti hoc suggero neque doctum indoctus instruo, set si meum super hoc negocio consilium admittitur, dicam plane quod sentio. Regula beati Benedicti diligenter inspecta, cordacitus ruminata, quicquid vetet aut iubeat, non declinantes ad dexteram nec ad sinistram, totis viribus adinplere satagite, prestolaturus[b] hinc bravium post emensum vitae presentis stadium. Quodque subiungitis, vos domi lapsum sustentare non posse, non sic intelligimus, nisi nemo apud vos vel corporali vel spiritali iuvamine indigens reperiatur. Optime valete".

a. approq̄nquare *c.* b. p̄stalaturus *c.*

1146 1147 Et inter alia idem ipse Isenboldus ipsi cui supra scripsit et talia:

„Succincte ad presens vobis scribere proposuimus, quia aliquantisque verbis vestris in aliis litteris, quas vobis dieximus, prolixius respondimus. Suademus itaque et discretioni vestrae consulimus[a], quatinus diligenter attendatis, quid et cui vovistis, cum omnibus caducis rebus propter regnum celorum renunciastis, et in hoc subtilissima circumspectione usque in finem vitae perseveretis, nisi quid quod ignoro obsistat, quod huic consilio rationabiliter contradicat. Valete nunc et in evum“.

1146 1147 Hee littere dicuntur divinitus[b] missae Loudhuwico regi Francorum:

„Tibi[c] dico L. pastor corporum, quem inspiravit spiritus peregrini Dei. Cum ascenderis a constante tetragoni, et a constantium tetragonorum stantium esternorum, tunc aperientur tibi portae civitatis, quas promisit filius matris tuae visitare, et non visitavit. Ponesque vexilla tua rosea usque ad extremos labores Herculis, quia erexit te Christus in artemone navis, cuius velum est triangulum. Tuum quoque .L. vertetur in .C. qui divisit aquas fluminis, ut transirent per eas, qui student in procreatione filiorum[d]“.

Antiochiae[e] civitas magna duobus muris cingitur. Prior horum ex magnis lapidibus est, in quadrum sectis et subtili artificio politis, et in eo distincte et ordinate sunt 460 turres. Hic murus se intuentibus venustate compositionis suae arridet, et spaciosus est latitudine nimis ampla. Continentur intra septa murorum 4 montes magni et in altum eminentes. In altiori horum castellum naturali positione munitum, quod nec bellicosum timet inpetum nec cuiuslibet machinationis ingenium. Trecentas et 60 ecclesias obtinet in sui confinii territorio, et patriarcha habet 153 episcopos sub principatu suo. Ab oriente civitatis

a. sconsulimus *c.* b. divitus *c.* c. *Hoc vaticinium attingit etiam Otto Frisingensis in prologo Vitae Friderici I. Cuius variam lectionem afferre mitto.* d. *eadem manus addidit:* Finis harum hic est et sic. e. Antochiae *c.*

quatuor magnis montibus premunitur, ab occidente[a] vero quodam flumine irroratur, cuius nomen Phafar dicitur. Hanc Antiochus rex cum suis 65 regibus condidit, sicut hystoria ipsius plane dicit, nomenque de suo nomine indidit. Hanc itaque obsederunt nostri perigrini, scilicet itineris prioris quando et capta est Hierusalem, per octo menses et diem unum; et tribus ebdomadibus fuerunt intus inclusi a gente Parthorum, que divino superata subsidio et ammirabili; postea quieverunt in ea quatuor menses et dies 8.

Patriarcha, episcopi Greci et Latini et ecclesie Ierosolimitane, occidentali ecclesie universali consortium coelestis Ierusalem.

Quoniam ecclesie nostrae incremento vos gaudere non ignoramus et sollicitos ad audienda tam adversa quam prospera credimus, ampliacionis prosperitatem sic notificamus. Innotescat igitur caritati vestrae, dominum nostrum Salvatorem in 40 urbibus et in 200 castris suae ecclesiae triumphasse tam in Romania quam in Suria, et nos adhuc habere preter vulgus 100 milia de loricatis, amissis tamen multis in primis preliis. Set quid hoc? Quid unus in mille? Ubi nos habemus comitem, hostes habent 40 reges; ubi nos turmam, illi legionem; ubi nos militem, illi ducem; ubi nos peditem, illi comitem; ubi nos castrum, illi regnum. Nos autem non confisi multitudine nec viribus nec presumptione aliqua, set clipeo Christi et eius iusticia protecti, Georgio et Theodoro, Demetrio Blasioque militibus Christi vere committimus. Valete.

a. octidente *c*.

CATALOGUS ABBATUM ET FRATRUM CORBEIENSIUM.

Huius catalogi priorem habes editionem cum hac inscriptione: Chronicon Corbeiense a Meibomio post Widukindi annales p. 131—133 anno 1621 factam, quam quidem eius nepos in Rerum Germanicarum tomo I p. 755—757 renovavit anno 1688. Mihi vero opusculum denuo recognoscenti magno adiumento fuit membranaceus codex olim Corbeiensis, qui hodie in tabulario Monasteriensi asservatur, signatus I. A. 133, *in cuius fol. 1—6 scriptor medii seculi XII sub abbate Wibaldo hunc indicem cum cura retulit.*

Abbatum fratrumque seriei subieci seculorum XII et XIII manuum notas Corbeienses, ex eiusdem tabularii Monasteriensis derivatas codice membranaceo, insignito I. 132.

Berolini 6 Kal. Octobres a. 1863.

822 Anno dominice incarnationis 822, indictione 15, 8 Kalend.
Aug. 25 Septembris, 2 feria, monachi, qui in loco qui Hetha dicitur per septem annos prius demorabantur, inde egressi, cum crucibus et reliquiis in hunc locum pervenerunt; locoque ab episcopo Badurado[1], qui tunc presens aderat, Corbeiae nomen inpositum est. Erectoque tentorio atque illatis crucibus cum reliquiis, locum dedicaverunt in honore et nomine sancti Stephani protomartyris, infodientes crucem Christi, ubi nunc altare esse dinoscitur.

Domnus Liudwicus imperator augustus, Karoli Magni filius tradidit monasterii locum et Huxeri cum omnibus terminis suis, Eresburc et Meppiam abbatiolas, et cetera predia in aquilone. Iuditha imperatrix ab eodem viro suo haec optinuit.

1. Paderbornensi.

Domnus Liudwicus rex die dedicationis Hemele in dotem altaris obtulit. Tradidit etiam Hemmonthorp, abbatiolam Visbike, decimas cum decimalibus aecclesiis in episcopatu Asnebruggi, vineas in Liciaco. Hemma regina haec ab eo optinuit.

Domnus Lotharius imperator tradidit Rugiam insulam cum tota circumiacente provincia Slavorum.

Nomina fratrum novae Corbeiae.

Constructor primus loci nostri sanctus Adalhardus abbas annis 4. Hrodradus, Werinhardus, Aldricus, Magnerus, Eiloldus, Bernewardus, Sigericus, Hramwardus, Wahala. 822—826

Domnus Warinus abbas prefuit annos 30, menses 4, dies 25. Obiit 12 Kalend. Octobris. Ragenhardus, Suithardus, Frithariccus, Asulfus, Bunico, Fastgerus, Cristinus, Bilo, Sigericus, Celo, Theodulfus, Folkerus, Halecgerus, Heloco, Houlfus, Halecwardus, Dendi, Wala, Hildibodo, Adaldagus, Hildiwardus, Theodulfus, Theodboldus, Ahilhardus, Adalgerus, Avo, Herwardus, Wlfardus, Adalmarus, Rikhardus, Adaloldus, Saxolfus, Gerhardus, Frithariccus, Gerho, Helmricus, Margwardus, Frithudagus, Biniki, Ovo, Geroldus, Agicus, Werinhardus, Ragenharius, Hethenricus, Heremannus, Wido, Deddo, Wendildagus, Ragenharius, Margwardus, Gerhardus, Eodus, Gothet, Hrodgarius, Adalgarius, Gerlo. 826 Apr. 26 — 856 Sept. 20

Domnus Adalgarius abbas prefuit annis 20. Obiit 7 Idus Ianuarii. Folcdagus, Wlfhardus, Brun, Godeschalcus, Margwardus, Warinus, Redmannus, Bovo, Othaldus, Gerbertus, Thiadricus, Erph, Unuwanus, Routhulfus, Wicbertus, Alfgerus, Adaloldus, Mainwercus, Gothet, Saru, Ekkricus, Wido, Abbo, Liudulfus, Alfredus, Hogerus, Waldricus, Dodo, Henricus, Daddo, Folkhardus, Eilhardus, Gerbertus, Boso, Haoldus, Thiadulfus, Ragenharius, Reddagus, Nithardus, Walh, Ecbertus, Irminhardus, Aven, Wikgerus, Mainwercus, Odila, Walh, Wendildagus, Liutharius, Folcbertus. 856—877 Ian. 7

Domnus Thancmarus abbas vix mensibus 8 prefuit. Obiit 3 Idus Septembris. Bruni, Herimannus, Thiat- 877 Ian. — Sept. 11

marus, Bardo, Walh, Lantfridus, Otbertus, Hilliwardus, Hildibertus.

877—879 Nov. 9 Ipso anno domnus Avo abbas. Vix tribus prefuit annis. Obiit 5 Idus Novembris. Evo, Sini, Asic, Baldgerus, Thiadbern, Hildiwardus, Alfricus, Bovo, Brunhardus.

879—890 Oct. 29 Domnus Bovo abbas prefuit annis 11. Obiit 4 Kalend. Novembris. Wichbertus, Ailbertus, Worid, Horicus, Hogerus, Guntharius, Geroldus, Hosed, Rainwercus, Erph, Brun, Godefridus, Liudolfus episcopus[1], Euricus, Dodo, Thiatbertus, Geldulfus, Liutwardus, Hrodradus, Bodo, Deddi, Heltmarus.

890—900 Domnus Godescalcus abbas prefuit annis 10[2]. Obiit 2 Idus Ianuarii. Gerwardus, Boso, Brummannus, Irminharius, Thiathmarus, Bodo, Baddo, Thiatmarus, Thiadricus, Adalhardus, Brunhardus, Adalwardus, Thiadulfus, Ordulfus, Hrodoldus, Thiatbertus, Liutgerus, Agilgerus, Folcmarus, Redulfus, Macharius.

900—916 Iun. 22 Domnus Bovo abbas prefuit annis 16. Obiit 10 Kalend. Iulii. Guntharius, Liudulfus, Walh, Cristinus, Bili, Thiatbernus, Bovo episcopus, Aildagus, Hrodgerus, Werinmarus, Hoholdus, Deddo, Bermarus, Baddo, Addasto, Adulfus, Nithardus, Saru, Margwardus, Aven, Thurfridus, Euricus, Liutharius, Godeschalcus, Arnoldus, Helmdagus, Gerbernus, Bernhardus, Walthardus, Helmdagus, Adalgerus, Wirimmarus, Wivingus, Folcmarus.

917—942 Oct. 2 Domnus Folcmarus abbas prefuit annis 25. Obiit 6 Nonas Octobris. Rathubodo, Wido, Amulungus, Thiatgerus, Adim, Bernharius, Thiatmarus, Folchardus, Boia, Rainbertus, Cristinus, Oddo, Bovo, Alfricus, Brun episcopus[3], Hatholdus, Allia, Wlfhardus, Milo, Helmwercus, Hatholdus, Oddo, Liudulfus, Walh, Bunico, Beia, Hogerus, Hosad, Rainoldus, Godeschalcus, Thiado, Hildini, Redulfus, Folcmarus, Hogerus, Fritharicus, Benni, Margwardus, Thiatfridus, Folcmarus, Rodoldus, Sigebertus, Redulfus, Marqwardus, Rotgerus, Wido, Adalricus, Thiatmarus, Widukint[4], Fritharicus.

1. ep. Hildesheimensis designatus, de quo cf. Chron. ep. Hildesh. (Mon. Germ. SS. VII. 851). 2. deiectus a. 900. Cf. Thietmari Chron. L. IV. c. 48 (Mon. Germ. SS. III. 788). 3. Verdensis, 962—976. Cf. Annalist. Saxon. 962. 4. scriptor Rerum gestarum Saxonicarum.

Domnus Bovo abbas prefuit annis 6. Obiit 3 Idus Iulii. Godeschalcus, Siric, Thiatgerus, Herimannus, Dendi, Bernradus, Folcmarus, Ailbertus, Hosad, Biniki, Hirimannus, Gazmarus, Hogerus, Tada, Asi, Hogerus, Thancmarus, Erph, Hogerus, Bodo, Occo, Warinus, Ailboldus, Rainmarus, Thiatmarus, Walh, Redulfus, Bernradus, Thiadricus, Eulfus, Eilbertus, Thiadulfus, Walth, Thiatgerus, Helmdagus, Thiadricus, Alfricus, Ekkiardus, Hogerus, Heio, Helmwercus, Liutharius, Amulungus. 942—948. Iul. 13

Domnus Gerbernus abbas prefuit annis 17. Obiit 13 Kalendas Aprilis[a]. Atbertus, Bern, Asi, Adalhardus, Alduwinus, Folcmarus, Geroldus, Folcmarus, Thiadricus, Bern, Rotholdus, Hildiboldus, Ailbertus, Hosad, Unuanus, Ruoddagus, Folcmarus, Haruth, Burchardus, Bovo, Hathuercus, Osdagus, Godeschalcus, Walth, Meinhardus, Adalwardus, Thiadricus, Bernhardus, Andered. 948—965 Mart. 20

Domnus Liudolfus abbas prefuit annis 26[1]. Obiit Idus Augusti. Boia, Marla, Adoldus, Wego, Ruodus, Thiaddagus episcopus[2], Thancmarus, Wlfratus, Godeschalcus, Alfricus, Thiadricus, Asuad, Redmannus, Folchardus, Wighardus, Wduth, Asculf, Avo, Alfricus, Mainwercus, Thadulfus, Thadricus, Anno[b], Meinharius, Adalwardus, Thiadulfus, Ailbernus, Ailbertus, Mainwercus, Bernharius, Heremannus. 965—983 Aug. 13

Domnus Thietmarus abbas prefuit annis 18. Obiit 4 Idus Martii. Sigibertus, Odila, Oddo, Hunoldus, Hosed, Godefridus, Werinboldus, Mainholdus, Oddo, Marcwardus, Adalricus, Berenmarus, Herimannus, Hadda, Bernhardus, Hadholthus, Bilis, Alfricus, Brun, Thiatmarus[c], Radulfus, Wikkerus, Geio[d], Folcredus, Thiadricus, Rainwardus. 983—1001 Mart. 12

Domnus Hosed abbas prefuit annis 9. Obiit Nonis Decembris. Godeschalcus, Thiatmarus, Folcmarus, Hawardus, Alfricus, Aillaldus, Wigheri, Brun, Godefridus, Walh, Rainoldus, Geroldus, Thidricus, Routhardus. 1001—1010 Dec. 5

a. Arilis *cod.* b. Anna *cod.* c. Thiatm̄ *cod.* d. *sive* Gelo.

1. immo 18. 2. Pragensis, 998—1017. Cf. Thietmari Chron. VII. 41.

1011-1014 Domnus Walh abbas prefuit annis 4[1]. Obiit Idus Februarii. Everhardus, Bernhardus, Othgerius.

1014—1046 Febr. 15 Domnus Druthmarus abbas prefuit annis 32. Obiit 15 Kal. Martii. Liudulfus, Thiatmarus, Bernhardus, Thiatdagus, Frithariens, Bern, Asmundus, Counradus, Marquardus, Christoforus, Rukgerus, Folmarus, Herini, Bernhardus, Eilbertus, Hessi, Bermarus, Richardus, Hiddi, Biso, Herimannus, Frithariens, Liuthgerus, Bernhardus, Werinboldus, Walthardus, Haulfus, Aesich, Reinhardus, Bernhardus, Counradus, Hildalach, Bernhardus, Thiatmarus, Meinwercus, Gerardus, Gero, Wirinheri.

1046-1050 Domnus Rothardus abbas prefuit annis 4[2]. Obiit 5 Idus Iunii. Thiatmarus, Thiadulfus, Liudulfus, Bernhardus, Thiatmarus, Reinmarus, Arnolfus, Wigulfus, Brunig, Bernhardus.

1050—1055 Oct. 2 Domnus Arnoldus abbas prefuit annis 5. Obiit 6 Nonas Octobris. Saracho, Razo, Wiela, Godefridus.

1056—1071 Ian. 9 Domnus Saracho abbas prefuit annis 15. Obiit 5 Idus Ianuarii. Wido, Witmannus, Humbertus, Bern, Brantho, Thiatmarus, Heinricus, Herimannus, Godeschalcus, Meran, Widego.

1071—1078 Dec. 24 Domnus Wernherus abbas prefuit annis 8. Obiit 9 Kalend. Ianuarii. Wizil, Wazo, Ramwardus, Thiemmo, Hazeco, Sigebodo, Gerbrat, Heinricus, Heremannus.

1079—1081 Iul. 11 Domnus Frithericus abbas prefuit non plene tribus annis. Obiit 5 Idus Iulii. Otto, Marcquardus.

1081—1107 Ian. 18 Domnus Marcwardus abbas prefuit annis 26. Obiit 15 Kalend. Februarii. Gumbertus abbas[3], Thitmarus abbas[4], Heinricus abbas, Warmundus abbas[5], Windolfus abbas[6], Liutgerus abbas[7], Heinricus abbas, Hillinus abbas[8], Everhardus,

1. deiectus a. 1014, v. Annal. Corb. supra p. 37. 2. deiectus a. 1050, v. Annal. Corb. supra p. 40. 3. Paderbornensis, qui obiit 1114 Aug. 6. V. Annal. Col. max. in Mon. Germ. SS. XVII. 750. 4. Helmwardeshusensis. De quo cf. quae attuli in Mon. Germ. SS. XII. 284 sq. 5. S. Blasii Nordheimensis. De quo cf. tabulam in Orig. Guelf. IV. 526. 6. Bigaugiensis, 1101—1156; de quo cf. Annal. Pegavienses in Mon. Germ. SS. XVI. 246 et 259. 7. Reinesdorfensis (dioec. Halberstat.), de quo v. Annal. Pegav. l. l. p. 246. 250 et Ebbonis Vita Ottonis ep. Babenberg. in Mon. Germ. SS. XII. 837. 8. Oldesleibensis, qui obiit 1148 Mart. 14. De eo cf. Annal. Pegavienses l. l. p. 250.

Robertus, Adalbertus, Bernhardus, Buso, Radulfus, Liuzo, Walterus, Beringerus, Gerhardus, Adalbero, Engelherus, Folcmarus, Folcmarus, Gerhardus, Walterus, Gerwigus, Hunoldus, Geroldus, Heremannus, Becelinus, Adalbertus, Heilwardus, Walker, Adalmarus, Godefridus, Liuzo, Adalbertus, Erminoldus, Heremannus, Francho, Wolframmus, Everhardus, Anno, Anno, Richardus, Bodo, Odulfus, Geldolfus, Thidricus, Adalhardus, Benno, Wido, Wido, Reinwercus, Abbo, Wizelinus, Harthnidus, Meinhardus, Waltherus, Thidericus, Hazeco, Geroldus, Thidericus, Toutbertus, Brunwardus, Routhgerus, Hartmannus, Adelgerus, Albricus, Folcnandus, Bonifacius, Hugo, Beringerus, Erembertus, Liutbertus, Adalbertus, Godeschalcus, Herimannus, Liutwinus, Waltherus, Goderammus, Liudolfus, Heinricus, Eremfridus, Hildigerus, Eizicho, Witheroldus.

Domnus Erkenbertus abbas prefuit annis 22. Ob- 1107 —
iit Nonis Octobris. Gebehardus, Burchardus, Routhulfus, 1128 Oct. 7
Liutbrandus, Thietmarus, Heremannus, Arnoldus, Liutgerus, Heremannus, Werinherus, Richbertus, Ekericus, Adolfus, Godefridus, Burchardus, Thidericus, Adelbertus, Burchardus, Odalricus, Albericus, Conradus, Hereboldus, Roubertus, Morardus, Ricbertus, Waltherus, Reinwardus, Adalbertus, Heinricus, Arnoldus, Ekkihardus, Bertholdus, Theinhardus, Heinricus, Heinricus, Routhulfus, Iohannes, Gumbertus, Liudolfus, Liudolfus, Gerbertus, Reinhardus, Thidericus, Gelpertus, Hugo, Sigefridus, Adelbertus, Hathebrandus, Burchardus, Ysico, Sifridus, Walthardus, Counradus, Heinricus, Elvingus.

Domnus Folcmarus abbas prefuit annos 9 et men- 1128 —
ses 10. Obiit 4 Nonas Augusti[1]. Reinhardus, Heinricus, 1138 Aug. 2
Bertholdus, Thegenhardus, Heinricus, Bertholdus, Bruningus, Liukoz, Bruno, Counradus, Hethinricus, Burchardus, Folcbertus, Hazeko, Heinricus, Everlandus, Sibertus, Reinhardus, Reinherus, Rotlandus, Heinricus, Counradus, Hereboldus, Rothardus.

Domnus Adalbero abbas prefuit annis fere 5. Obiit 1138 —
4 Kalend. Iunii. Godeschalcus, Wernherus[a], Robertus, Horicus, 1143 Mai. 29

a. Adolphus qui plenaria fecit *in marg. addidit manus saec. XV.*

1. a. 1138. V. Annal. Sax. in Mon. Germ. SS. VI. 776.

Adelbertus, Counradus, Adelbertus, Cono, Meinwardus, Fritherieus, Bruningus.

1143 — 1146 Mart. 21 Domnus Heinricus abbas prefuit non plene tribus annis[1]. Abraham, Marcwardus.

1146 Apr. — Oct. 8 Domnus Heinricus abbas prefuit menses 6. Obiit 8 Idus Octobris[a].

NOTAE CORBEIENSES.

1081-1128 In regali villa Goslaria ecclesia est per abbates Marcwardum[2] et Erkenbertum[3] in honore sancti Viti constructa. Ubi commanentes fideles fraternitatem in honore eiusdem pueri et martiris inchoaverunt, in qua huiusmodi observantiam constituerunt: Cum quis intrat, solidum presentat; in festivitate sancti Viti conveniunt, pauperes large reficiunt, quae comportaverint in hos usus erogant; si quis morte obierit, tres solidos statim ei mittunt, unum pro cera ad dies 30, alios pro victu pauperum, ut fiat elemosina super funere, quae superfuerint de argento ad luminaria, ad tecta vel alios usus ecclesie illius dabunt; fratribus vero nostris in Corbeia, quorum orationibus se commiserunt, cuique obeunti tres solidos dirigent, quos custos ibi obitum dirigens recipiet et pro anima fratris per dies 30 in luminariis et elemosinis pro debito expendet. Memoriam illorum tam vivorum quam mortuorum intenti faciemus et in vigilia sancti Viti omnibus in ea defunctis compulsatis signis missam ut aliis fratribus nostris studiose cantabimus.

1133 Aug. 2 Anno incarnationis dominicae 1133 indictione 11 epactis exstantibus 12, cicli quoque lunaris anno 13, 4 Nonas Augusti, luna 27, media die facta est eclipsis solis tam obscura, ut pene nocti coaequaretur et stellae plures cernerentur.

1133 Aug. 2 Tempore domni Folcmari[4] abbatis facta est ecclipsis solis ante diem inventionis sancti Stephani protomartiris. Unde con-

a. *manus saec. XV addidit* Dñs Wickvoldus 28 abbas.

1. deiectus a. 1146 Mart. 21. 2. 1081—1107. 3. 1107—1128. 4. 1128—1138.

venientes plerique fideles, in honorem sancti Stephani fraterni- 1133
tatem collaudaverunt, cui et caereum statuerunt. Et in festo Aug. 2
eius pauperes largis elemosinis recreabunt, caereum annuatim reficient; fratres vero de Corbeia eorum obitum vigiliis et missis procurabunt, insuper ipsa die qua incepta est compulsatis omnibus signis missam pro omnibus in ea defunctis devote cantabunt. Ipsi vero censum, quem in fraternitate comportaverint, in usum monasterii conservabunt.

In aquilone in curia, que vocatur Wlvelage[1], fraternitas est in honore sancti Viti, de qua post biennium deferentur ad monasterium Corbeiense duo caerei, reliquiae efferuntur et cum caereis honeste suscipiuntur. Eorum et vivorum et mortuorum memoria sit apud nos indesinenter.

Ob salutem animarum incepta est apud nos a domno Erkemberto[2] abbate et omnibus fratribus nostris et aliis Christi fidelibus fraternitas in honore sancti Viti in hoc loco Corbeia, de qua pauperum recreatio sit in pentecosten, quando hi fideles conveniunt illam disposituri, in vigilia sancti Viti omnibus in ea defunctis missam cum compulsatione cantabimus et vespere cereum reparatum ipsi fideles afferent. Tricesimum diem obitus cuiusque et fratrum de monasterio et ipsorum fidelium plenissime in pauperum recreatione procurabunt. Quecunque vero comportaverint in argento, ad decens ornamentum monasterii reservabunt. Ut eorum memoria sit continua, nomina sunt super altare conscripta. Feliciter.

Anno dominice incarnationis 1241, 2 Non. Octobris, luna 1241
existente 27, indictione .., epacta 17, concurrente .., clave 39, Oct. 6
ciclo solari 18 et cyclo lunari 7, visa est eclipsis solis, ut magistri Parisienses predixerant, ita quod circa horam decimam diei sereni, nubibus non conparentibus, circa solem tenebre sunt exorte ad instar noctis et stelle plures viderentur.

1. curia Vvlvelage comparet etiam in Adriani IV papae bulla ap. Erhard Reg. Westph. II. Cod. dipl. p. 80. 2. 1107—1128.

NOTAE STABULENSES DE WIBALDO.

In calendario Stabulensi, quod tenet membranaceus bibliothecae Bruxellensis codex signatus numero 2035, utiles has de Wibaldo notas una saeculi XII manu positas[1], *hoc anno Bruxellis cum essem, laetus repperi; quae quidem notae, in annorum ordinem redactae, aptissime eiusdem Wibaldi epistolis praemittendae mihi videbantur.*

Berolini 7 Kal. Septembres a. 1863.

1117 Mart. 19 14 Kal. Aprilis. Domnus Wibaldus suscepit habitum monachicum in Walciodoro[2] anno Domini 1117 sub Widrico, eiusdem loci abbate[3].

1118 Ian. 14 (19 Kal. Februarii) (Domnus Wibaldus mis)su(s est Stabulensibu)s[a] fratribus anno Domini 1118; et mansit ibi[4] postea ex per(missu) Widrici abbatis sui.

1130 Nov. 16 16 Kal. Decembris. Hic electus est domnus Wibaldus presens Stabulaus in Stabulensem abbatem anno Domini 1130.

a. *Sic mutilum hunc locum restitui. Franciscus enim Laurentius, prior Malmundariensis, qui ineunte saeculo XVII chronicon Stabulense scripsit, de Wibaldo facto monacho Walciodorensi retulit haec:* qui ad monasterium Stabulense, famosam ab antiqno litterarum palaestram, missus fuit. (*Vid. Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde* IV. 434).

1. Antiquior eiusdem saeculi XII manus addidit ad 6 Id. Aprilis: „Anno ab incarnatione Domini 1105 sabbato paschae diaconus ordinatus"; et ad 5 Idus Aprilis: „O(rdinatus) pr(esbyter) O. E. Rome sancto die paschae in eclesia sancti Pauli apostoli". 2. Vasor s. Waulsort ad Mosam fl., dioec. Leodiensis. 3. Cf. Chron. Valciodorense ap. D'Achery Spicileg. II. 725; et Lotharii imperatoris diploma ap. Martene Coll. I. 747. 4. Stabulaus.

Idus Aprilis. Hic domnus abbas Wibaldus investitus est de 1131
abbatia Stabulensi Stabulaus ab imperatore Lothario secundo, Apr. 13
anno infra scripto.

12 Kal. Maii. Hic domnus Wiboldus abbas consecratus est Apr. 20
in abbatem Stabulensem Stabulaus ab Alexandro Leodiensi episcopo[1] anno Domini 1131, aetatis suae anno 34.

13 Kal. Octobris. Domnus Stabulensis abbas Wiboldus 1137
electus est in abbatem in Monte Casino absens. Et sequenti Sept. 19
die investitus est de eadem abbatia á Lothario imperatore anno Sept. 20
Domini 1136.

13 Kal. Novembris. Hic domnus abbas Wibaldus electus 1146
est Corbeiae absens in Corbeiensem abbatem, anno ordinationis Oct. 20
suae in Stabulaus 16, dominicae autem incarnationis anno 1146.

2 Idus Decembris. Domnus abbas Wibaldus investitus est Dec. 12
de abbatia Corbeiensi in villa Winheim anno supra scripto in electione.

15 Kal. Ianuarii. Hic susceptus est domnus abbas Wibaldus Dec. 18
Corbeiae.

1. 1128—1135.

.74-105 cf Giesebrecht, Kaiserzeit V (1877) 410

WIBALDI EPISTOLAE.

1. *Wibaldus Ruperto abbati Tuitiensi de virginitate quaestiones proponit*[a] [1].

1119-1130 Domino Ruperto Tuitiensium abbati, omni morum et doctrinae sapientia insigni, esuriens scientiam, inter sexaginta veri Salomonis reginas[2] in die iucunditatis et laetitiae coronari.

Ad vos, o abbatum venerande, plus corde quam facie cognoscendus scribo, ac vobis plus oneri quam servitio ero. Quod non ex temeritate vel arrogantia, sed ex caritatis vestrae prudentia et bonitate praesumo; non enim[b] me paternitatem vestram gravaturum arbitratus sum, si a vobis illa in caritate quaererem, quae aliis ultro cum benevolentia erogatis. Videtur[c], si quae parvitas mea in scripturis sacris ignorat, vestram adeo doctam sapientiam interrogare, cuius argumentum in magnis et iure laudandis operibus ex parte cognovi. Precor ergo vos per virginis Filium, ut nobis rescribere dignemini, si virginitatis amittat palmam, qui vel quae propriis aut alienis manibus vel qualibet alia arte praeter naturalem coitum sibi semen elicuerit; vel si in proposito virginitatis corrupta consecrari debeat vel possit. Haec sunt, venerande pater, quae mihi de animae salute et consilio a caritate vestra expediri cupio; in quo non solum mihi sed et multis utriusque sexus, qui mecum ista efflagitant, proderitis. Et si qua sunt, quae his rebus dubitationem generant,

a. *Et hanc et eam quae sequitur epistolam descripsi ex Ruperti abbatis Tuitiensis Opp.* (*ed. Parisiis* 1638) T. II. 936 et 937. b. N. N. *ed.* c. bonum *vel similis excidisse videtur.*

1. Rupertus, die 11 Sept. aut 1119 aut 1120 factus abbas Tuitiensis, cum die 4 Martii aut 1129 aut 1130 obierit (v. quae attuli in Mon. Germ. SS. XII. 627 et 628), hanc epistolam intervallo annorum 1119 et 1130 scriptam esse liquet. 2. Cantic. 6, 7.

vestra diligentia subtiliter enodet, quae et brevitatis gratia prae- 1119-1130
tereunda putavi et quia disertum interrogo, qui hoc facilius quam ego advertere nostis. Peto etiam, si dilectioni vestrae placet, ut Apologeticos vestros[1], quos illustribus scripsistis viris[2], nobis mittere velitis, quoniam cum in Matthaeo locus ille venisset: *Fiat voluntas tua sicut* etc.[3], invenimus calumniatoris vestri sententiam, quam tota libertate praeceptor meus[4] respuit et in vestram pedibus ut dicitur ingressus est. Verum quanquam uterque nostrum libros eosdem vestros, dum adhuc essetis Leodii, legissemus — nam illuc propter vos et opera vestra de Stabulaus[a] veneramus[5] — tamen eorum sententiam non facile totam tenere potuimus; sed hoc memoriter habemus, subtili vos ratione et rationabili subtilitate vicisse, nullam in voluntate Dei diversitatem vel duplicitatem accidere. Si hec[b] vobis quidem parva, mihi vero grandia meruero. Animabitis me forsitan illa quaerere, de quibus dignum sit vestram excellentiam respondere, in quibus mea et mei similium tenuitas possit proficere. Valete.

---

2. *Rupertus abbas Tuitiensis Wibaldo, de laesa virginitate interroganti, una cum commentario[6] hanc epistolam mittit.*

Cum tuas, dilectissime in Christo frater W(ibalde), litteras 1119-1130
accepissem, statim interrogationi tuae paravi responsum dare breve. At ubi verba fundere coepi, scriptori per calamum excipienti plura sese obtulerunt dicenda, quae pertinebant ad eundem sensum et afferre posse videbantur pro eadem re legentibus

a. Stabulans *ed.* b. hoc *ed.*

1. Ruperti librum apologeticum de voluntate Dei, Opp. II. 894—901, compositum spatio annorum 1113 et 1115; ut docui in Mon. Germ. SS. XII. 625 n. 13. 2. Willelmo de Campellis episcopo Catalaunensi et Anselmo decano Laudunensi, ut ex libri ipsius capite 1 intelligitur. 3. Matth. 6, 10. 4. Reinhardus, postea abbas Reinhusensis. V. infra ep. 55. 5. Wibaldum die 14 Ianuar. a. 1118 ex monasterio Walciodorensi in Stabulense coenobium transiisse, docent Notae Stabulenses supra p. 74. Rupertum vero aut mense Martio aut m. Aprili a. 1119 Coloniam pervenisse nec postea Leodium reversum esse, ostendi in Mon. Germ. SS. XII. 627. Itaque Wibaldus ex coenobio Stabulensi Leodium Ruperti causa venisse debet spatio mensium Ianuarii a. 1118 et Aprilis 1119. 6. Ruperti Opp. II. 937—942.

1119-1130 aliquem fructum. Cum ergo venientia susciperem calamoque committerem, repente prolixior quam proposueram sermo effectus est; sed erat non velut membris iustis[a] distinctum corpus, imo quasi globus confusus, utpote nullis capitulis distinctus. Fateor tibi, tunc recordatus sum illius dominici dicti parabolici: *Simile est regnum coelorum grano synapis* etc.[1] Huius inquam dicti sive parabolae recordatus sum; et non inaniter, quia videlicet interrogatio tua ad regnum coelorum pertinet. Interrogasti enim de virginitatis palma, utrum alicui viro sive feminae propter aliquas sordes, propter aliquem contactum seminisque effusionem concidat, non peracto commixtionis opere sive coitu, ut aperte dictum sit, ut ipsa postulat res. Nam ista verba tua sunt: *Precor vos per virginis Filium, ut nobis rescribere dignemini, si virginitatis amittat palmam, qui vel quae propriis aut alienis manibus vel quolibet alio modo praeter naturalem coitum sibi semen elicuerit.* Causa ista profecto, ut iam dixi, ad regnum coelorum pertinet, quia quaestio de sancta virginitate est, quae prae cunctis meritorum gradibus regnum coelorum possidet. Videbatur autem mihi res parva et plena pudoris; et idcirco non pluris erat apud me quam granum synapis. Segnius ergo atque negligentius respondere coeperam. Sed sicut granum synapis, cum creverit, maius est omnibus oleribus et fit arbor, ita ut volucres coeli veniant et habitent in ramis eius[2], ita de causa ista nunc dico; quia si a veraciter sapiente tractetur, fiet sermo fidelis et acceptione dignus, qui non solum tibi sed multis utriusque sexus, qui tecum ut perhibes istud efflagitant, sit proficuus. Ego autem non, ut tu putas, sapiens sum, a quo ista tractari debeant, imo quod sapiens pro humilitate apud Salomonem dicit, ego pro te vere dicere possum: *Stultissimus sum virorum et sapientia hominum non est mecum; non didici prudentiam, non novi scientiam sanctorum*[3]. Verumtamen quoniam adiurasti me, dicens: *Precor vos per virginis Filium, ut nobis rescribere dignemini,* et idcirco reticere omnino ausus non sum.

a. istis *ed.*

1. Matth. 13, 31. 2. Matth. 13, 32. 3. Prov. 30, 2. 3.

Precor et ego eundem virginis Filium seu virginitatis florem et 1119-1130
sanctum[a] qui super hunc florem requiescit Domini spiritum, ut veritatis mihi et in hoc et in caeteris suggerat sensum sermonemque fidelem et cautum.

---

3. *Innocentius II papa Folcmarum abbatem Corbeiensem hortatur, ut camerarium infamatum dimittat.*

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio F(olc- 1133-1137
maro) Corbeiensi abbati salutem et apostolicam benedictionem. Febr. 8

Religiosorum virorum est, honestas personas suo collegio adhibere, quorum contubernio minime infamentur. Unde psalmigrafus vates canit: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat*[1]. Et quoniam de quodam camerario, quem habere diceris, multa sinistra nostris sunt auribus nuntiata, per apostolica scripta tibi mandamus atque precipimus, quatenus ipsum á consortio tuo amoveas et tam honestam religiosamque personam eius loco substituas, de cuius conversatione omnipotens Dominus honoretur et fama tua Deo propicio occasione huiusce modi nequaquam ulterius denigretur. Tua itaque interest, talem te de cetero exhibere, ita ad reformandam religionem instantius laborare, ut sinistra fama, quae pro huius modi apud sedem apostolicam innotuit, bone conversationis studiis abstergatur et nos de tuis actionibus gaudere possimus. Data Pisis 6 Idus Februarii.

---

4. *Lotharius imperator Casinenses cohortatur, ut relicto schismate Innocentium II sequantur. Seniorectum abbatem ad se venire vult*[b][2].

Loth(arius) Dei gratia Romanorum imperator augustus univer- 1136
sis fratribus Sancti Benedicti[3] gratiam suam et bonam voluntatem. Sept. Oct.

Ex antiquo ecclesia vestra nomen religionis habuit semperque sanctae conversationis exemplum et formam aliis praebuit.

a. dum *ed.* b. *ex codice Casinensi edidit Angelus de Nuce: Chronica Casinensis, in appendicis p.* 24.

1. Ps. 100, 6. 2. Hanc epistolam scriptam esse „tempore, quo imperator transcensis Alpibus intravit Italiam“, refert Petrus diac. in Chron. Casin. L. IIII c. 107 (Mon. Germ. SS. VII. 818). 3. Casinensibus.

1136 Sept. Oct. Unde etiam confidimus, vestris orationibus apud Deum hoc posse optineri, ut quietem universali reddat ecclesiae et pacem nostris concedat temporibus. Cum ergo ex privilegio antiquae religionis suae ecclesia vestra specialiter ad Romanam dignitatem respicere debeat, commonemus vos mandando, ut, si timore alicuius coacti ab unitate ecclesiae exorbitastis, ad eum[1], quem tota ecclesia patrem recognovit, redeatis. Nos vero in omnibus debitam tuitionem ecclesiae vestrae exibere volentes, quam cognoscimus imperialibus dotatam oblationibus, mandamus vobis, ut, cum primum partibus illis appropiaverimus[a], abbas vester[2] cum sapientioribus ex vobis nobis occurrat, ut de his, quae ad tuendas res vestras expediant, plenarie conveniamus. Latorem praesentium, si opus habueritis, iterum ad nos remittatis, quia fideliter causam vestram agit.

---

5. *Richiza imperatrix Casinensibus benevolentiam suam declarat. Seniorectum abbatem ad se venire cupit*[b].

1136 Sept. Oct. Rychyza Dei gratia Romanorum imperatrix fratribus Sancti Benedicti gratiam suam et bonam voluntatem.

Magnam fuisse ex antiquo ecclesiae vestrae religionem, audivimus. Unde memoriam nostri apud vos haberi rogamus, quatinus vestro obtentu Deus pacem ecclesiae suae in nostris concedat temporibus. Nos etiam, quantum poterimus auxiliante Deo, pro salvandis rebus ecclesiae vestrae cogitabimus; tantum domnus abbas[2] tempestive nobis cum sapientioribus occurrat, ut de his et de aliis convenire plenarie possimus.

---

6. *Lotharius imperator Casinenses admonet, ut sua mandata ab Adenolfo et Vertulfo allata exsequantur*[c].

1137 Febr. Loth(arius) Dei gratia Romanorum imperator augustus fidelibus suis, religiosis fratribus de Monte Casino gratiam suam et bonam voluntatem.

a. appropriaverimus *ed.* b. *Edidit Angelus de Nuce l. l. p.* 25. c. *Edidit Angelus de Nuce l. l. p.* 24.

1. Innocentium II papam. 2. Seniorectus.

Si in vobis non remanserit, in proposito nostro esse [a], ut de honore ecclesiae vestrae secundum munificentiam imperialem cogitemus. Attendentes enim dignitatem tantae ecclesiae et religionis, quae prae caeteris hactenus floruit, in omnibus eam respicere et manutenere sicut specialem camerae nostrae domum disposuimus. Unde per omnia fideles nostros Adenolfum et Vertulfum [1] ex parte nostra secretius audiatis et, quicquid de causa nostra vobis significaverint [b], diligenter et fideliter exequamini. Hoc enim si recte attenditis, ad proficuum et honorem ecclesiae vestrae spectabit. Ex verbis enim praefatorum fratrum, ut verum vobis fateamur, multum intenti sumus, ut ad insigne honoris imperialis, si Deus concesserit, memoriale nostrum apud Sanctum Benedictum in perpetuum relinquamus. 1137 Febr.

---

7. *Lotharius imperator Raynaldo abbati Casinensi scribit, ut ad se veniat et Rogerii regis studiosos e coenobii castris eiciat* [c].

Lotharius Dei gratia Romanorum imperator augustus abbati R(aynaldo) [2] de Monte Casino gratiam suam et bonam voluntatem. 1137 Mai. ex. — Iun. in.

Presentiam tuam cum duce [3] expectabamus. Cum quo quia non venisti, mandamus, ut ad nos veniatis. Audivimus autem, quosdam homines Beati Benedicti, in illius Syculi [4] adhuc fidelitate permanentes, in castris tuis manere. Quos placet ut caute removeatis, ne quod impedimentum ecclesie Casinensi per eos possit oriri.

---

a. sciatis *excidisse videtur.* b. significaverit *ed.* c. *Wattenbachius in Mon. Germ. SS. VII.* 819 *n.* 40 *edidit hanc epistolam, a Pertzio e codice Casinensi descriptam.*

1. monachos Casinenses, a Seniorecto abbate ad Lotharium missos, qui etiam post mortuum die 4 Febr. 1137 Seniorectum dieque 10 Februarii electos abbates duos, Ravennae apud imperatorem versati sunt. V. Petri diac. Chron. Cas. L. IIII. c. 104 (Mon. Germ. SS. VII. 816). 2. Hetruriensi. 3. cum Heinrico Superbo duce Bavariae, imperatoris genero, quem paulo ante diem pentecostes (Mai. 30) a monasterio Casinensi Barum ad imperatorem pervenisse, liquet ex Annalista Saxone, Mon. Germ. SS. VI. 773. (Petrus diaconus in Chron. Casin. L. IV. c. 108 l. l. de huius epistolae tempore falsus est). 4. Rogerii regis.

8. *Lotharius imperator Raynaldum abbatem Casinensem in diem 29 Iunii Melphiam vocat*[a].

1137 Iun. Loth(arius) Dei gratia Romanorum imperator augustus abbati[1] Casinensis monasterii gratiam suam et bonam voluntatem.

Semper moris nostri fuit, eos manutenere et amplecti, qui ad nos spectare debent, nec eos umquam deserere, qui fiduciam in nobis posuerint. Unde procul dubio scias, quod ecclesiae tuae ius, quousque vixerimus, tuebimur, nec alienae potestati umquam permittemus, quod nostri iuris est et quod ad imperialem spectat dignitatem. Quia vero in festo apostolorum Petri et Pauli[2] curiam pro statuendo duce apud Melphiam condiximus omnesque terrae barones eo convocavimus[b], mandamus tibi, ut, assumptis tecum sapientioribus, eodem omnibus postpositis venias, omniaque imperatorum privilegia tecum deferas, ius ecclesiae tuae ostensurus. Fratres tuos, sicut rogasti, honeste suscepimus, sicut decuit tantae ecclesiae personas, volentes beneficiis nostris hoc apud eos optinere, ut aput ecclesiam Casinensem memoriale nostrum semper remaneat. Si ad festum praefatum venire possis, fiat; sin autem, quanto citius possis venias. Salutat te dilecta nostra Rychyza, omnibus modis honorem ecclesiae tuae amplectens cumque toto nisu promovere cupiens. Fratres tui, sicut sapientes viri, cum magna discretione nobis locuti sunt. Vale, et eosdem tecum ducas.

---

9. *Lotharius imperator Casinensibus de privilegiis eorum confirmandis scribit*[c].

1137 Iun. Lotharius Dei gratia Romanorum imperator augustus decano[3] omnibusque Casinensis monasterii fratribus gratiam suam et bonam voluntatem.

Nolentes, quantum Deus permiserit, in aliquo terminos ante-

a. *Edidit Angelus de Nuce l. l. p.* 25. b. convocabimus *ed.* c. *Edidit Angelus de Nuce l. l.*

1. Raynaldo (Hetruriensi). Cf. Petri diac. Chron. Casin. L. IV. c. 108 l. l. p. 819. 2. Iuni. 29. 3. Ottoni. V. Petri diac. Chron. Cas. L. IV. c. 108 l. l.

cessorum nostrorum imperatorum excedere, ius ecclesiae Casinensis ad exemplum illorum in nullo inminui patiemur; semper enim ecclesia illa[a] in vigore religionis permansit omnibusque forma bonae conversationis fuit. Unde nosse vos volumus, quia[b] domnum abbatem[1] ad nos venire fecimus, ita causam ecclesiae vestrae diffinire[c], ut nichil libertatis suae tempore nostro amittat. Vos itaque interim et semper nostri in orationibus vestris memores estote, impetrantes hoc apud Deum, ut pacem nostris concedat temporibus. Salutat vos dilecta nostra Rychyza, causam vestram cum omni devotione apud nos promovere satagens, utque abbatis causa efficaciam suam habeat omni diligentia elaborare curabit. 1137 Iun.

---

10. *Lotharius imperator Wibaldo mandat, ut Petrum diaconum Casinensem ad se mittat*[d].

Lotharius Dei gratia Romanorum imperator augustus dilectissimo fideli suo Guibaldo Casinensi gerarchae et Romani imperii cancellario et magistro capellano ac principi pacis gratiam suam et bonam voluntatem. 1137 Sept. 30

Tuae fidelitati per imperialia scripta mandamus, ut nostrae a Deo conservandae magestati Petrum, Casinensem diaconum, qui a nostra imperiali serenitate logotheta Italicus, exceptor, cartularius et capellanus Romani imperii constitutus est, transmittere studeas; recepturus[e] pro suae fidelitatis servitio dignae retributionis praemium. Indubitanter[f] enim noveritis, nostram magestatem et collaterales imperii propter antiquitates et rerum gestarum relationes eius minime frui absentia velle. Mitte etiam per eum omnia praecepta antecessorum nostrorum, quae ei ad Aquas Pensiles olim nos custodienda dedisse meminimus. Data apud suburbium Tyburtinum pridie Kal. Octubris.

---

a. ecclesiam illam *ed.* b. que *ed.* c. volentes *excidisse videtur.* d. *In hac epistola proponenda usus sum Wattenbachii editione Chronicae monasterii Casinensis in Mon. Germ. SS. VII.* 840. e. *sic.* f. Indubitanter — absentia velle *om. cod. Cas.* 257.

1. Raynaldum (Hetruriensem).

11. *Wibaldus a Lothario imperatore petit, ut sibi a Rogerio rege in summas angustias adducto subveniat*[a 1]. (M. 1.)

1137 Oct. in. Lothario Dei gratia Romanorum invictissimo caesari, imperatori augusto ac triumphatori perpetuo, Guibaldus Dei gratia Casinensis coenobii minister indignus debitae fidelitatis obsequium.

Post innumeras sollicitudines, quibus nimirum oneratur Romanum imperatoris fastigium, laudabile clementiae vestrae cognoscimus, christianissime imperator ac triumphator invicte, esse propositum, per quod, submotis omnibus discordiarum ac querimoniarum seminibus quae in agro dominico humani generis inimicus asperserat, sanctae catholicae Casinensi ecclesiae piissimo mentis affectu consulere voluistis. In quo scilicet animi voto ac desiderio, quantum rebus humanis favere providentia divina dignetur, sollicitudo clementiae vestrae spiritu Dei incitata demonstrat; quae more Romanorum imperatorum benigna circa omnes existit. Ideo et, quasi Deo contemplante, populum Domini sibi commissum felici regat semper et gubernet intuitu, nec amplius patiatur, eos aliquibus saeculi hujus procellis illidi aut malignis perturbationibus concuti; quatenus post hoc vitae praesentis imperium regnum coeleste adipisci et in aeternum cum Domino retinere valeatis. Hinc itaque pro tanta devotione animique vestri sinceritate, quam non solum verbis sed lucifluis etiam operibus circa Casinensem ecclesiam et nostram parvitatem ostendistis, obnixe petimus, ut vestro potenti solatio sanctam Casinensem ecclesiam, Romani imperii specialem ac singularem cameram, in hoc periculoso tempore in omnibus adiuvare defendereque non dedignetur; quatenus ex hoc vestra imperialis gloria, beatissimi patris nostri Benedicti suffragantibus meritis, per cunctas orbis Romani partes magis ac magis in dies semper accrescat et apud omnipotentem Dominum dignam retributionem percipiat.

a. *In hac et in ea, quae sequitur, epistola (quarum utramque Petrus diaconus Casinensis formavit) edenda Martene et Durand (Coll. II.* 183 *et* 186*) usi sunt exemplo a Iohanne Mabillonio ex codice Casinensi tracto.*

1. Ineunte mense Octobrì scriptam hanc epistolam esse, patet ex Petri diac. Chron. Casin. L. IV. c. 125. p. 840.

Quanta autem et qualia per impiissimas gentes Longobardorum, Nortmannorum et Saracenorum ego et Casinensis ecclesia pro fidelitate Romani imperii et apostolicae sedis sustineamus, stilus scribere non sufficit, cum omnia ligna silvarum herbaeque camporum, undae maris ac arenae littorum, si vertantur in linguas, enarrare non valeant. Nihil enim aliud Casinensi ecclesiae nisi tribulationem inenarrabilem reliquerunt. Et ecce proh dolor, rege Nortmannorum Rogerio cum suo exercitu gratulante, solus fidelium coetus magna moestitudine consumitur, christianorum sanguis effunditur, monachi in carceris vincula vinciuntur, devotus Deo populus continua strage vastatur. Nam qui evadit ignem vel gladium, praeda efficitur, captivus trahitur, venundatur et exul perpetuo constituitur. En civitates, castra, ecclesiae ac monasteria destituta habitatoribus disperierunt et praepositi ac monachi hac illacque dispersi. Sola illis Beati Benedicti limina derelicta sunt in refugium, cum monasteria eorum in ferarum redacta sint cubilia, et ipsi vagi et sine tectis inventi, non iam eis liceat praedicare nomen Domini, sed mendicare. Ecce, imperator invicte, pervenit gladius usque ad animam[1]; ecce dies, in qua clamamus: *Beatae steriles quae non genuerunt, et beata ubera quae non lactaverunt*[2]; ecce illa periculosa tempora Pauli voce praedicta[3]. Libet ergo cum Hieremia clamare: *Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum*[4], ut plangam tantam ac tantam miseriam, tale ac tantum excidium patriae? Sedet in tristitia, quin potius in ruina Casinensis ecclesia, caput omnium monasteriorum, mater omnium coenobiorum, consolatio tristium, portus periclitantium. Ecce, inquam, revera dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriae, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et turbinis, dies tubae et clangoris. Praeterito quippe anno homines Beati Benedicti seminaverunt, sed propter militias vestri invicti imperii non recollegerunt; hoc vero anno quia non seminant, nec est recolligendi fiducia. 1137 Oct. in.

Quid vero de exercitu Siciliae dicam, cum comites Aqui-

1. Ierem. 4, 10. 2. Luc. 23, 29. 3. 2 Timoth. 3, 1. 4. Ierem. 9, 1.

1137 Oct. in. nenses et homines terrae Beati Benedicti et omnes circumcirca manentes contra sacramentum, quod vobis et Romano imperio et Casinensi ecclesiae fecerunt, nil melius operentur? Residuum enim locustae comedit brucus[1], ut ait propheta. Quid enim Nortmanni faciunt, et comites Aquinenses peiora non faciunt? Illi terram occupant, isti nihil ex civitatibus vel ex rure dimittunt; illi occidunt gladio, isti ablatis omnibus fame trucidant; illi in captivitatem ducunt, isti sibi in servitutem redigunt. Et cum queritur, quis adversus hostes dimicet, inveniuntur nulli, cum scilicet eorum oppressione retenti, ad mandatum nostrum occurrere prorsus inveniantur[a]. Sed cum undique angustiati clamamus, non est qui audiat, non est qui respondeat, non est qui adiuvet, non est qui salvum faciat, non est qui protegat. Et quid dicam vel quid loquar, cum pervenerit gladius usque ad animam et sanguis omnium interfectorum de terra clamet ad Deum? Omnis namque populus diversi sexus et aetatis intra moenia coenobii Casinensis congregatus consistit, et omnibus forinsecus devastatis ac in solitudinem redactis, nihil iam restat, nisi, quod Deus avertat, ipsius ecclesiae Casinensis excidium. Illud autem, quod habere videmur, solo nomine utimur, ut vel ad defensionem coenobii vel ad aliquam utilitatem eiusdem ecclesiae quorumlibet solatia numquam inveniamus.

Praecipue autem mihi, quem vestra ibi praefecit maiestas, non solum nulla solatia conferunt, verum etiam quidquid residuum est ab hostibus inpretermisse subtrahunt, et omnem nostram dispositionem in terra Beati Benedicti suis violentiis calcant, adeo ut nec victualia nec ulla quadrupedia in omnibus nostris[b] remaneant, nec ullum[c], qui nobis compatiatur vel nostros singultus vel gemitus doleat, oculus noster aspiciat.

Sed quia tanto imperatori, tanto augusto pauca sufficiunt, ex istis iam, triumphator invicte, quae nos prae gemitu et afflictione cordis loqui non possumus, et ex verbis filii nostri Petri, huius epistolae dictatoris ac Romani imperii per omnia

a. *sic ed.* b. possessionibus *vel similis excidisse videtur.* c. ullus *ed.*

1. Ioel 1, 4.

fidelis, quem in Alemaniam, Saxoniam, Daciam, Sueviam ac Lotharingiam mittere decrevimus, cognoscetis. Historiam vero occidentalium imperatorum, quam eidem Petro dictare praecepistis, noveritis adhuc non explesse. Variis enim tribulationibus et angustiis pressus, plus ei flere quam scribere libuit. 1137 Oct. in.

Ergo, praecellentissime caesarum, iam iam nostrae calamitati succurrite, coenobii Casinensis miserias relevate, iam vestrae potentiae manum porrigite, et eandem ecclesiam[a], quae specialis ac singularis Romani imperii camera semper fuit et est, ne, si perdita fuerit, et Romanum vilescat imperium et toto orbi Romano noscatur dispendium; quia, cum iuxta precipitium consistamus, nisi manu vestrae defensionis nos adiuvaretis, spe vivendi per Christianos sublata, aut ipsis paganis subiciemur aut, quod avertat divina potentia, ab eorum multitudine victi, ad omne christianitatis dispendium crudeli nece pereamus, ac per hoc et Christi nomen in gentibus blasphemabitur et vestrae opinionis anteacta studia oblivioni tradentur. Et ideo solotenus humo prostrati vestram augustalem clementiam poscimus et per futurum iudicium ac per omnia divina et humana mysteria, quae in coelis et in terra sunt, adiuramus atque cum tota Casinensi ecclesia, cui me divina dignatio praeficere voluit, vestro divinitus protecto imperio totis viribus suggerimus votisque supplicibus preces multas effundimus, ut contritae, devastatae, desolatae et omni humano solatio destitutae sanctae Casinensi ecclesiae defensionem debitamque tuitionem, cunctis remotis occasionibus cunctisque omissis dilationibus, in quantum valetis auxilii omnimodis praebeatis; quatenus, qui innumeris tribulationibus quatimur ac aestuamus ac pro monachis nobis commissis miseriis cruciamur, vestris consolationibus refecti, laetemur et, per vos tranquillitate percepta, optatam libertatem, sicut decet, per tam benignum ac sanctum imperatorem consequi mereamur. Nam vobis, qui in agone contenditis[1], ut ad bravium supernae vocationis[2], ut ad capessendam coronam incorruptam

a. liberate *vel* servate *vel similis excidisse videtur.*

1. 1 Corinth. 9, 25. 2. Philipp. 3, 14.

1137 Oct. in. perveniatis, ab omnibus aliis abstinendum est, et legitime pro Casinensi ecclesia, quae singularis Romani imperii camera est, decertandum. Quid autem magis legitimum, quam ut prae omnibus et ante omnia camerae vestrae curam habeatis, quae cunctorum monasteriorum caput et mater est, quae vestro in tempore tantis ac tam immanibus succumbit sine cessatione periculis? Denique si Casinensis ecclesia, quae cunctorum monasteriorum caput est, viget, cetera coenobia, quae membra eius sunt, quamvis languida, recuperandi fiduciam non amittunt. Quae nimirum omni robore carent, si contingat solum caput forte languere; quanto potius — quod meritis sanctissimi patris Benedicti avertat omnipotens Deus — si contingat extingui. Et iam Benedictus ac Maurus cum sibi commissis ovibus merguntur. Erigite ergo illos a fluctibus, imperator invicte, si[a] vos pater Benedictus ab excessuum alluvionibus erigat et vobis coelestis atria regni intercessionum suarum precibus reseret, ut vitae aeternae pascua invenienda inter angelos et archangelos sine termino tribuat, quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit[1]. Imperii vestri magnificentiam Christus Dominus feliciter conservet, tueatur et defendat in annis. Bene valete.

---

12. *Wibaldus Lotharium imperatorem et Richizam imperatricem obtestatur, ut maximis difficultatibus suis consulant*[b]. (M. 2.)

1137 Oct. Domino piissimo et serenissimo imperatori augusto Lothario caesari ac triumphatori perpetuo eiusque uxori Richizae, a Deo protectae Romanorum imperatrici, victorias certaminum, perennis vitae bravium, subiectiones gentium atque substratis hostibus pacis ubique bonum, Guibaldus sancti Casinensis monasterii minister indignus.

In variis multiplicibus ac diversis tribulationibus constitutus, vestrum de die in dies venturum sperabam auxilium; sed, ut video, fefellit me spes mea. Quantum enim relationibus

a. *an* sic? b. *Huius epistolae fragmenta leguntur in Petri diac. chron. Casin. L. IV. c.* 104 *et* 126 *p.* 816 *et* 841. *Cf. supra p.* 84 *n. a.*

1. 1 Corinth. 2, 9.

vestrae piissimae tranquillitatis ad nos in Casino venientium 1137 Oct. didicimus, vos iam fere Aquilegiae propinquasse, etiam ipso auditu nimis noster contristatus ac deiectus est animus, et tanto iaculo moeroris cor nostrum infixit, ut linguae humanae nullus sufficiat explicare sermo, quia nimirum magis nobis moestitia de vestro ab Italia recessu nunc orta est, quam dudum moeror affecit, cum vestro imperiali iussu onera Casinensis coenobii ferenda suscepi.

De venerandis vero sermonibus vestris, quos nobis per nuntios vestros misistis de sacramentis Nortmannorum ac Langobardorum[1], utinam non illis imputetur; melius enim fuerat illis non iurare, quam iurare et periurium committere. Omnes enim, qui in istis partibus habitant, apostatantes ad satan conversi sunt, et nihil vel dicunt vel faciunt, nisi quod digitus diaboli in corda eorum scribit. Nam quicquid nequitiae, quicquid malitiae, quicquid perversitatis, quicquid tortitudinis vel dici vel cogitari potest, in operibus ipsorum cernimus. Quantas autem calamitates, quantas tribulationes vel quantas persecutiones ab ipsis sustineam, per dilectissimum filium meum Petrum vobis notificare decreveram; sed quia itineris id longitudo et conclusio prohibuit, paucis aperiam.

Post vestrum namque discessum Saraceni, Nortmanni atque Langobardi, invenientes quietam terram, quaquaversum tendunt, devastando depopulantur, incendio atque homicidiis totum exterminantes; sed nec arbustis fructiferis omnino parcunt, ne forte, quos antea montium aut praerupta terrarum vel seclusa quaeque occultant, illis pabulis nutriantur. Et sic eadem atque iterum tali crudelitate furentes, ab eorum contagione nullus laetus remansit et nullus locus ab eorum infestatione est relictus immunis; praesertim in possessionibus sacratissimi monasterii Casinensis nec non et in aliis ecclesiis basilicisque

1. nam circiter die 22 Sept. „iuxta civitatem veterem Aquinensem ex iussu imperatoris Raginulfus dux Apuliae et Robbertus princeps Capuanus et omnes comites de principatu Capuano et comites Aquinenses et Normanni circummanentes abbati Guibaldo fidelitatem fecerant iureiurando“. V. Petri diac. Chron. Cas. L. IV. c. 124 p. 839.

1137 Oct. sanctorum monasteriisque sceleratius saeviunt, ut maioribus incendiis domus orationis, quam urbes cunctaque oppida comburant. Impletum est nunc in ecclesiis, quod vir sanctus ad Dominum declamat dicens: *Ubi laudaverunt te patres nostri, facta est exustio ignis*[1]. Nunc iam venit hora, ut omnes, qui nostram terram depraedantur, incendunt, devastant et ruricolas ac monachos in nervo vinciunt, compedibus ac manicis gravant, occidunt, vendunt, cruciant et persequuntur, arbitrentur se obsequium praestare Deo. Ubi autem venerabilis aulae clausas inveniunt portas, certatim ictibus[a] dextralium aditus reserant, ut recte dicatur: *Quasi in silva lignorum securibus exciderunt ianuas eius in id ipsum, in securi et ascia deiecerunt eas; incenderunt igni sanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui*[2]. Quanti nunc ab eis pontifices, presbyteri, diaconi, monachi, nobiles, ignobiles diversi sexus vel aetatis interficiuntur, quanti cruciantur, ut tradant, si quid auri vel argenti proprium vel ecclesiasticum habeant; et dum, quae habent, urgentibus penis facilius dant, iterum crudelibus tormentis oblatores urgent, autumantes quamdam partem non totum oblatum; et quanto plus dant, tanto amplius quempiam habere credunt. Non infirmior sexus, non consideratio nobilitatis, non reverentia sacerdotalis, non monastici habitus stemma crudelissimas mentes eorum mitigat; quin imo ibi exaggerantur ira furoris, ubi honorem conspiciunt dignitatis. Senilis maturitas atque veneranda canities, quae cesariem capitis ut lanam candidam dealbat, nullam sibi ab hostibus misericordiam vindicat; parvulos etiam ab uberibus maternis rapiens, barbarus furor insontem infantiam elidit ad terram. Impletum est nunc, quod olim Iudaei canebant: *Dicit inimicus, incendere meos fines et parvulos meos elisurum ad terras*[3]. In aedificiis autem magnarum ecclesiarum, domorum, civitatum, ubi incendium[b] destructionis per ignem facere non possunt, parietes solo aequant, ut nunc antiqua illa speciositas aedificiorum nec quid fuerit prorsus appareat.

a. retibus *Mart.*, ictibus *Chron. Cas.* b. ingenium *Mart.*, incendium *Chron. Cas.*

1. Isai. 64, 11. 2. Ps. 73, 5—7. 3. Iudith 16, 6.

Quod si quis dictis fidem derogaverit, testis est civitas Puteolana, Aliphana ac Telesina, quae nihil aliud nisi quia olim fuere demonstrant. Sed et aliae urbes quam plurimae aut raris aut nullis habitatoribus incoluntur. Nam et hodie, si qua supersunt, subinde desolantur; sicut et de civitate Capuana, quae olim post urbem Romanam totius Campaniae et caput et gloria extitit, fecerunt. Nam postquam eam hominibus deleverunt, auro et argento spoliaverunt, ne vel ad horam locus impietati cederet, illam incendio cremaverunt, et antiquam illam ingenuam ac nobilem libertatem in servitutem redegerunt, praecipuosque[a] in captivitatem duxerunt, ac aurum, argentum, gemmas ac vestes, et quicquid pretiosum, quicquid carum invenerunt, asportarunt. Quia vero quosdam aulicos vestri triumphalis imperii latet et incredibile illis videtur istud, quod describimus, huc si placet properantes, invenient verum esse quod scripsimus. Quanta autem et qualia intulerunt ipsi et dux illorum Casinensi coenobio et post vestrum et ante vestrum adventum, referre quis valeat? Sed ne videamur hoc intentatum relinquere, aliquanta hac ex parte describam, ut liquido vestra invicta imperialis clementia noscat, quantum nunc pro Romani imperii odio Casinensem infestent ecclesiam, cum tam immaniter, tam impiissime, tam gravissime illam persecuti sunt. 1137 Oct.

Capta namque civitate Capuana, Seniorectus, qui ante nos vestrae camerae regimen tenuit, ab eo evocatus et contra canonum decreta, contra Domini nostri Iesu Christi et omnium apostolorum ac patris Benedicti praecepta sacramento constrictus est. Sed cum adhuc ista eius in eiusdem regis animo non sufficerent, abstulit de monasterio aureos .... Postquam vero haec omnia pro suo velle explevit, destinat cancellarium suum, qui monasterium ad castrum exinde faciendum caperent, monachos inde eicerent et universum monasterii thesaurum cunctamque supellectilem cum corpore beati Benedicti sibi in Siciliam transmitterent. Quod monachi persentientes, rebellare et magis mori quam sanctum locum dare decernunt. Audiens autem, quod

a. et praecipuos quosque *Chron. Cas.*

1137 vestra triumphalis clementia duo milia Alemannos cum Annone abbate coenobii Luneburgensis ad monasterium defendendum transmittere disposuisset, abbatem ac fratres seducens, utrosque ad suam fidelitatem sacramento constringit, abbatem ad euan-
Febr. 4 gelia, monachos autem per ordinem suum. Abbate igitur vita decedente, dum adhuc eius feretrum in ecclesia esset, destinati sunt a Canzolino[a], qui tunc in partibus istis Rogerii vices agebat, ut nullus eo absente de abbatis electione tractare praesumeret. Dilatum itaque est et, contradicentibus ac moerentibus monachis, usque ad ipsius adventum protelatum. Cumque illuc advenisset, cum ei ostenderentur de electione abbatis patris Benedicti iussio et privilegiorum ac praeceptorum constitutio, respondit, quod nil ad praesens istiusmodi valeret ostensio: *Sed differte*[b] *electionem usque ad domini mei notitiam; sin autem, tradite arcem Bantrensem et eligite quem vultis; ita tamen, ut prius fidelitatem domino meo faciat.* Quod cum fratres se non implere dixissent, ille exercitum congregans, universa coenobii castra ab eius ditione subduxit. Ecce bona quae ante vestrum
Oct. adventum Casinensi fecerunt ecclesiae, et adhuc deteriora in dies singulos faciunt.

Ob quam rem rogamus, imperator invicte, ut vestrae camerae afflictae, destitutae ac desolatae subveniatis, ne quando dicant Sarraceni, Nortmanni ac Langobardi: *Ubi est imperator illius?* Erigite igitur, erigite vestros invictos et a Deo conservandos lacertos, et Casinensem ecclesiam, cunctorum coenobiorum matrem, de impiorum manibus liberate. Nam sicut inter omnia sidera solem constat in coelestibus gerere principatum, ita nimirum in mundanis potentatibus Romanum cunctis praepollet imperium. Licet autem per se sit magnificum, patet tamen, quia tunc splendet augustius, cum a probo et illustri viro regitur. Et ideo vestra probitas Casinensi succurrat ecclesiae, ne rutilans coeli gemma, id est Casinensis ecclesia, de capite cunctorum coenobiorum auferatur, et ad terram elisa, pedibus Saracenorum qui ignorant Deum conculcetur. Petrus

a. Carolino *ed. Cf. Petri Diac. Chron. Cas.* L. IV. c. 104 p. 816. b. differre *ed.*

vero, noster filius vobisque per cuncta fidelis, sacratissimo vestro imperio vobis se oppido commendat. Deus autem omnis gratiae sic tempora vestra dignetur disponere, ut per praesentis vitae felicitatem aeterni regni sitis coheredes. 1137 Oct.

---

13. *Petrus diaconus Casinensis Wibaldo opusculum, quod inscribitur Itinerarium de locis sanctis, dedicat*[a].

Domino suo ac patri in Christo venerabili Guibaldo Dei gratia sacri Casini Montis abbati Petrus Casinensis diaconus debitae obedientiae famulatum. 1137 Oct.

Quanto cupidinis igne, pater in Christo venerande, exarserim ac quali quantove desiderio, ut vos omnipotens Deus de adversis eriperet, exoptaverim, ipsum Deum invoco testem, quem mentis abdita quem conscientiae occulta non fallunt, quia et de ipsis animi motibus generis arbiter creditur futurus humani. Sed quia iuxta prophetae elogium in manu hominis non est via eius, nec ab homine sed a Domino gressus hominis diriguntur[1], nostris id facinoribus exigentibus non est factum, quod humana aviditas concupivit, sed quae Deus arbiter meritis humanis competere iudicavit[b]. Nam cum, omnium pravorum grassante impietate, ecclesiae Dei status quotidie labefactari cernatur et fere, ut ita dicam, nullus adversus eos insurgit pro domo Israel partim amore partim timore secularium potestatum, idcirco augustae memoriae dominus noster imperator Lotharius vestram beatitudinem in Casinensi coenobio abbatem instituit, ut ea, quae ad correctionem malorum et salutem bonorum attinent, sollicite ac diligenter pertractares et effrenatos refrenares ac superbos humiliares; quatenus, recuperata iustitia et restaurata religione, coetus ecclesiasticus sibi iuste ac misericorditer servire ac pro Romani imperii statu Dei omnipotentis clementiam exorare queat. Unde non immerito ab omnibus probis ac sapientibus diligeris

a. *Ediderunt ex codice Casinensi Martene et Durand Coll. VI.* 789 *et Tosti Storia di Monte Casino II.* 121. 122. b. indicavit *ed.*

1. Prov. 20, 24.

1137 Oct. ac veneraris. Nam quis tanti viri familiaritatem spernat, affabilitatem contemnat, industriam fugiat? Nam ut omittam caetera maxima et egregia vestri ingenii monimenta insignia, cunctos praecellentis Romani imperii sapientes Tulliana eloquentia superas et antecessorum vestrorum largam munificentiam omnibus horis momentisque praecellis.

Tantis, inquam, et talibus vos cernens sertis redimitum et laureis decoratum, itinerarium de locis sanctis, a nobis utcumque exaratum et ex omnibus ut ita dicam libris collectum[1], vestrae paternitati destinare curavi, poscens, id a vestra eminentia roborari. In quo rogo non dictantis ignaviam sed materiam attendatis utillimam. Nec novi vos et incogniti hactenus aliquid in hoc itinerario ediscituros, sed ea, quae iam viva voce illis referentibus, qui ad sepulchrum Domini perrexerunt, edidicistis vel ea quae per volumina diversa librorum legistis, nos hic noveritis collegisse.

Quae autem indeclinabilia et immania impedimenta a perfidis et scelestis, utroque genu claudicantibus, nobis obstiterint, non iam Deum, verum vos ipsos conscios, vos ipsos fideles corde clamaverim testes. Ceterum ad tantillum spatii, quod e largitate divinae indulgentiae relictum est, istud opusculum coelesti munificentia edidi; confidens nihilominus de Deo, de nostris aemulis quandoque nobis victoriam collaturum. Sicut enim nunquam fit opus solidum, si artifex omnia, prout ratio poscit, non aptet, sic omnis scriptor manans multimoda verbositate, nullam habebit valentiam edendi scripturam dulcedine fertam, prout Oratius strenuissimus orator in scriptis suis reliquit dicens:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci[2],

si postquam scribere conetur, materiam non rimetur. Iam vero Christo auspice huius proemii iste sit finis.

1. Hoc Petri diaconi opusculum ex codice Casinensi edidit Tosti Storia di Monte Casino II. 121—139. 2. Hor. de arte poet. 343.

14. *Wibaldus Casinensibus scribit, se non sua sed eorum causa a monasterio recessisse, ad eos nunquam reversurum. Ad novum abbatem eligendum eos cohortatur*[a]. (M. 3.)

Guibaldus Dei gratia sancti Casinensis coenobii minister indignus dilectis in Christo filiis et fratribus in eadem ecclesia Deo militantibus, spiritu consilii et fortitudinis habundare. 1137 paullo post Nov. 2

Hactenus in agro dominicae culturae, id est in vestrae fraternitatis praelatione, arbor umbram et non fructum faciens[1] terram occupavi, non sine timore vocem audiens Domini dicentis: *Succide eam*[2], *quae et ex se fructum non reddit, et sibi suppositam terram fructificare impedit.* Quoniam igitur securis ad radicem iam posita est[1], ut omnis arbor, quae fructum non faciat, succidatur, nos consilium propheticum diutius dissimulare non potuimus; sed quia propter me periculosa et plena desperationis tempestas orta est, nautis cessantibus, ipse me in mare mittere non refugi. Itaque, quia sic a vobis recessi[3], Deo teste non metu Nov. 2
mortis, sed quod mors mea nichil vobis emolumenti quin potius multum periculi afferre poterat, ut ultra ad vos non reverti disposuerim, praecipio vobis in virtute sanctae obedientiae, ut postpositis partium studiis, remota omni ambitione et venalitate, absque gratia vel odio aut acceptione alicuius personae secundum regulam sancti Benedicti personam catholicam et regularem de corpore vestrae congregationis, invocata sancti Spiritus gratia, in abbatem vobis et pastorem animarum vestrarum, servata Casinensis coenobii libertate, sine mora eligatis. Statutum siquidem nobis est, ut si hanc formam in eligendo vobis abbate servaveritis, ut nos, remissis vobis ecclesiae vestrae insignibus, vos ab obedientia et subiectione nostra omnes pariter absolvamus et vos ad promotionem futuri abbatis liberos a nobis efficiamus. Quod si, quod absit, apud vos diabolicae et contentiosae illae coniurationes et conspirationes in hac aliquid causa temptare

a. *Et hanc et duas quae sequuntur epistolas repetii ex principe (quam caeterae secutae sunt) editione Augeli de Nuce l. l. p. 26, qui codiee Casinensi usus est.*

1. Matth. 3, 10. 2. Cf. Luc. 13, 7. 3. „quarto Nonas Novembris, insciis fratribus". Petr. diac. Chron. Casin. L. IV. c. 127. p. 842.

1137 paullo post Nov. 2 et pervertere praesumpserint, et aliquis tali factione sese intrudi permiserit, sciatis, nos plenam de vobis auctoritatem et curam retenturos et in talem, tanquam in intrusum et invasorem et supplantatorem, nos in omnibus conciliis et curiis, et viva voce et scriptis, semper acturos. De rebus autem monasterii vobis dicimus, ne forte aliquis ex nobis aut propter nos occasionem mali accipiat, quod quindecim tantum marcas argenti ad tanti expensas itineris nobis domnus decanus[1] et fratres nostri praebuerunt. Caetera vero omnia et ipsi de thesauro acceperunt et per se in tam multis et magnis necessitatibus expenderunt. Servate nostram, id est vestram et meam, in remunerandis hominibus, qui nobis servierunt, famam. Servate michi Gualterium meum, qui apud vos infirmus remansit. De Rainaldo[2] invasore et periuro monacho nec mentio unquam apud vos fiat. Deus pacis et dilectionis sit semper cum omnibus vobis. Valete.

---

15. *Wibaldus Raynaldo (Colementano) novo abbati Casinensi gratulatur. Ottonem decanum et nuntium suum commendat. Anulum et sigillum remittit*[a]. (M. 4.)

1137 post Nov. 14 Reverendo patri R(aynaldo)[3] sancti Casinensis coenobii venerabili abbati[4] frater Guibaldus Dei gratia Stabulensis ecclesiae servus benedictionem et vitam usque in seculum.

Electum vos[b] communi fratrum coniventia et in ecclesia Casinensi regulariter ordinatum audientes, gaudio gavisi sumus; quippe qui, licet officio eidem ecclesiae administrare desierimus, affectu tamen et sollicitudine non alteratum animum gerimus. Eapropter vos in nomine Domini per praesentia scripta ab obedientia, quam nobis promisistis, omnino absolvimus, et qui vobis aliquando indigne praefuimus, vestri subditi et servi et esse et dici non erubescimus. Commendamus autem vestrae caritati

a. *V. supra p.* 95 *n. a.* b. nos *ed. Angelus de Nuce.*

1. Otto. 2. Hetruriensi, deiecto abbate Casinensi. 3. Colementano. 4. circ. 14 Nov. 1137 abbati Casinensi electo, cum „iam duodecim dies a Guibaldi recessu transiissent.“ Petr. diac. Chron. Cas. L. IV. c. 128 l. l.

carissimum nostrum domnum decanum O(ttonem) et reliquos 1137 post Nov. 14
fratres nostros et homines de Sancto Petro, qui fideliter nobiscum in tribulatione nostra perseveraverunt. Remittimus vobis anulum unum et sigillum quondam nostrum, per quae plenam refutationem de abbatia Casinensi facientes, numquam tamen consilium et auxilium nostrum eidem ecclesiae subtrahemus. Valete, et nuntium nostrum per vos transeuntem pro nostra caritate bene habetote et, si per vos redierit, litteris rerum vestrarum statum nobis significate.

---

16. *Wibaldus Ottonem decanum Casinensem ceterosque monachos promissa sibi obedientia liberat. Addit de nonnullis pigneribus datis et sigillo anuloque Raynaldo abbati remissis*[a]. (M. 5.)

Frater Guibaldus Dei gratia Stabulensis ecclesiae servus 1137 post Nov. 14
carissimo fratri et amico suo O(ttoni) Casinensi decano salutem et benedictionem.

Quantum vestris calamitatibus commovear, quantum vestris vexationibus compatiar, novit inspector cordium Deus. Licet enim personaliter vobis nec adesse nec praeesse valeamus, non dispari tamen sollicitudine Casinensem ecclesiam et amamus et semper amabimus. Veruntamen quia sic divina praeordinatio disposuit et temporis qualitas nostris meritis concordans exigit, ne vos sponsionis vestrae praevaricata obligatio, nos vero suscepti regiminis neglecta administratio perpetuarum poenarum obnoxios faciat, vos et omnes fratres Casinensis ecclesiae ab obedientia, quam nobis promisistis, plenarie absolvimus. Similiter et laicos, qui nobis iuraverunt, liberos a sacramentis suis esse concedimus. Ne autem ullius aestimatio, nobis detrahendo, peccare possit, sicut vobis et plerisque fratribus notum est, cum a vobis exivimus, haec, quae subscripta sunt, distracta erant. Landulfus habebat in pignore pro 85 libris calicem unum aureum, duas cruces aureas cum lapidibus, duo candelabra argentea, apud Sanctum Germanum candelabrum unum argenteum pro tribus libris, turibulum unum pro 30 solidis; quae omnia per manus

a. *Cf. supra p.* 95 *n. a.*

1137 post Nov. 14 fratris Rainaldi Theod. et fratris Bertoldi suscepta et erogata sunt. Porro pueri nostri, qui nos praecesserunt, crucem unam parvam auream et anulum unum et iconam ligni Domini perdiderunt. Pluviale et camisiam, quam nobis dedistis, conservavimus, expectantes secundum promissionem vestram, ut reliquum, quod ad capellam pertinet, nobis compleatis. Sigillum et anulum domno abbati remisimus. Valete.

---

17. *Celestinus II papa Heinrico abbati Corbeiensi scribit, se A. monacho delicti gratiam fecisse. At praeposituram vetat ei in praesentia dari.*

1143 Dec. 27 Celestinus episcopus servus servorum Dei H(einrico) Corbeiensi abbati salutem et apostolicam benedictionem.

Veniens ad nos dilectus filius noster B. prepositus humiliter oravit, quatinus A. monachum, qui nos et legatos sanctae Romanae aecclesiae frequenter offenderat, in gratiam reciperemus, nec debitam satisfactionem pro huius modi excessibus exigeremus. Nos vero preces eius attendentes et tam in his quam in aliis exaudientes, predicto fratri quicquid in nos deliquid ignoscimus, concedentes ut, ubicunque necessarius sit, eum ibi esse cum abbatis sui voluntate[a]. Hoc tamen excipimus, ut preposituram ipsius monasterii ad presens non habeat, quia magis utilem et idoneum relatione fratris nostri T. illam tenere cognovimus et, quod ab eo factum est, immutari nolumus. Data Laterani 6 Kal. Ianuarii.

---

18. *Celestinus II papa Adalberoni II episcopo Leodiensi scribit de Wibaldi adversariis coercendis*[b].

1143 Dec. 28 Celestinus episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Ad(alberoni) episcopo et dilectis filiis clero et populo Leodiensi salutem et apostolicam benedictionem.

Gratum nobis est, quia iuxta apostolum alter alterius onera portantes[1] dilectum filium nostrum Wiboldum Stabulensem ab-

a. liceat *excidisse videtur.* b. *Hanc epistolam a Martenio in Coll. II.* 117 *editam repetii.*
1. Galat. 6, 2.

batem, sicut ipso referente didicimus, et commissum sibi monasterium contra infestatores suos adiuvatis, et in eos tamquam in sacrilegos debitae animadversionis sententiam promulgastis. Nos itaque, quorum praecipue interest male acta corrigere et bene gesta firmare, excommunicationis sententiam canonice in eos promulgatam auctoritate apostolica confirmamus et ratam manere censemus. De aliis vero, qui ioarias[1], maiorias[2] et villicationes nec non et beneficia, quae a Poppone secundo abbate acceperunt, cuius alienationes et distractiones regum iudicio cassatae sunt, contra voluntatem abbatis retinent et necdum eidem sententiae subiacent, vobis mandamus, quatinus eos easdem administrationes et bona in manu abbatis libere dimittere districte commoneatis. Quod si contemtores extiterint, anathematis eos vinculo innodetis. Tu vero, frater episcope, Henricum de Rupe similiter commoneas, ut domum Erheberti[3] fratris iam dicti abbatis, quam infra treuguam, in diebus videlicet sacrae passionis, destruxit, et ea, quae de bonis abbatiae abstulit, cum integritate restituat. Quod si infra 40 dies post tuam commonitionem adimplere neglexerit, canonicam in eum sententiam proferas; et nec iste nec alii, de quibus supra dictum est, absolvantur, donec eidem abbati digne satisfaciant. De presbyteris vero de Longia et Wellin et aliis, qui praefatis excommunicatis, sicut accepimus, communicare praesumunt, iustitiam faciatis. Data Lateranis 5 Kalend. Ianuarii. 1143 Dec. 28

---

19. *Robertus monachus Walciodorensis Wibaldo vitam et miracula beati Forannani a sese compositam, cuius censuram agat, mittit*[a].

Inclyto totiusque prudentiae fulgore insigni domino Wiboldo, abbatum egregio, frater Robertus, suorum utinam clientum ultimus, quicquid praeceptori subditus. 1131-1151

Non, o rector inclyte, vestrae auctoritatis indignetur magni-

a. *Ediderunt* 1. *Mabillon Acta SS. saec. V. p.* 586, 2. *Papebroch Acta SS. Apr. T. III.* 807, 3. *D'Achery Spicil. II.* 708.

1. iudicum munera. 2. „maiorum" munera. 3. alias Erchemberti.

1131-1151 ficentia, quod in conspectu vestrae dignitatis nostrae audemus[a] manifestare schedulas exiguitatis; verum nec temeritatis supercilio id factum existimet vestrae pietatis esse dignatio. Non ergo hoc in opere[1] luculentae verbositatis investigare ornatum atque animadvertere ab imperito velitis qualiter enucleatum, verum[b] qua sit respicite intentione prolatum. Ut igitur hoc vestrae[c] examinationis roboretur iudicio, de vestrae magnificentia confidens pietatis, vestris obtutibus repraesento, quo vigeat in aliquo vestri, si displicet, arbitrii correptio, vestraeque, si placet, roboretur adminiculationis decreto.

---

20. *Wibaldus Theoderico abbati Walciodorensi de vita et miraculis b. Forannani sibi missis cum assensu respondet*[d]. (M. 6.)

1131-1151 Frater Wiboldus Dei gratia Stabulensis ecclesiae servus domno Theoderico venerabili Walciodorensis ecclesiae abbati[2] et reverendo fratrum conventui, divinis semper invigilare studiis et provehi muneribus.

Gratias agimus, dilectissimi, conditoris omnium inaestimabili gratiae, qui universalis ecclesiae suae pulcritudinem certis temporibus miro ordine magnis auctoribus, ipse idem[e] novus semperque[f] perfectus artifex, condecorare non desinit, ut unaquaeque per orbem ecclesia, quae maris undas interdum patitur, litoris tamen firmitate aliquando gaudeat, discipulis in navicula Christum dormientem excitantibus et Christo fluctibus imperante. Christum utique, fratres, et vos apostolico exemplo in vestra navicula excitatis, dum vestris, quibus ecclesia vestra regitur, patronis honorem et devotionem exhibetis, dum ea, quae in eis ipse operatur miracula, ad multorum notitiam et aedificationem perducere desideratis. Scripsistis nobis per fratrem nostrum et

a. audeamus 1. b. verum — prolatum *om.* 1. 3. c. vestrae *om.* 1. 3. d. *Ediderunt* 1. *Martene et Durand,* 2. *Mabillon Acta SS. saec. V.* 587, 3. *Papebroch Acta SS. Apr. T. III.* 807, 4. *D'Achery Spicil. II.* 708. e. *om.* 2. f. semper et 2. 3.

1. Vita b. Forannani ed. Mabillon Acta SS. saec. V. 588, Acta SS. Boll. Apr. T. III. 814. 2. quem aut exeunte a. 1151 aut initio a. 1152 obiisse constat.

filium vestrum Robertum vitam et miracula beati confessoris[a] 1131-1151 pontificis et abbatis Forannani, ipsius non parvipendendo studio composita, ea ut nobis ipse retulit intentione, ut, si qua minus viderentur composita vel[b] superflua, nostra parvitas elimaret aut detraheret, et totius[c] corpusculum operis nostra cooperatio roboraret. Quod operi si necessarium inspicerem fore, quae iniunxit et vos iniungitis, aggredi non recusarem plane; sed quia per omnia probatur laudabile, de cetero praeceptis vestris cupio obtemperare, si labores nostri pro ecclesia, si regni quibus obligamur negotia prosperos habeant exitus et nobis aliquod, sepositis curis, aliquando indulgeant otium. Vos interim eo, quo coepistis, studio beati confessoris miracula amplectimini et memoriae tradere curate; quia, si vestra perseveret devotio, si studium non flaccescat[d], si religio accrescat, glorificationem sacri corporis videre corporeis merebuntur oculis, quibus tantum manifesta datum est videre miracula. Cujus temporis felicitati nostra utinam interesse mereatur praesentia, nostra subservire parvitas, et sacrorum cinerum glorificatio sit nostrae fidei de spe resurrectionis confirmatio, sit in praesenti tempore de tribulationibus nostris consolatio, de exsilio ad patriam, de morte ad vitam translatio.

---

21. *Wibaldus Conrado III regi respondet, se oblatam abbatiam Corbeiensem accipere dubitavisse. Die 6 Decembris se ad eum venturum esse; quo die rex ubi futurus sit, certior fieri cupit.* (M. 8.) 1146 Nov.

(*Haec epistola habetur supra p.* 50.)

---

22. *Conradus III rex Wibaldum in diem 6 Decembris Francofurtum vocat, abbatiam Corbeiensem recepturum.* (M. 7.) 1146 Nov.

(*Legitur supra p.* 51.)

---

a. *om.* 2. b. et 1, vel 2. 3. c. totum 2. 3. d. flaccescat *scripsi pro* lacescat, lassescat *edd.*

23. *Conradus III rex Stabulenses de Wibaldo ecclesiae Corbeiensi praefecto certiores facit. Monet, ut eius absentiam patienter ferant*[a]. (M. 9.)

1146 Dec. Conradus Dei gratia Romanorum rex Ruperto Stabulensi decano et ceteris fratribus, ministerialibus quoque ac toti familiae eiusdem ecclesiae gratiam suam et omne bonum.

Sicut divina ordinavit providentia, iuxta fidelium nostrorum consilium ad petitionem Corbeiensis ecclesiae fidelem nostrum Wibaldum abbatem vestrum, retenta vestra provisione et cura quam prius habuerat, monasterio Corbeiensi praefecimus. Et quia ex hoc, ut speramus et volumus, maxima ecclesiae[b] utilitas provenire potest, universitatem vestram per praesentia scripta attente monendo rogamus, quatenus absentiam eius, regno quidem necessariam et nobis non inutilem, patienter supportetis et in ecclesiae vestrae oportunitatibus, si qua graviora emerserint, piae sollicitudinis operam studiose impendatis. Quod si in aliquibus nostrum adiutorium vobis fuerit necessarium, sicut hactenus semper vobis fuimus propitii, ita nunc maxime nos semper clementes habebitis.

---

24. *Conradus III rex Heinrico Leoni duci Wibaldum, abbatem Corbeiensem factum, commendat.* (M. 18.)

1146 Dec. C(onradus) Dei gratia Romanorum rex H(einrico) duci Saxoniae gratiam suam et omne bonum.

Sicut divina ordinavit providentia, iuxta fidelium nostrorum consilium ad peticionem Corbeiensis ecclesiae fidelem nostrum Wibaldum Stabulensem abbatem monasterio Corbeiensi prefecimus. Proinde industriam tuam attente monendo rogamus, ut et personam ipsius honorifice in omnibus custodias et ad recolligendas et ordinandas possessiones Corbeiensis ecclesiae consilium ei et auxilium prebeas; quod nobis gratissimum fore, nullo modo dubitaveris. De rebus autem suis, quas apud Gruninge[1] homo

a. *Ediderunt Martene et Durand, qui epistola unde tracta esset non ostenderunt.*
b. vestrae *excidisse videtur.*

1. Gröningen ab Halberstadt ad orientem.

tuus Poppo de Blanchenburch et filii eius per violentiam eidem 1146 Dec.
abbati abstulerunt, experientiae tuae mandamus et sub optentu gratiae nostrae precipimus, ut omnia in integrum ei restitui facias.

---

25. *Conradus III rex Iudithae abbatissae Hervordensi significat, se Wibaldo mandasse, ut monasterio Hervordensi subveniat.* (M. 24.)

Cuonradus Dei gratia Romanorum rex I(udithae) venerabili 1146 Dec.
abbatissae de Herevord gratiam suam et omne bonum.

Sicut divinae preordinationi placuit et Corbeiensis ecclesiae unanimis et concors electio postulavit, virum venerabilem et pro sua fide et studiis nobis regnoque nostro karissimum Wiboldum Stabulensem abbatem, licet invitum ac diu multumque renitentem, monasterio Corbeiensi prefecimus. Et quoniam ab ipso abbate et privilegiis ecclesiae Corbeiensis didicimus, specialem caritatem in divinae dilectionis glutino inter utrumque locum vestrum et ipsorum prelatos extitisse, atque ad abbatis curam pertinere, quicquid á te corrigi non valet, idcirco dilecto fideli nostro eidem abbati iniunximus, ut defectus monasterii tui tam intus quam foris diligenter á te et á tuis inquirat, et nostro fretus adiutorio, consilii et auxilii manum fideliter tibi in cunctis oportunitatibus tuis porrigat. Quicquid vero tibi ex nostra parte dixerit, et incunctanter credas et, sicut de te confidimus, opere adimplere studeas.

---

26. *Corbeienses Stabulensibus de Wibaldo sibi abbate concesso gratias agunt*[a]. (M. 10.)

Decano[b] et praeposito ceterisque dilectissimis dominis et 1146 ex. — 1147 in.
fratribus sanctae Stabulensis ecclesiae Walterus prior, Adelbertus praepositus totusque conventus Corbeiensis ecclesiae, officiosum munus fraternae dilectionis et, si quid praeterea valet, obsequii et devotionis.

a. *et hanc et sequentem epistolam ediderunt Martene et Durand ex ms. Corbeiensi, qui ex eo tempore periisse videtur.* b. *ap. Martene verbo* Decano *praemissum est lemma hoc:* Corbeienses Stabulensibus.

1146 ex. – 1147 in. Cum quidem Deus, non immemor beneficiorum suorum quae a saeculo sunt, delegavit ecclesiae nostrae dominum et patrem, prius quidem vestrum, nunc autem et vestrum et nostrum, qui unius patris filii sumus, vinculo utique germanae caritatis mediante Deo iam non ignobiliter connecti incipimus. In primis ergo vestrae dilectioni quam maximas et quam devotas gratiarum actiones nostra exsolvit ecclesia, quia talem ac tantae auctoritatis virum, cuius industria sicut in curia regis celebris habetur sic in Romana ecclesia non ignoratur, quia hunc, inquam, virum nostrae indigentiae necessarium non invidit nobis vestra fraternitas; non tantum ad praesens gratulamur, sed iterum et saepius, quo gratius est nobis quod factum est, tanto devotius vestrae benevolentiae gratulabimur. Hoc quoque non minus obnixe precamur, ut huius tanti patris absentiam aequanimiter sufferatis eumque[a] ecclesiae nostrae, prout tempus monet, prospicere congaudeatis; siquidem et hoc futurum non desperamus, ut utriusque ecclesiae, nostrae scilicet et vestrae, profectus ab alterutris aequaliter desideretur et, quia horum duorum gregum unus est pastor, eo mediante in unum consocientur, et hoc modo efficiatur unum ovile et unus pastor. Valete.

---

27. *Stabulenses Corbeiensibus respondent. Wibaldum abbatem iis concessum commendant*[b]. (M. 11.)

1146 ex. – 1147 in. Reverendissimis in Christo patribus suis et dominis Walthero Corbeiensi venerabili priori, Adelberto praeposito omnique eiusdem ecclesiae sancto conventui frater R(obertus) Stabulensis ecclesiae decanus, Simon praepositus humilisque eodem in loco grex Christo militans, totius devotionis et orationum promtissimum munus.

Acceptis et perlectis litteris, quas parvitati nostrae per fratres nostros vestra transmisit pietas, spirituali gaudio admodum gavisi sumus, in hoc potissimum, quod margarita illa coelesti munere peroptima, quae de thesauris ecclesiae nostrae hactenus

a. cumque *ed.* b. *v. supra p.* 103 *n. a.*

vix ulli negotiatori fuerat exposita, vobis tandem fulgoris sui radiis pretiosissima comparuit. Qui nitor illius, cuius aspectus est salubris et iucundissimus, vestris etiam condigne innotuit et complacuit obtutibus; sed[a] quia Deo ordinante de propria communis, de nostra iam vestra et nostra facta est, quam studiose foveri, quam diligenter haberi et teneri debeat, vestra melius novit eruditio. Et licet de benignitatis vestrae mansuetudine ac suavitatis dulcedine non modicum confidamus, tamen, quia multum ei debemus, quem sincere et pure diligimus, per Deum quo nihil sublimius, per caritatem fraternam qua nihil hoc in mundo est altius supplicamus, ut eum, qui nostris utilitatibus propter vos ad horam subtractus est et vestrae fidei commissus, condigno habeatis honore, quatenus erga curam suscepti regiminis eo libentius desudet, quo vos ad sustentandas manus Moysi humeros supposueritis liberius. In hoc cum Amalechite facile superari poterunt hostes utriusque ecclesiae, vestrae scilicet et nostrae. 1146 ex. — 1147 in.

---

28. *Reinhardus abbas Reinhusensis Wibaldo facto abbati Corbeiensi gratulatur.* (M. 12.)

. . . . . tationis atque lectionis nec minus operis instantia perseverantiam suam iugiter exercuit. Quia tamen nimis frequentes tempestates mentis meae naviculam crebrius inter undosas et procellosas molestias iactitabant et desiderabilem tranquillitatem ipsius vehementer conturbabant, usus consilio sicut michi v(ide)tur non inutili, remisi fratribus meis omnes monasterii reditus, ut ipsi per officiales suos omnia recipiant, nec ad manus meas . . . . . o talium respiciant. Ad opus vero meum tantum decem solidos ex his reditibus excepi, superadditis paucis in quadam solitudine agris, quos egomet elaborare cepi. Malo enim minus habere potestatis vel quae videtur utilitatis, ut amplius possidere possim tranquillitatis. Set iam revertamur ad te, considerantes mirabilia Domini, quae multipliciter operatus est circa te. Enimvero cum[b] sepe tacitus ea mecum revolvo, 1146 ex. — 1147 in.

a. sed *scripsi pro* sive *ed.* b. cum *bis legitur in cod.*

1146 ex. – 1147 in. stupens gaudeo et gaudens stupeo, nec tamen in ipso gaudio timore careo: gratulans equidem pro amiciciae debito super tuae personae tam multiplici et — ut verum fatear, quia modo non abbati set Wiboldo meo loquor — nimis inopinata aliquando sublimatione; set metuo ne, quod humanum est, tuus animus non nulla sublevetur elatione. Set tu, mi doctus a propheta, quid retribuas Domino pro omnibus quae retribuit tibi[1]? Calicem salutaris accipe, et nomen Domini invocato[2]. Quantoque magnus es, quantum res patitur, humilia te in omnibus[3]. Nomen, inquam, Domini invoca, rogitans et supplicans, ut illorum numero non asscribaris, de quibus terribiliter scriptum est: *Deiecisti eos, dum allevarentur*[4]. Timendum tibi, dilectissime, videtur ne, quod absit, bona recipias in vita tua minusque reservetur in vita futura. Itaque terribilem in consiliis super filios hominum[5] Deum semper attende et, ut eius consilium tibi fiat salutiferum, quibuscunque studiis valeas, ipsius gratiam tibi conciliare iugiter intende. Set quid agimus, anima? cui loquimur? docto an indocto? Illi quidem loquimur, quem aliquando docuimus; set unde valde gratulamur, in nonnullis eum nos precessisse cognovimus, quem discipulum aliquando habuimus. Vehementia tamen affectus nos aliquatenus insipientes reddidit, quae tales admonitiunculas velut ad minus sapientem, quasi plus saperemus, edidit. Non sic utique quis estimet, quod docere velim doctiorem quasi minus doctum; set celare non possum cordis affectum. Iam nunc tamen ista sufficiant, donec videamus, quatinus ipsa proficiant. Quia enim Deus omnipotens iudicio suo, quod ipse novit, tuam viciniam[6] michi prestitit, nunc litteris nunc ipsa corporali presentia, si tamen tibi placuerit, sepius te visitare non pigritabor, quin tua iocunditate, qua iam diutissime fraudatus fui, coniocundabor. Vale.

1. Ps. 115, 12. 2. Ps. 115, 13. 3. Eccli. 3, 20. 4. Ps. 72, 18. 5. Ps. 65, 5. 6. Reinhusen enim modico tantum intervallo distat a Corbeia; nec dubitandum est, quin haec epistola ad Wibaldum factum abbatem Corbeiensem, posteaquam Corbeiam die 18 Dec. 1146 devenerit, sit missa.

29. *Fratres Bremenses et Buccenses Wibaldo causam suam commendant.* (M. 19.)

Venerabili sanctae Corbeiensis ecclesiae domno abbati Wiboldo omnes fratres Bremensis aecclesiae maioris sive minoris nec non et Buccensis aecclesiae[1] congregatio, precum inpensas cum voluntario servitutis obsequio. 1147

Totius causae nostrae examen et consilium vestrae sanctitatis nos integre commisisse consilio sive arbitrio, quam affectuose gaudemus; tum quia ab emulis nostris credi poterat, nos per omnia tam iusticiae quam pacis recalcitrare operibus, tum quia huius notae scrupulum tam vestrae auctoritatis quam et domni Verdensis[2], qui nichilominus nostrae causae discussionem ex legatione domni papae ingressus est, testimonio delendum confidimus. Placeat ergo vestrae paternitatis excellentiae pro humili nostrae parvitatis famulatu, cum iusto[a] et vero domni Verdensis testimonio vestrae nichilominus auctoritatis nobis scriptum concedere nostraeque causae angustias, prout de tanto patre confidimus, misericordi defensione respicere.

---

30. *Conradus III rex Heinricum Leonem ducem monet, ut ius advocationis coenobiorum Kaminatensis et Visbicensis Wibaldo resignet ab eoque recipiat.* (M. 23.)

Cuonradus Dei gratia Romanorum rex H(einrico) duci Saxoniae gratiam suam et omne bonum. 1147 c. Ian. 29

Novit tua dilectio, quod fidelissimum et carissimum nostrum Wibaldum Stabulensem abbatem propter unanimem electionem et peticionem Corbeiensis ecclesiae eidem monasterio prefecimus. Cuius ob insigne meritum, quod fideli servitio de regno meruit, secundum peticionem predecessoris sui et obsecrationem Corbeiensis ecclesiae, duo monasteria feminarum, in quibus monastica religio iam defecerat, Kaminade scilicet et Visbike, ad reformandam in eis divini cultus religionem ex iudicio princi-

a. uiso *c.*

1. Bücken, a Brema inter meridiem et orientem. Huius monasterii tabulas edidit Hodenberg Hoyer Urkundenbuch III. 2. Thietmari.

1147 c. Ian. 29 pum sibi et Corbeiensi ecclesiae iure proprietario in perpetuam possessionem contulimus[1], salvo iure tuae advocationis quod habes in eisdem locis. Volumus autem atque mandamus dilectioni tuae, ut, si inter te et eum convenerit, ius advocationis ad eadem loca ei vice nostra, quemadmodum nobis debueras, resignes, itemque ab eo et á Corbeiensi aecclesia advocatiam recipias[2]. Quodsi de hoc inter vos non convenerit, donationem, quam ecclesiae fecimus, ut contra omnes infestationes tuearis, et advocatiam, quam de nobis super eadem loca tenes, fideliter ac strenue et ad firmamentum nostrae donationis amministrare studeas, in presenti pagina per obtentum gratiae nostrae tibi mandando precipimus.

---

31. *Reinhardus abbas Reinehusensis de Wibaldi prosperitate, ex eius litterarum exemplis cognita, gaudet, speratque fore, ut suscepta ab eo abbatia Corbeiensis in rem suam sit.* (M. 34.)

1147 Dilecto dilectus, quicquid expetit devotionis affectus.

Lectis et relectis, mi Wibalde, virorum dilectissime, litteris a te et ad te et pro te factis et directis[3], multipliciter sum, fateor, affectus et lacrimosus per ipsas affectiones effectus. Considerans enim, quantis miseriis calamitatibus pressuris laboribus et angoribus ex longo michi dilectissimus homo subiacuerit, quanta passus fuerit ab his, quos minime decuerit, non potui quamvis de[a] preteritis acsi de presentibus malis et erumnis debita compassione non moveri, non potui zelo iusticiae contra tantas iniquitates et presumptiones non morderi. Rursus é regione contemplans, quam benigne quam oportune quam potenter

a. de *addidi.*

1. Fuldae circ. 29 Ian. 1147; v. Annales Corbeienses supra p. 55. 2. id iam mense Martio a. 1147 factum esse, docet Conradi regis diploma ap. Erhard Reg. II, cod. dipl. p. 47. 3. Hinc patet, Wibaldum exempla litterarum suarum, et missarum et acceptarum, iam ante susceptam abbatiam Corbeiensem collegisse, eaque ad Reinhardum abbatem Reinhusensem misisse. Cf. eam quae sequitur epistolam, in qua „actionum suarum litteras“ memorat Wibaldus.

et clementer eum divina miseratio protexerit confortaverit et 1147
quam gloriose de bellantibus in eum triumphare concesserit, gaudio meo modum et[a] terminum facile non inveni. Non[b] solum autem, set et quia probitatis sagacitatis virtutis et industriae tuae preconia tam in litteris, á fratribus nostris Stabulensibus ad eminentes in aecclesia et in regno pro te personas directis, nichilominus ab episcopis abbatibus congregationibus conventibus testimonium in id ipsum perhibentibus, et vicissim ab ipsis maximis personis tibi faventibus, pro te scribentibus, te foventibus — quia, inquam, in epistolis talia lego, quantum cor meum tripudiare, quantum sibimet applaudere super hoc, quia qualecumque fundamentum videbar in homine tali posuisse, in quo tanta celsitudo laudandae probitatis surrexisset et excrevisset, scripto vel dicto nullatenus exprimere valeo. Taceo de Tulliana eloquentia, tam tua quam fratris R(oberti) Stabulensis decani, qui nos aliquando nichilominus aliquantisper audivit, quam in eisdem sum litteris ammiratus; cui certe stilo paucorum vel antiquorum, non dico modernorum, stilus meo iudicio videtur esse prelatus. Haec, inquam, omnia et cetera multa, — supersedeo plura scribere, ne quis forte plus inmoderato favori, quem in dilectissimum amicum habeam, quam veritati velit ascribere — faciunt me colletari, faciunt anxietates paupertatem laboresque meos levius tolerare, dum et illum considero de tantis malis divinitus mirabiliter apud suos erutum et, sicut auspicor, ad meum speciale solacium divinae providentia pietatis in divitiis et sublimitate dignitatis iuxta me[1] constitutum. Set in his omnibus tu, bone Iesu, salvator et amator hominum, dexteram super nos tuae propitiationis extende contraque multiformes adversarii nos insidias tua munitione defende. Non prospera nos elevent, non adversa prosternant, non pars Marthae partem Mariae nobis auferat, et ut compendio concludamus, sic transeamus per bona temporalia[c], ut non amittamus aeterna.

a. et *addidi*. b. propterea *excidisse videtur*. c. tē. ut n̄. a. ę. *cod.*

1. i. e. Corbeiae.

32. *Wibaldus Reinhardo abbati Reinhusensi respondet. De suscepta abbatia Corbeiensi gratulationem pro »columbina simplicitate« arguit.* (M. 35.)

1147 Reverendo patri ac preceptori suo R(einhardo) Renechusensi abbati suus auditor Wibaldus, quicquid est in aecclesia catholica, per adeptam cordis mundiciam videre Deum deorum in Syon.

Quanto caritatis studio actionum nostrarum litteras[1], videlicet quarundam molestarum, omnium vero laboriosarum, perlegeritis, tenor epistolae vestrae declarat; in qua, comprehensis breviter omnium rerum capitulis, et de adversitatibus paterna compassione indoluistis et ad commendationem nostrae personae cum aliis nos defendentibus vestrae quoque laudationis titulum apposuistis. Set ut vestrae sanctitati verum simpliciter confiteamur, Deo sic res humanas moderante, qui nos persequebantur, divinae iniuriae cultores erant; et quamvis pro mala intentione sempiternum ve mererentur, tamen iustissimi Dei nostri virga erant et baculus furoris eius. Ipsi autem nescierunt; et miro perversitatis modo adversum nos certatum est. Deficientibus siquidem adversariis in causa et omni veritatis firmamento destitutis, unum erat conceptae dolositatis refugium, ut nos conviciis et obprobriis lacerarent, quos ratione superare non poterant, et malignis verbis famam nostram contaminando prius auditorum animos contra nos exacerbarent, quam in eorum cordibus rerum veritas posset convalescere. Set porrexit Christus pro se laboranti clementissimam dexteram et dedit cum temptatione proventum, ut possemus sustinere. Hii vero, qui nos tuebantur, equitate causae delectati, in nostra conversatione et moribus fallebantur, credentes, tam necessarium tam arduum negotium á persona exilis et contractae vitae non potuisse assumi. Set columbina simplicitate nobis congratulamini, quod labores nostri in catholica aecclesia geminati sunt[2] et ultra virium nostrarum facultatem aucti, et quod ad gentem, quam ignorabamus, venimus, ubi orationum vestrarum tantum egemus presidio, quanto et sollicitudinis anxietas est cumulatior et tem-

1. Cf. ep. 31. 2. suscepta abbatia Corbeiensi.

poris ac morum qualitas periculosior. Cum occupationibus nostris 1147
explicandis tota dies non sufficiat, haec vestrae sinceritati una post matutinas vigilias lucubratiuncula propria manu exaravimus, multum supplicantes, ut, sicut de vestra pietate confidimus, orare pro nobis dignemini. Valete.

---

33. *Conradus III rex Eugenio III papae respondet de Heinrico filio rege electo deque cruce suscepta. Eum Argentinae convenire vult. Legatos suos commendat.* (M. 20.)

Dilectissimo in Christo patri suo E(ugenio) sanctae Ro- 1147 Mart.
manae aecclesiae summo pontifici C(onradus) Dei gratia Romanorum rex et semper augustus filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Litteras sanctitatis vestrae per legatum vestrum, virum utique[a] nobis cum omni dilectione et honore nominandum, T(heodevinum) sanctae Rufinae episcopum missas gratissimę accepimus et, quae in ipsis continebantur, filiali et intima karitate ad effectum perduximus. Siquidem de ordinatione regni nobis á Deo concessi, super qua nos paterna sollicitudine monere et exhortari curastis, magna cum attentione et diligentia in frequenti principum conventu apud Frankenevort, ubi generalem curiam habuimus, studiose et efficaciter Deo prestante tractavimus, ordinataque et firmata communi per omnes regni nostri[b] partes solida pace, filium nostrum Heinricum in regem et sceptri nostri successorem unanimi principum coniventia[c] et alacri totius regni acclamatione electum, mediante hac quadragesima[1] in palatio Aquisgrani coronare[d], divina preeunte misericordia, decrevimus. Sane quod dulcedinem vestram movit, nos rem tantam, scilicet de signo vivificae crucis et de tantae tamque longae expeditionis proposito, absque vestra conscientia assumpsisse, de magno verae dilectionis affectu processit. Set Spiritus sanctus,

a. itique *c.* b. mei *in cod. correctum est in* nostri. c. *sic in cod. correctum est* convenientia. d. *sic corr. est in cod.* ordinare.

1. i. e. die 30 m. Martii.

1147 Mart. qui ubi vult spirat[1], qui repente venire consuevit, nullas in captando vestro vel alicuius consilio moras nos habere permisit; set mox ut cor nostrum mirabili digito tetigit, ad sequendum se sine ullo more intervenientis spacio totam animi nostri intentionem impulit. Et quoniam vos ad partes Galliae tam per litteras vestras quam per legatum vestrum venire cognovimus, venerabilem paternitatem vestram, ut ad Rhenum accedere velitis, summa cum dilectione attente monendo invitamus: quatinus simul positi ea Deo miserante pariter tractare ac disponere valeamus, per quae pax aecclesiarum et christianae religionis ordo congruis provectibus augeatur et regni nobis á Deo concessi status cum nostri honoris incremento oportunis decretis firmetur. Et quoniam in articulo profectionis nostrae nulla nobis prolixitas temporis suppetit, in sexta feria, quae in paschalem eptomadam habetur[2], desideratam faciem vestram apud Argentinam videre optamus. Legatos nostros, viros utique prudentes et discretos ac sanctae Romanae aecclesiae regnique amatores ac nobis carissimos, Bucconem videlicet Wormaciensem episcopum[3], Anshelmum Havelebergensem episcopum, Wiboldum Corbeiensem abbatem, vestrae sinceritati commendamus, ut ea, quae vobis dixerint, tamquam ab ore nostro audiatis et in rebus sanctae Romanae ecclesiae et regni cum eis familiariter tractare ac disponere non abnuatis.

---

34. *Conradus rex Eugenio III papae Wibaldum abbatem Corbeiensem commendat, cui collata coenobia Kaminatense et Visbicense asseri vult.* (M. 13.)

1147 Mart. Dilectissimo in Christo patri suo E(ugenio) sanctae Romanae aecclesiae summo pontifici C(onradus) Dei gratia Romanorum rex et semper augustus filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Sanctitati vestrae notum esse volumus, quod post depositionem Heinrici Corbeiensis quondam abbatis, qui eidem aecclesiae nimis inutilis fuit, fratres predicti monasterii elegerunt

1. Ioh. 3, 8. 2. Apr. 18. 3. 1120—1149.

sibi in abbatem quendam Heinricum, eiusdem ecclesiae prepositum. Quo non longo post tempore defuncto, tota Corbeiensis aecclesia, spirituali patre orbata, pari voto et unanimi consensu elegit sibi in patrem et pastorem animarum Wiboldum Stabulensem abbatem, quatinus per ipsius industriam et nostrum adiutorium nobilis illa ecclesia, quae plurimum á sua magnitudine per neglegentiam precedentium abbatum deciderat, Dei preeunte misericordia aliquatenus reformaretur. Et quoniam predictus fidelis noster Stabulensis abbas, cum hec de ipso fierent, non solum absens set etiam longe remotus erat, nos eum auctoritate regia diu renitentem ac reclamantem evocavimus, et ad peticionem totius aecclesiae Corbeiensis onus, ad quod vocabatur, omnino invitum subire coęgimus, quatinus in Corbeiensi monasterio et divini cultus religio per ipsum reformetur et debitum regni servicium ad defensionem sanctae Dei ecclesiae exinde paratius et auctius exhibeatur. Erant in propinquo duae abbatiolae feminarum, quae nullum regno et nobis vel in milicia vel in alio servicio prebebant supplementum; quae loca[a] adeo inordinata et confusa erant, ut de conversatione et moribus habitantium melius sit silere quam loqui. Multiplici ergo exhortatione vestra super talibus locis corrigendis diu admoniti, contulimus ad aecclesiam Corbeiensem iure proprietario eadem duo loca, videlicet Keminade et Visbike, ut et divina religio inibi reformetur et Corbeiensis abbatia in temporibus huius abbatis honore et diviciis per nos augeatur. Super quo sinceritatem vestram, de qua plurimum confidimus, attente monendo rogamus, ut quod eidem abbati et Corbeiensi monasterio de duabus prefatis cellis legitima donatione per precepti paginam confirmavimus, vos vestri privilegii scripto roborare non abnuatis, et abbati in suis oportunitatibus benignam exauditionis aurem inclinetis. Dignum siquidem est, ut quos nos in gratia nostra clementiore vinculo recipimus, vos propicia benivolentia dilectionis ulnis amplectamini, et quos vos[b] é converso fovere et protegere disponitis, nos contra omnes incursus defensare[c] studeamus et honorare condigne debeamus.

1147 Mart.

a. loca *addidi*. b. vos *addidi*. c. defesare *c*.

35. *Wibaldus Corbeiensibus mandat, scribant et papae et Guidoni cancellario, quomodo ipsum abbatem elegerint.* (M. 14.)

1147 Apr. Frater Wiboldus Dei gratia Corbeiensis aecclesiae famulus W(altero) venerabili priori et A(delberto) preposito ac ceteris karissimis filiis et fratribus eiusdem monasterii monachis benedictionem et vitam usque in seculum seculi.

Venientes ad dominum nostrum papam[1], benigne et honorifice suscepti sumus tum propter reverentiam domini nostri regis tum propter antiquae noticiae familiaritatem, qua nos hactenus fovere dignatus est. Cumque in litteris domini nostri regis, ubi nomina legatorum[2] inscripta erant, nostrum nomen in titulo Corbeiensis aecclesiae legisset, quesivit á nobis, ut super nostra apud vos electione vestrum ei testimonium presentaremus. Universitatem ergo vestram monemus, ut, sicut vestra electio circa nostram personam processit, domno papae veraciter intimetis; et quantos de fratribus prioribus nostris in hac subitatione rerum preparare[a] et expedire poteritis, ad nos Wircenburch in octavis instantis paschae[3] pervenire facietis. Ibi enim tunc nos invenietis et cancellarium domni papae, virum venerabilem nomine Gwidonem, cui etiam super[b] facto vestro de nobis proprias et singulares[c] litteras transmittetis. Valete, et Deus pacis sit semper cum omnibus vobis. Si hec expectata non fuissent, privilegia nostra de Kaminade et Visbike confirmata essent.

---

36. *Corbeienses Eugenium III papam precantur, ut Wibaldum abbatem approbet et monasterio collata coenobia duo asserat.* (M. 15.)

1147 Apr. Reverentissimo[d] in Christo patri suo et domino E(ugenio) divina gratia summo et universali pontifici W(alterus) licet indignus Corbeiensis ecclesiae prior et ceteri fratres universi, qui

a. āpparare *c.* b. super *addidi.* c. singlares *c.* d. *Haec epistola legitur* 1. *in Wibaldi epistolarum codice fol.* 3. 4; 2. *in codice annalium Corbeiensium* (*de quo v. supra p.* 28) *fol.* 8.

1. die 30 m. Martii, v. infra ep. 150. 2. v. supra ep. 33 p. 112. 3. Apr. 27. (Itaque est haec epistola scripta post diem 30 Martii, v. supra n. 1, et ante d. 20 Apr. — in quem quidem diem anno 1147 pascha incidit.)

in Corbeiensi monasterio Deo militant, devotam obedientiam et exiguas orationes in Domino. 1147 Apr.

Sanctitati vestre suggerimus, quod post depositionem Heinrici quondam abbatis nostri, qui á venerabili legato vestro, scilicet magistro Thoma, pro manifestis culpis suis et confessis[a] canonice ad totius monasterii nostri[b] salutem, quod ipse multis modis vastabat, destitutus est, convenimus in personam cuiusdam fratris nostri Heinrici[c], qui officium prepositurae administrabat, et elegimus eum, quibusdam de[d] fratribus nostris non assentientibus et multis ex laico ordine reclamantibus, qui partibus depositi illius pertinatius faverant. Qui post suam promotionem paucis mensibus vivens, vita decessit et nos plenos merore ac sollicitudine, non sine aliqua discordia reliquit. Et quoniam per abbatum nostrorum negligentiam per annos fere quinquaginta res monasterii nostri et dignitas tam intus quam foris ultra quam credi possit inminutae sunt et nos penitus concordes non eramus, nulla tunc in aecclesia nostra persona inveniri potuit, quae sufficere posset ad alligandas contritiones[1] nostras, et ut[e] filii Dei et aecclesiae nostrae, qui dispersi erant, congregarentur in unum[2]. His necessitatibus coacti, invocata sancti Spiritus gratia et adhibito religiosorum et sapientium virorum consilio, communi omnium desiderio sine ullius personae magnae vel parvae contradictione, immo favorabili[f] omnium assensu, presente et consulente nobis in id ipsum venerabili filio vestro B(ernhardo) Patherbrunnensi episcopo[3], elegimus nobis in capitulo nostro Corbeiae in patrem et pastorem[g] animarum nostrarum, in abbatem scilicet et dominum nostrum[h], Stabulensem abbatem domnum Wiboldum[i], cuius religione et prudentia[k] Corbeiense monasterium ad pristinum suae dignitatis statum reformari possit. Quod cum facere et electioni nostrae assentire multis diebus renuisset et per nostros legatos abstrahi ad con-

a. et confessis *om.* 1. b. nostri *om.* 2. c. Heinrici *om.* 2. d. ex 2. e. prout 1. f. favorali 1. g. nostro in patrem et pastorem Corbeiae 1. h. nostrum *om.* 1. i. Wicboldum 2. k. religionem et prudentiam 1.

1. Cf. Ps. 146, 3. 2. Ioh. 11, 52. 3. 1128—1160.

1147 Apr. sulendum nobis á monasterio suo nequaquam valeret, tandem auctoritate regia ad curiam est evocatus et, cogente ipsum domino nostro Conrado Romanorum rege, fratres nostros et laicos nostros, qui illuc frequentes convenerant, sequi et ad nos venire compulsus est. Et gratias Deo omnipotenti referimus, quod non sumus fraudati á desiderio nostro et á spe, quam de ipso patre nostro conceperamus; quoniam mirabili industria omnes dissensiones nostras ad pacem et ad[a] concordiam revocavit[b] et possessiones non parvas, quas depositus ille alienaverat, magna cum prudentia et efficatia ad usum monasterii recollegit. Preterea sunt in vicinia nostra duo monasteria feminarum, quae suae enormitatis pertinatia nostros et omnium religiosorum oculos et aures sepissime offenderunt. Ad quod malum[c] eliminandum cum quidam ex nostris abbatibus laborare cepissent, quatinus et possessio aecclesiae nostrae[d] conferretur et divina inibi religio reformaretur, optinere non potuerunt. Set domnus abbas noster Wiboldus[e], multis suis obsequiis inclinatum habens animum principis, á domno rege nostro C(onrado)[f] impetravit, eadem loca cum omnibus suis appendiciis monasterio nostro conferri et per auctoritatis regiae privilegium legitimam traditionem confirmari. Dilectam itaque nobis misericordiam vestram flexis ad vos genibus cordis humiliter imploramus, ut, quoniam iam sepe dictus pater noster quinque talenta quae acceperat sollicite duplicavit[1], Christum imitantes, verum et bonum patrem familias, supra decem civitates[2] eum constituatis iuxta illud: *Omni habenti dabitur*[3], et eum, vestra benedictione apostolica munitum, ut nobis et preesse et prodesse valeat, ad nos cum gaudio remittatis, et donationem, quam dominus noster rex de predictis duabus cellis nostro[g] monasterio fecit[h], vestri privilegii pagina confirmare dignemini.

a. ad *om.* 1. b. renovavit 2. c. malum *om.* 1. d. nostrae *om.* 2. e. Wiçboldus 2. f. C. *om.* 1. g. nostro *om.* 2. h. fecit *om.* 2.

1. Matth. 25, 16. 2. Luc. 19, 17. 3. Matth. 25, 29.

37. *Corbeienses Widonem cancellarium papalem rogant, ut Wibaldi negotiis faveat.* (M. 16.)

Domino et patri[a] venerabili W(idoni), summae sedis apostolicae cancellario, universi fratres Corbeiensis aecclesiae exiguas orationes in Domino. 1147 Apr.

Quoniam multorum religiosorum et sanctorum virorum indicio mirae et inestimabilis compassionis circa afflictos et variis calamitatum miseriis oppressos vos esse comperimus, aures pietatis vestrae pro ecclesiae nostrae diversa perturbatione litteris exiguitatis nostrae studuimus interpellare, ut, quoniam nuncios nostros ad domnum papam pro causis aecclesiae agendis transmisimus, vestra opitulatione facilius inde expediamur. Igitur vestrae magnanimitati suggerimus, quoniam domnus H(einricus), qui huius aecclesiae abbas extitit, apud domnum Thomam sedis apostolicae legatum, cum esset in loco nostro, pro quibusdam capitulis accusatus et testibus inductis indefensus insuper et suimet confessione reus manifestatus, digna sententia suae depositionis multatus est; et in locum eius domnus H(einricus) prepositus est assumptus. Cuius electioni cum gravis reclamatio et quorundam fratrum nostrorum et etiam laicorum nostrorum fieret et gravi discordia aecclesia perturbaretur, Deus, universorum saluti solita pietate consulens, eum exemit de medio; nam vix quatuor mensibus prefuit. Quo absumpto, domnus Wiboldus abbas Stabulensis unanimi consensu monachorum simul et laicorum cum magna concordia omnium, presentibus B(ernhardo) Patherburnensi episcopo et[b] Heremanno comite ecclesiae nostrae advocato et in laudem electionis eius acclamantibus, magna cum devotione eligitur. Qui cum de monasterio suo pro honore prelationis erui non posset, ex precepto regis ad curiam est evocatus, ubi quamvis primo multum resisteret, tandem regiae voluntati[c], omnium precibus evictus, cum reniti non posset, licet invitus acquievit. Eo igitur ad nos adventante, nichil Deo propitio in morum honestate et in doctrinae eminentia et in consultatione et provisione divinarum et humanarum

a. patri *addidi.* b. et *addidi.* c. *sic est in cod. correctum* indulgentiae,

1147 Apr. rerum in eo reperimus, nisi quod in spirituali patre reperire semper optavimus. Reditus aecclesiae nostrae, quos domnus H(einricus) depositus, utpote plus militaribus insignibus deditus quam monastice institutioni intentus, in beneficium laicis tradiderat, consilio sagacissimi ingenii sui maxima ex parte requisivit. Preterea cellas duas sanctimonialium feminarum, quae pro enormitate sui sceleris omnem canonicam institutionem in Saxonia apud aures vulgi fetere et vilere fecerant, regia donatione loco nostro conquisivit, et inibi divinae servitutis famulatum de monasterio nostro instituit. Pro qua causa domnum apostolicum adiit, impetraturus, ut suae auctoritatis privilegio firmata hec rata et inconvulsa permaneant. His ergo, et si qua alia sunt nobis cum domno papa gerenda, quoniam multa sunt, vos misericorditer astipulari, unico solatio monachorum, precum nostrarum scilicet commendatione, ammoneri rogamus, ut tandem aliquando, decussis diversarum perturbationum angoribus, optatae pacis unitati redonemur.

---

38. *Heremannus comes Eugenio III papae Wibaldum abbatem commendat.* (M. 17.)

1147 Apr. Domino et patri suo E(ugenio) gratia Dei universalis aecclesiae pontifici H(eremannus) comes devoti servitii obedientiam.

Relatio fratrum Corbeiae ad nos devenit denuntians, vos testimonium electionis domini mei Wiboldi abbatis Corbeiensis exquisisse. Quapropter testimonium perhibemus sibi electionis suae, domnum Patherburnensem episcopum et me simul affuisse et unanimitati suae electionis nullum reclamasse; set, sicut tunc ipsi vidimus et alii fideles testes sunt qui affuerunt, ita idonea electione intronizatus est, ut in nullo canonica[a] institutio sue observationis detrimentum passa fuerit. Preterea á religiosis eiusdem aecclesiae monachis audivimus, quod, postquam eo pervenerit, ita se et in morum conversatione et in diligenti rerum aecclesiae provisione imitabilem reddidisse[b], ut omnes eum sibi de caelis divinitus missum asserant. Quapropter et á vobis

a. canica *c.* b. *sic c.*

gratiarum actiones sibi referri et vestra benedictione ampliari optamus. 1147 Apr.

39. *Anno abbas Indensis Wibaldo scribit de Ebroino monacho. Papane in Germaniam venturus sit, quaerit.* (M. 21.)

Domino et amico suo Wibaldo Stabulensi abbati Anno[1] eadem gratia id quod est, salutem et dilectionem. 1147

Noverit primum karitas vestra, quia de vestris, utpote domini et amici nostri, successibus precipue congaudemus et super his Deo gratias hilariter rependimus. Suggerimus quoque discretioni vestrae, quod domnus Ebroinus pro inpensa sibi dudum a nobis caritate nos frequenter sollicitat. Quam sane licet consilio vestro et amore tenendae pacis et quietis ecclesiae hanc ei fecerimus, tamen quidam sinistro nomine, symoniae scilicet, hoc factum improbant; nec tamen propter hoc, set pro inportunitatibus nobis et vobis illatis ei ad tempus subtraximus. Dicitur quoque vobiscum pacem, mediante domno Prumiense[2], noviter composuisse. Eapropter a vobis summopere requirimus, si vestrae voluntatis est et absque cavillatione sinistra esse poterit, condictam caritatem in posterum illi persolvendam. De caetero etiam perscrutari volumus de negotiis domni papae, cuius vos conscium in parte credimus, utrum scilicet ad nos accessurus sit vel concilium in partibus nostris habiturus. Valete.

40. *Wibaldus Annoni abbati Indensi de Ebroino monacho respondet.* (M. 22.)

Reverendo patri suo Annoni Indensis aecclesiae abbati frater Wibaldus Stabulensis abbas salutem et dilectionem. 1147

De nostra prosperitate, si qua est, vestram sinceritatem animo congaudere non dubitamus. Et recte sane; pari enim dilectionis affectu erga vos ferimur. Non est consilii nostri, ut Ebroino illi, quem domnus papa Eugenius a vestro et nostro monasterio scripta sententia in perpetuum exterminavit, quic-

1. abbas monasterii Indensis s. S. Cornelii (Inden s. Cornelimünster) prope Aquisgranum. 2. Godefrido abbate.

1147 quam detis. Hoc esset veneficis venenum procurare, rebellibus arma dare, insanis clavam porrigere. Dum in monasterio vestro frater esse videbatur, sub specie et nomine prebendae propter bonum pacis potuistis rerum vestrarum dispendio obstruere os loquentium iniqua. Nunc vero, postquam frater esse et habere prebendam desiit, a domno papa condemnatus, donare ei, unde vobis noceat, non solum turpis symonia set etiam aperta insania est. Nos de pace cum ipso habenda nec ipsum domnum papam audire potuimus, nedum Prumiensem.

---

41. *Heinricus rex Wibaldi fidelitatem laudat. Consilia eius sequi vult. Missum equum accipit.* (M. 30.)

1147 Heinricus Dei gratia Romanorum rex Wibaldo abbati Corbeiensi gratiae suae plenitudinem.

Certi sumus, quod tam nos quam patrem nostrum eodem sinceritatis affectu complectaris et magna fidei constantia honorem utriusque tueri et promovere satagas. Proinde discretionis tuae consilium de amministratione regni, de pace firmanda, de principibus recipiendis et honorandis tota animi alacritate complectimur, et tam in his quam in aliis prudentiae tuae familiarem doctrinam imitari desideramus. Ambulatorem[1] vero, á tua liberalitate nobis transmissum, in memoriam et signum tuae dilectionis ad sellam[2] nostram detinebimus.

---

42. *Heinricus Romanorum rex Eugenium III papam patrocinium efflagitat.* (M. 54.)

1147 c. Iunio Reverendo in Christo patri et domino suo Eugenio summo et universali pontifici Heinricus Dei gratia Romanorum rex debitae dilectionis et obsequii sinceritatem.

Benedictus Deus, qui sanctitatis vestrae discretionem in officium et dispensationem summi pontificatus assumere dignatus est. Iusticiam enim et veritatem, sicut religiosi de vobis sentiunt, diligitis, et quae ad decorem domus Dei spectant, sollicite per-

1. equum gradarium. 2. ephippium.

tractatis. Unde nimirum vestrae sanctitati in hoc obedire parati sumus, ut materialis cum spiritali gladio in aecclesia nostris temporibus concorditer operando fructificent. Pater enim noster, devotissimus filius vester, qui pro dilatatione ecclesiae crucem Christi circumfert, novissime a nobis recedens, iterando precepit, ut iusticiae innitamur, religionis formam amplectamur, ecclesiae dignitatem, regni honorem summa diligentia tueamur. Sub obtentu igitur patris nostri, qui Romani imperii dignitatem per extera regna traducit et, pro dilatanda aecclesia se ipsum periculis omnibus usque ad effusionem sanguinis exponendo, perpetuum foedus cum aecclesia pepigit, patrocinium vestrum, qui specialis[a] pater ecclesiae estis, confidenter requirimus; quia secundum Deum et patris nostri preceptum paternitati vestrae in omnibus obedire parati sumus. 1147 c. Iunio

---

43. *Eugenius III papa Heinrico Romanorum regi opem et consilium pollicetur.* (M. 55.)

Eugenius episcopus servus servorum Dei filio in Christo dilecto Henrico iuniori Romanorum regi, regis illustris Cunradi filio, salutem et apostolicam benedictionem. 1147 c. Iun. 22

Genitoris tui devotionem erga beatum Petrum et sanctam Romanam aecclesiam attendentes et, quod divina inspiratione compunctus, assumpto vitae signaculo, ad hostes fidei subiugandos et catholicam aecclesiam dilatandam se viriliter et potenter accinxit, pre oculis cordis habentes, tanquam viscera sua speciali te affectione complectimur et de illius absentia quodam modo, tanquam suam in te cernentes ymaginem, consolamur. Propterea nuncios et litteras tuas paterna benignitate recepimus et, quod in annis tenerioribus constitutus, te promptum esse ad exhibendam ecclesiae Romanae ac nobis obedientiam tuis apicibus intimasti, gratum habuimus et habemus, sperantes, ut cum aetatis tuae incremento firma devotionis et obsequii tui sinceritas erga sedem apostolicam propensius augeatur. Unde omnipotentis Dei supernam exoramus clementiam, ut dies et actus tuos de

a. spāl' *cod.*

1147 c. Iun. 22 bono in melius sua ineffabili pietate promoveat et per continuae salutis augmentum personam tuam feliciter prosperari concedat. Nos etenim, quod ex nobis est, in quibus cum honore Dei et ecclesiae suae poterimus, opem tibi et consilium exhibere tanquam filio dilectissimo satagemus.

---

44. *Eugenius III papa Rudolfo episcopo Halberstadensi mandat, ut monasterio Corbeiensi ablatas possessiones restitui iubeat.* (M. 28.)

1147 c. Iun. 22 Eugenius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri R(udolfo) Halverbergensi[1] episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Dilectus filius noster Wibaldus abbas et monachi Corbeienses nobis conquesti sunt, quod Poppo de Blanchenburch et filius eius C. atque R(einh.) canonicus tuus reditus omnes, quos habuerunt in Cropensteden[2] et Gruninge[3], sibi violenter abstulerunt et iniuste detineant. Quia igitur ex officii nostri debito eorum iusticiae deesse nec volumus nec debemus, per apostolica tibi scripta mandamus atque precipimus, quatinus, si eorum querimonia veritate innititur, ipsos invasores districte commoneas, ut ablata cum integritate restituant. Alioquin infra duos menses, postquam presentia scripta susceperis, de ipsis canonicam iusticiam facias.

---

45. *Eugenius III papa Reinh. canonico Halberstadensi praecipit, ut monasterio Corbeiensi ablata restituat.* (M. 29.)

1147 c. Iun. 22 Eugenius episcopus servus servorum Dei Reinh. Halver(stadensi)[a] canonico salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii nostri Wibaldi abbatis et monachorum Corbeiensium querelam accepimus, quod in villa Cropensteden viginti mansos sibi iniuste et violenter abstuleris. Quia igitur, ecclesiasticorum bonorum pervasores quanta sint animadversione cogendi, tibi non credimus esse incognitum, per apostolica tibi

a. Halver. *c.*

1. leg. Halverstadensi. 2. Kroppenstädt prope Halberstadt. 3. Gröningen v. supra p. 102 n. 1.

scripta precipiendo mandamus, quatinus et predictos mansos, quos invasisti, et alia exinde ablata cum integritate restituas. Quodsi contemptor extiteris, scire te volumus, quia sine gravi vindicta non preteribimus, si iteratus clamor ad nos super iniuria predicta pervenerit. 1147 c. Iun. 22

---

46. *Heinricus monachus Stabulensis Wibaldo significat, eum a papa abbatem Corbeiensem probatum esse; de duobus monialium coenobiis petitionem in medio relictam.* (M. 25.)

Reverentissimo patri suo et domino Wibaldo Stabulensi abbati Henricus[1] suorum omnium minimus, quicquid patri devotus debet filius. 1147 post Iun. 22

Litteras, pater karissime, sinceritati vestrae transmisi, quatinus ea, quae apud domnum papam á nobis audita vel acta sunt, vobis significarem attentius, non quod alia vel altiora intellexerim vel quod plus laboraverim, quam hii, qui ad vos revertuntur, qui toti vestri sunt; set ut illis, pro se coram vobis assistentibus, non deesset nostre erga vos devotionis affectus. Tercia feria pentecostes apud Sanctum Dyonisium ad domnum papam pervenimus; ubi domno cancellario[2] tantum nos presentavimus propter tumultum permaximum, qui in exitu domni regis[3] circa domnum papam aderat. In crastino autem, antequam domnus papa, qui Meldas transire disposuerat, egrederetur, domno papae per cancellarium presentati sumus et litteras, quas deportaveramus, dedimus. Inde Meldas in quinta feria pervenimus. In sexta vero feria in presentiam domni papae et episcoporum et cardinalium tandem[a] evocati sumus, premuniti tamen á domno Florentino, quid loqueremur vel quis loqueretur, unus scilicet Corbeiensium, quorum causa agebatur. Sed cum alter eorum impeditioris linguae, ut melius nostis, esset et alter eorum satis infirmaretur[4], ego, qui cum Corbeiensibus iussu vestro aderam, quasi Corbeiensis una cum ipsis ad

(Marginal dates: Iun. 10 — Tercia feria pentecostes; Iun. 11 — In crastino autem; Iun. 12 — Inde Meldas in quinta feria; Iun. 13 — In sexta vero feria.)

a. tantum *c*.

1. monachus Stabulensis. V. infra ep. 311. 2. Guidoni. 3. Ludovici VII regis Francorum. 4. Hi duo erant Waltherus prior Corbeiensis et Reinherus praepositus Eresburgensis. V. infra ep. 150 ad 1147 Iuni. 10.

1147 domnum papam accessi. Ubi cum in presentia omnium illorum,
Iun. 13 qui affuere, de electione in personam vestram facta esset agendum, ego, qui me Corbeiensem modo esse necessitate qua predixi confitebar, totum ordinem electionis, quem bene noveram, domno papae sicut oportebat enarravi. Papa itaque, auditis omnibus necessitatibus, quare vos elegerant, compertis etiam utilitatibus, quas non tacueramus, quae electionem subsecutae sunt, dixit, se communicaturum consilium cum fratribus et ex ipsorum consilio se nobis responsurum. In hac autem suspen-
Iun. 13–22 sione detenti sumus decem diebus, aliquando observantes per dimidium diem ianuam domni papae, qui raro egrediebatur, aliquando ante portam cancellarii vigilias[a] agentes et aliquando pre nimio tedio usque ad noctem fere cum aliis multis dormitantes. Agebamus etiam interim apud omnes cardinales, singulos et singulos in domibus suis, quia neque alias conveniri neque respondere volebant, ut tam super hoc quam super privilegio de Keminade et Visbike benignum haberemus responsum. Qui omnes, preter paucos quosdam, dulci colloquio suo nos consolabantur, et omnia nostra prospera, etsi tardius agebatur quam vellemus, futura esse. Sapiebamus etiam interim veris et certis rationibus ea, quae ante adventum nostrum paucos dies nescio qui vel a quo missi disseminaverant, mendacia, scilicet vos totum thesaurum ecclesiae domno regi dedisse. Benedictus per omnia Deus, quia sicut constabat, eos falsa predicare, ita constitit, eos mox in adventu nostro disparuisse et commentorum
Iun. 22 suorum nulli fidem reliquisse. Quid tandem? Decima die post auditam causam electionis vestrae[b] vocati sumus. Et post multam commendationem personae vestrae, sapientiae quoque et facundiae, in presentia episcoporum et omnium cardinalium adiudicavit[c] et concessit, ratam esse electionem in vos factam, et hoc magis ex dispensatione, sicut ipse testabatur, Romanae aecclesiae quam aliqua auctoritate. Et precepit priori et nobis, qui presentes aderamus, et per nos omnibus, qui spectant ad Corbeiensem aecclesiam, ut de cetero vobis obedientes essemus,

a. uig̃ *c.* b. nr̄ę *c.* c. domnus papa *excidisse videtur.*

et sicut ferventes fueramus ad hoc, ut vos in patrem haberemus, ita studiosi essemus circa personae vestrae reverentiam, nec tunc primum inciperet displicere, quando agere vellet de ordinis reformatione. Ceterum de privilegio nobis responsum est, quod res litigiosa erat, nulla ratione se posse vel velle concedere, ut hoc tempore id, quod factum erat, auctoritate apostolica confirmaretur; maxime cum querimonia sanctimonialium scriptis penes ipsum esset reposita. Cum amplius instare vellemus, omnes uno ore, ut hoc tempore nil amplius quereremus, hortati sunt; sufficere nobis dicentes, et hoc esse ex magna domni papae gratia, quod nobis non interdicebat ipsa loca, quod, sicut non confirmabat, sic nec quod factum fuerat infirmabat. Cum tandem habere non poteramus, quod voluimus, oportuit nos velle id quod consequi potuimus. Ventum est ad peticiones, in quibus omnibus duas tantum obtinuimus[1], quarum exemplar vobis transmissum est. Caetera, si qua desunt, ab his, qui ad vos transeunt, scire poteritis. Paternitatem vestram ad honorem ecclesiae suae Deus incolumem custodiat.

1147 Iun. 22

---

47. *Guido cancellarius papalis Wibaldo significat, eum Corbeiensem abbatem esse agnitum, sed de duobus coenobiis minus prospere evenisse.* (M. 26.)

Guido sanctae Romanae ecclesiae diaconus cardinalis[2] et cancellarius karissimo fratri et speciali amico Wibaldo Corbeiensi abbati salutem. 1147 post Iun. 22

Certum est, quia verus amor otiosus esse non potest. Nuncios siquidem cum litteris tuis termino condicto recepimus et, ut in his pro quibus venerant efficaciam reportarent, et ipsi nobiscum et nos cum eis instanter et fideliter operati sumus. De Stabulo itaque, non dicam nostro, nescimus tamen si vestro, versus Corbeiam[a] vexillis patentibus nunc primum Deo gratias facie libera exire potestis. Si quid autem vel in confirmatione illarum duarum ecclesiarum per apostolicum privilegium vel in

a. Corbeium *c.*

1. v. epp. 44 et 45 supra p. 122. 2. SS. Cosmae et Damiani.

1147 post Iun. 22 quibuslibet aliis minus factum est, nec propter nunciorum tuorum incuriam, quia pro viribus laborant, neque pro ignaviae nostrae tepore id noveris accidisse. Si vero nacta oportunitate pro commodo tuo iterum officiosi esse poterimus, nequaquam autore Domino negligemus.

---

48. *Conradus III rex Wibaldo nunciat, se in Graeciam pervenisse. Heinricum regem commendat.* (M. 31.)

1147 c. Iul. Cuonradus Dei gratia Romanorum rex Wibaldo venerabili Corbeiensi abbati gratiam suam et omne bonum.

Ut processus itineris nostri ad prosperitatem totius ecclesiae et honorem regni nostri tendat, suffragio orationum tuarum plurimum adiuvari speramus et petimus. De statu igitur incolumitatis nostrae, in quo adhuc fuimus, dilectioni tuae significamus. Sani Deo gratias et integri sumus. Per Ungariam descendentes in Greciam usque pervenimus; ubi a rege Grecorum[1] honorifice nobis servitur. Preterea fidelitati tuae dilectum filium nostrum attentius commendamus, rogantes, quatinus pueritiam eius gubernare et regere tua non desinat prudentia.

---

49. *Corbeienses cum S. abbate in gratiam revertuntur. Monent, ut Wibaldo opituletur.* (M. 74.)

1147 Reverendo in Christo patri et fratri karissimo S. abbati frater E. prior et ceteri fratres Corbeienses fraternam dilectionem.

Petitionem vestram, quam mediante karissimo patre et domino nostro Wibaldo abbate nostre parvitati optulistis, debita reverentia suscepimus, et quicquid in nos scienter vel ignoranter deliquistis, absque simulatione remisimus; et nostrae societati arctius incorporatum, diligere et honorare et exiguis orationibus nostris participare vos et desideramus et concedimus. In adventu enim predicti patris nostri ad nos omnia inimicitiarum semina penitus extincta sunt, quoniam inter illos, quos dissensionis procella disiecerat, ipse se medium, tanquam bonus angularis lapis, vere caritatis et discretae humilitatis glutino inter-

1. Emanuele imperatore.

posuit, et filios Dei, qui in longinqua regione discordiae adeo remoti et alienati erant, in unum intimae dilectionis corpus congregavit. Cui pro utilitate et reformatione nostri monasterii indefesso studio laboranti vestra industria pro nostrae dilectionis et peticionis intuitu singulari, ut vestram prudentiam decet, constantiae et officii amore assistetis. 1147

---

50. *Corbeienses Stabulensibus de Wibaldo abbate sibi concesso gratias agunt. De mutua fraternitate instituenda addunt.* (M. 45.)

Dilectis et semper diligendis dominis et fratribus, sanctae Stabulensis ecclesiae filiis, fratres Corbeienses intimam dilectionem verae fraternitatis et devotissimum munus assiduae orationis. 1147 Iul.

In hoc cognovimus, reverendi patres et domini, quod karitas Dei diffusa[a] est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis[1], quia fratres et proximos vestros, nos scilicet, in tantum dilexistis, in tantum laboribus et tribulationibus nostris compassi estis, ut, quod carius inter vos et melius habuistis, nobiscum participaveritis; et eum, qui noverat inter vos sanare contritos corde et alligare contritiones eorum[2], in tempore tribulationis nostrae, ut et nostris calamitatibus subveniret, ad nos, multo desiderio adventum eius expectantes, miseritis. Unde immensas gratiarum actiones vestrae bonitati referimus. Et eundem dilectissimum patrem et dominum nostrum strenue pro ecclesia nostra laborare et multos in ea labores industria sua, sicut fortis armatus qui[b] custodit atrium suum[3], iam evicisse, plures adhuc si vixerit evicturum, vobis iocunde et memoriter cum gratiarum actione enarramus et, ut in his vestra fraternitas nobis congratuletur, obsecramus. Siquidem conventum nostrum, qui iam á multis retro temporibus dissensione non parva laboraverat atque in multis locis eadem agente discordia dispersus erat, in fraternam pacem atque in claustrum sicut pius pastor revocavit, et que in ordine nostro dilapsa erant, attento studio reformavit, ut iam illud antiquum decus, illam

a. d. ē. ı. c. n. p̣. s. s. q̇. d. ē. nob̄. *c.* b. q̇ c. a. s. *cod.*

1. Rom. 5, 5. 2. Ps. 146, 3. 3. Luc. 11, 21.

1147 Iul. solidam nostrae religionis observantiam reflorescere videamus et nostram Corbeiam in vera sua ymagine recognoscamus. Preterea possessiones, quas Heinricus ille, quem venerabilis legatus apostolicae sedis domnus Thomas cardinalis iudicio Spiritus sancti canonice deposuit, alienaverat, quae centum fere mansos bonae ac fertilis terrae excedebant, ad integrum recollegit et utilitatibus monasterii restituit. Pro huiusmodi beneficiis et aliis similibus vel maioribus, que adhuc ab eo speramus, Deo et vobis, tanti patris largitoribus, gratias referimus. Quem in tempore quidem electionis suae propter spem et bonam famam dileximus, nunc autem propter rem et collata in nos beneficia, ut virum omni dilectione dignum, unanimi et intima devotione diligimus. Audivimus á dilecto fratre nostro Heinrico[1], presentium latore, et a domno W(altero), tunc temporis nostro priore, et á preposito[2] fratre R(einhero), quod eos per aliquot dies morantes apud vos[3] benigne et honeste tractaveritis, et eis inter alias humanitates fraternitatem et societatem inter vos, quemadmodum uni de vobis, concesseritis. Super his quoque gratias vestrae benignitati referimus. Verbum vero, de quo et nos vobis scripsimus et ipsi vobiscum tractaverunt, verbum inquam eiusdem fraternitatis et societatis, ut videlicet vestra et nostra sit una in Christo ecclesia, inter nos unanimiter convenimus[a], et quatinus id ipsum vestrae unanimitati placeat, obnixe rogamus. Hanc unitionem duarum ecclesiarum per dilectum dominum et patrem nostrum fieri exoptamus[4]; vobisque per eum debita fraternitatis secun-

a. *sic cod.*

1. monacho Stabulensi. 2. Eresburgensi. 3. revertentes Meldis, ubi papam Wibaldi causa diebus 10—22 Iunii 1147 adierant. V. ep. 46 supra p. 123 et ep. 150 infra. — Itaque hanc Corbeiensium epistolam mense Iulio 1147 scriptam esse reor, Wibaldo ad bellum Slavicum profecto. 4. Hanc fraternitatem paullo post confectam esse, docet relatio, post Wibaldi mortem manu saec. XII posita in fol. 20 cod. membran. quondam Corbeiensis, hodie Monasteriensis signati I. A. 133. Est autem haec: „Nomina fratrum nostrorum Stabulensium, quorum tempore Stabulaus et nova Corbeiensis aecclesia in plena fraternitate et una eademque societate magno utrimque studio et pari voluntate convenerunt, eo videlicet tenore, ut in utralibet aecclesia omnia debita orationum, quae propriis fratribus utriusque congregationis debentur, tam vivis quam defunctis fra-

dum nostram consuetudinem promittimus, ita ut nos vicissim a vobis debita fraternitatis secundum vestram consuetudinem recipiamus, et si quis preterea fratrum de alterutra ecclesia propter vitia sua eiectus fuerit, usque ad reconciliationem suam ab alterutra ecclesia materne confoveatur et conservetur. 1147 Iul.

---

51. *Stabulenses de Wibaldi e Slavia Corbeiam reditu gaudent. Rogant, ut ad se veniat. De vexationibus sibi illatis queruntur.* (M. 37.)

Reverentissimo in Christo patri suo et domino W(ibaldo) venerabili Stabulensi abbati humilis eiusdem ecclesiae congregatio filialem dilectionem et debitam subiectionem. 1147 post Sept. 8

Quantum iocunditatis, pater karissime, de vestro vestrorumque prospero reditu[1] nobis collatum sit, perfacile vestra animadvertere potest eruditio, quae et nostram erga vos sinceritatem et animi nostri circa vestros successus semper agnovit puritatem. Benedictus igitur per omnia Deus, qui in vestra, sicut comperimus, sospitate fidelibus suis ostendere dignatus est, quoniam prope est Dominus omnibus invocantibus eum[2]. Paternitati vestrae itaque his litteris unanimiter occurrentes, vos reversum immo adhuc revertentem intime excipimus, excipiendo saluta-

tribus vicissim ab utraque aecclesia persolvantur. Haec autem fraternitas instituta est mediante venerabili abbate et domino utriusque aecclesiae Wibaldo anno dominicae incarnationis 1147 indictione 10, a constitutione novae Corbeiae anno 324, suae autem prelationis apud Stabulaus 16, apud Corbeiam 1. Obiit domnus Wicboldus abbas. Robertus, Warnerus, Ratherus, Robertus, Cuono, Engo, Roudulfus, Anselmus, Emmo, Arnulfus, Heribrandus, Warnerus, Gislebertus, Heinricus, Stephanus, Gerardus, Robelinus, Heinricus, Robertus, Erleboldus, Gregorius, Symon, Francho, Iohannes, Adelardus, Theodericus, Waltherus, Hillinus, Lambertus, Reinerus, Arnulfus, Bruno, Heremannus, Balduwinus, Widricus, Razo, Warnerus, Bonefacius, Garsilius, Arnulfus, Iulianus, Heinricus, Heinricus. Malmundarienses: Anselmus, Albertus, Albricus, Libertus, Godefridus, Bovo, Poppo, Godefridus, Frithericus, Albertus, Iohannes, Walcherus, Waltherus, Couno, Gerardus, Balduwinus, Heribrandus, Albertus, Harpero, Adelardus, Warnerus, Heribraudus, Heinricus, Mauricius, Erleboldus, Lambertus, Thidericus".

1. Bello cum Slavis gesto, die 8 m. Sept. Corbeiam revenit Wibaldus.
2. Ps. 144, 18.

1147 post Sept. 8 mus, salutando amplectimur, obsecrantes, ut secundum promissionis vestrae institutum terminum ad nos venire non abnuatis, quatinus facie ad faciem vestra frui et iocundari possimus presentia vestroque plenius recreari alloquio, cuius sepe et multociens roborati sumus consilio. Veniat ergo ad nos, id est ad dilectos filios suos, pater karissimus, pernecessarius hoc tempore non solum nobis, qui intus tenemur, set et his, qui foris sunt. Nam treugae sive induciae, quae fide data ab advocato nostro[1] et comite Gode(frido)[2] et suis usque ad festum sancti Remigii[3] servari et teneri debuerunt, mox in exitu vestro violatae sunt. Et nostra pene omnia ex utraque parte predis rapinis (incen)diis sunt distracta adeo usque, ut in nos tantum et nostra tocius maliciae summa recidat; sicque fit, ut

Quicquid delirant reges, plectantur Achivi[4].

Ad cumulum quoque miseriarum nostrarum accessit, quod Eustachius villam nostram Tornines ex consensu Namucensis comitis[5] iterum violenter occupavit. Pro qua re quantum laboraverimus, quantum Leodiensi episcopo[6], ut canonicam de invasore iusticiam exequeretur, instíterimus, et quid solum restet faciendum, ex rescriptis litterarum, quae vobis transmissa sunt, vestra plenius perpendere poterit prudentia. Interim autem ad humiliandum Deo animas nostras, reliquias seu corpora sanctorum omnium, quae apud nos habebantur, cum Salvatoris nostri ymagine in terra deposuimus, summae divinitatis clementiam quantum valemus attentius exorantes, ut eos, qui in sua feritate confidunt, dextera virtutis sue prosternat nosque ab ipsorum oppressionibus eripiat, qui solus laborem et dolorem humilium considerat.

---

52. *Robertus decanus Stabulensis Wibaldo de rebus eisdem scribit.* (M. 38.)

1147 post Sept. 8 Reverentissimo in Christo domino et patri suo Stabulensi abbati Wibaldo frater Robertus orationum et subiectionis, obedientiae et dilectionis continuam devotionem.

1. Heinrico comite de Rupe. 2. comite de Monte-acuto. 3. ad Oct. 1.
4. Hor. epist. I. 2, 14. 5. Heinrici. 6. Heinrico II 1145—1164.

Benedicimus Deum coeli de vestro[a] vestrorumque reditu et sospitate; gratias agimus patri misericordiarum de reddita nobis de vobis leticiae et gaudii integritate. De mora autem vestra non possumus non gravari, quia consolatione presentiae vestrae refoveri[b] volumus, qui multis non tam curis quam pressuris concutimur, ac proinde magis presentiam vestram quam rescripta desideramus. Habitum terrae nostrae tam scriptis quam viva voce geruli huius intelligetis. 1147 post Sept. 8

---

53. *Bovo praepositus Stabulensis Wibaldo de eisdem rebus significat.* (M. 39.)

Domino suo Wibaldo venerabili Stabulensi abbati frater Bovo, quicquid[c] patri filius. 1147 post Sept. 8

In magna angustia et inportabili damno post discessum vestrum positi, desiderabiliter vestrum expectamus adventum, quia non solum ab extraneis affligimur set etiam a nostris inmisericorditer intus et extra opprimimur. In rebus vestris, quae circa nos sunt, quantum fidelius possum elaboro. In prepositura autem, de qua vices vestras ago, nichil fructus me agere posse sciatis, quia non solum á Rad.[d] et Machario in Condustrio, set et a comite Namucensi et suis adversariis in Haspannia preda et incendio vastamur.

---

54. *Alolfus abbas Fuldensis Wibaldum commendaticias ad papam litteras rogat.* (M. 32.)

Wibaldo venerabili in Christo Corbeiensi abbati A(lolfus) humilis provisor Fuldensis cenobii debitum fraternae dilectionis et orationis. 1147 Sept. Oct.

Quanta benignitate dolori nostro condescendissetis, actus declarat. Cum enim primo causam nostram concepistis, litteris vestris nos consolari voluistis, quae tanto maiori remedio fuerunt, quo á tanto viro mitti potuerunt. Gratia itaque vestra, parturiens nobis magnam confidentiam, dat a vobis inquirendi consilii et auxilii singularem materiam, ut á religionis amatore

a. vestra *c.* b. rofoveri *c.* c. quicquic *c.* d. Rad' *c.*

1147 Sept. Oct. et disciplinae regularis doctore. En, quae mala per subditos nobis succrescant, intelligitis et, quia detrimentum sit omni proposito nostro, scitis. Ad cuius rei sublevationem testimonio vestro domno apostolico dirigendo nobis sitis in consolationem, si ad terminum nostrae vocationis venire non possitis. Quomodocumque se res habeat, nos sequenti die post festum[a] omnium sanctorum[1] exire, dilectio vestra sciat, quam nobis adesse ibidem, fidelis conventus noster diligentius nobiscum optat.

---

55. *Wibaldus Guidoni cancellario commendat Alolfum Fuldensem et Reinhardum Reinehusensem abbates.* (M. 33.)

1147 Oct. Reverendo patri suo et domino Guidoni sanctae Romanae ecclesiae cardinali[2] et cancellario Wibaldus Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, se ipsum cum suis omnibus.

Audierunt multi ex fratribus nostris, quod invenimus gratiam in conspectu vestro; et iccirco expetunt, quatinus eos vestrae clementiae attentius commendare debeamus. Nos etsi verecunde hoc facimus, timentes onerare mentem vestram quae totius mundi sollicitudine plena est, tamen ea nobis gratissima est occasio, quae nobis vestram dulcedinem visitandi et salutandi materiam prestat. Vestrae itaque bonitati commendamus fratrem nostrum Fuldensem abbatem[3], ut pro nostrae petitionis intuitu causam ipsius protegere dignemini. Siquidem, quod de ipso nobis compertum est, vir maturus et gravis est et in recolligendis possessionibus et edificatione sui monasterii constans et utilis. De adversariis suis certum est, quod contra propositum suum veniunt, qui, relicta professionis suae observantia, contra regulam sacram, quam manu scripto et viva voce se observaturos spoponderunt, litibus vacant propter ambitionem et propria possident, ex quibus expensas itinerum potiuntur[b]. Lator presentium, vir venerabilis Reinehusensis abbas[4], nostrae adolescentiae magister ac preceptor et in divinis obsequiis institutor,

a. festum — sanctorum *in litura.* b. patiuntur *c.*

1. Nov. 2. 2. diac. card. SS. Cosmae et Damiani. 3. Alolfum. 4. Reinhardus.

privilegia ecclesiae suae, cui primus preest, confirmari petit, vir pauper rebus set meritis dives, qui in lege Dei[a] meditatur die ac nocte, et voluntas eius in ea scrutando, scribendo, vir utique magnae abstinentiae et carni suae inimicus. Quem pro Dei dilectione et nostra commendatione clementer exaudietis. 1147 Oct.

---

56. *Reinardus abbas Reinehusensis Wibaldo scribit de eius erga se beneficentia et de sua egestate.* (M. 36.)

Domno Wibaldo Reinardus qualiscunque, fidelissimus tamen, quicquid dulcius. 1147?

In multis et magnis beneficiis tuis, hominum dilectissime, mutas tibi litteras, si tamen mutas, mittere curavi. Et ipsis quidem beneficiis tuis qualescunque grates vellem rependere, nisi scirem, gratuitum bonum tuum nullatenus eas requirere. Verumtamen parturitio cordis mei nequaquam patitur, de interiori conceptione foras nichil erumpere. Quid tamen dicere possum, nisi quia tu, sicut quidam dicit, alter idem mihi facis, quod facere debes? Huius enim sententiae veritate considerata, quodammodo viscera tua largiter in me foves et, mihi quicquid inpertiri videris, procul dubio tibimet ipsi proportionaliter inpendere cognosceris. Bene legis et intelligis illud divinae mandatum legis: *Quodcunque vultis, ut faciant vobis homines, hoc et vos facite illis*[1]. Siquidem, si tuae vitae status sic esset ordinatus, ut tu in egestate positus amicum superiorem te divitiis et opibus haberes, licet non exigeres, si tamen illius voluntaria benivolentia te respiceret, fortasse non abnueres. Non me . . . . . nec memoriae excidit illa Tulliani dialogi sententia de amicitia, qua sic dicit: *Amare nichil est aliud nisi eum ipsum diligere, quem amas, nulla indigentia, nulla utilitate quesita; quae tamen utilitas ipsa efflorescit ex amicitia, etsi tu eam minus secutus sis*[2]. Nam et ego te dilexi, sicut ipse nosti, cum nec ego ulla artarer indigentia, utpote mihi sufficiens in his quae dabantur, nec tuus status in eo rerum genere consisteret, ut animus meus tale quid ex te sibi proponere vel expetere posset. Nunc autem aliorum

a. d' *c*.

1. Matth. 7, 12. 2. Cic. de amicitia 27, 100.

1147? cura gravatus et, sicut Domino placuit, necessariorum tenuitate aliquantisper anxiatus, id ipsum divinae consolationi indubitanter asscribo, si cuius cor ipse Deus tetigerit, quamvis preter te fere nullus hoc tempore sic circa me sit affectus, ut oculos suos super me aperiat et, ipsius copia de nostri auctoris munere accepta, meam inopiam, quam propter alios sustineo, fraterna compassione suppleat. Nam mihimet soli facile sufficerent vel parva, quia, quantum res patitur, non valde requiro superflua. Set quid diutius occupatos oculos vel aures tuas talibus memorans teneo? quamvis iocundum mihi sit ac delectabile cum dilectissimo meo sepe diuque fabulari. Modus itaque iam nunc sit interim dictionis, cum non sit modus dilectionis. Vale.

---

57. *Wibaldus Heinricum II episcopum Leodiensem rogat, cogat Eustachium, ut monasterio Stabulensi ablata restituat.* (M. 40.)

1147 Oct. Reverendo patri suo et domino Henrico sanctae Leodiensis ecclesiae venerabili episcopo[a] frater Wibaldus Dei gratia Stabulensis aecclesiae servus devotas orationes et devotum servitium.

Fratres nostri et filii, Stabulenses monachi, vestrae sanctitatis servi, detulerunt ad nos gravem querimoniam pro eo, quod Eustachius homo vester et parrochianus villam Tornines, quae ad cotidianam prebendam fratrum pertinet, invasit et eiusdem villae reditus, qui in mensa fratrum cotidie serviunt, violenter abstulit. Notum autem vobis esse non dubitamus, qualiter eandem villam iudicio et iusticia dictante recepimus et eam per multa iam tempora in libera possessione nostra tenuimus et quiete ordinavimus, et ad usus fratrum nostrorum, prout monasterii oportunitas poscebat, reditus universos aptavimus[b]; sed et decimationem et alia, quae hinc inde distracta erant, cum labore magno recollegimus. Et eramus possidentes tunc, quando domnus papa signum sanctae crucis nobis inposuit, ut super paganos trans Albim in expeditionem moveremur, ac personam nostram et nostra omnia sub protectionem beati Petri et suam suscepit. Intra quod tempus predictam villam non absque sacrilegio idem E(ustachius) invasit. Unde animo provoluti ad pedes

a. Leodiensis ep̄o ven̄ ep̄o *c.* b. obtavimus *correct. in* aptavimus *c.*

vestrae magnitudinis, discretionem vestram obnixe rogamus, ut predictum E(ustachium), qui vester specialis et tamquam domesticus ac familiaris homo est, ab hac temeritate compescatis; et sinite, ut hanc gratiam vobis potius quam domno papae debeamus, qui ad partes Lotharingiae in proximo venturus est[1]. Multa mala sunt in episcopatu vestro, quae tam generaliter á diebus antiquis ibi audita non sunt; set hoc malum de facili potestis comprimere, nec patiamini in tempore vestri sacerdotii confundi fasque nefasque. Mementote, quod inter primos priores matris nostrae Leodiensis ecclesiae apparere et annumerari debemus tam per ordinationis nostrae tempus et locum quam per aetatem, et eidem matri nostrae in omni oportunitate sua humiliter ac fideliter servivimus, et hoc ipsum usque in finem facere parati sumus et desideramus. Mementote etiam, quod pro iusticia de Tornines facienda domnus papa Honorius[2] episcopo Alexandro[3] scripsit; quod domnus papa Innocentius[4] domno Alberoni[5] viva voce precepit, semel apud Oliventum[6] iuxta Melphim civitatem[7], secundo Romae in concilio[8], tercio per litteras suas[9], quas nos ei in plena synodo Leodii presentavimus[10], nec ipse carni et sanguini parcere potuit, cum tamen de negligentia tantam a Deo penam susceperit, ut postea in episcopatu suo et honore nunquam in pace et quiete vixerit. 1147 Oct.

---

58. *Wibaldus Stabulensium angustias deplorat. Suae ad Heinricum episcopum Leodiensem epistolae exemplum mittit. Addit de instanti sua ad eos reversione.* (M. 41.)

Frater Wibaldus Dei gratia Stabulensis aecclesiae servus Roberto decano et ceteris Stabulensibus fratribus, spiritu consilii et fortitudinis abundare. 1147 Oct.

1. Pervenit Virdunum papa die 5 Nov. 1147. 2. II. 3. I. 1128—1135. 4. II. 5. II episcopo Leodiensi, 1136—1145. 6. Olivento fl. 7. 1137 Iun. V. Regesta pont. Rom. p. 579. 8. 1139 Apr. V. meum de Conrado III rege librum p. 280. — Caeterum ex hac epistola cognitu facile est, ipsum quoque Wibaldum et m. Iunio 1137 apud Oliventum fl. et m. Aprili 1139 in concilio Romano fuisse. 9. quae perierunt. 10. anno 1139. V. Alberonis tabulam ap. Martene Coll. II. 108—110.

1147 Oct. Sinceritatis vestrae litteras accepimus, in principio quidem sui plenas gratiae, plenas caritatis, plenas filialis affectus, plenas singularis desiderii, plenas gaudii, plenas dulcedinis et bonae spei; quo uno et eodem momento et cor nostrum abundantiore leticia et oculos nostros uberibus ex vestra pietate lacrimis impleverunt. Credite nobis, dulce fuit ac iocundum animae nostrae vivere, dulce ac iocundum inter tot pericula, quae die noctuque in expeditione super paganos trans Albim in silva Ercinia pertulimus, vitam et sospitatem servasse, ut videlicet tantis beneficiis, quae de vestra salutatione et visitatione suscepimus, hilariter frueremur. Verum cum, intento ad meliora animo, tanti boni participatione perfuncti, paginam vestram percurrimus, subito exhorruit animus, expalluit facies et versus est in luctum chorus noster[1], cum in illas miserabiles querimonias vestras impegimus, quae coelum possent[a] penetrare, si peccatis nostris promerentibus aeneum[2] non esset factum, ne transeat oratio; possent, inquam, commovere terram, si non offenso auctore nobis elementa rebellarent. Ingressi itaque in penetralia cordis nostri et in archanos animae nostrae recessus diuque ac multum questi, cum nostra conscientia disceptavimus, disquirentes et iudicantes, nobisne an vobis universis imputari iure debeat, quod per longam absentiam nostram Stabulense monasterium tam lacrimabilibus modis laceratur; vosne in culpa sitis, qui, omnifariam nostri potestatem habentes, ad regimen Corbeiensis ecclesiae nos emisistis vel saltem dimisistis; an nos rei simus, qui ad vestram voluntatem, ne dicamus iussionem, tantis nos sollicitudinibus et offensionibus — relicta immo ut veremur deserta matre nostra, educatrice ac nutrice nostra Stabulensi aecclesia — inplicuimus. Etsi enim magni, Deo id per vestram adhortationem agente, sumus iuxta nomen magnorum qui sunt in terra, scire tamen potestis, quod quanto altius conscendisse cernimur, tanto magis de vario ruinae casu pertimescere debemus; et quanto amplius crescunt dona honorum, tanto magis

a. posst̄ *c.*

1. Thren. 5, 15. 2. Cf. Deuter. 28, 23.

augentur rationes dolorum[a]. Certe, ut caetera incommoda sileamus, nobis senescere non licet; immo senescimus quidem, sed quies, quae senibus et emeritis prestatur, nobis Corbeiae negatur. Novi labores, nova industria, nova eloquentia, novae largitates, nova magnificentia á nobis cotidie expetuntur, cum iam diu fatigati aliquam laborum nostrorum metam prospiceremus, aliquam fatigationum requiem speraremus. Aut peccandum est in rem publicam aut hominum offensiones tolerandae. Tum preterea nostra aetate omnis pudor abscessit, omnis reverentia extincta est, fides interiit et honestas mortua est. Quid igitur placuit vobis duplicare labores nostros? Quantum in reformanda et observanda religione fructum facere valeamus, vestri defectus, vestri labores, qui ex pravorum inprobitate vobis cotidie accrescunt, docere vos perfacile possunt. Porro divitiae quid prosunt inquietis? Colligitis itaque, quod neque in spiritualibus neque in secularibus solidum gaudium habere possumus. Set spes nostra Deus, honor noster, genus nostrum, sublimitas nostra, exultatio nostra, in amministratione suae rei publicae nostra parvitate tanquam suo instrumento, licet vili et exiguo, utitur, nosque per quos vult graduum provectus, tanquam per munuscula quedam, ad sui nominis amorem clementer allicit, et nostrae fragilitatis excessus cotidianis immo assiduis laboribus velut quibusdam flagellis et amaritudinibus, ne ab ipso recedamus, comprimere dignatur. De Turnines tantum dolemus, quantum verbis exprimere non possumus. Super[b] qua re domno Leodiensi episcopo scripsimus[1], sicut in litterarum exemplo, quod vobis transmisimus, videre potestis. Si domnus papa, ut fertur, Treverim venturus est, nos ipsos ad hanc causam peragendam expectabitis; sin autem vanus[c] rumor est, fratrem H(enricum), nostrum dilectum filium, et Erleboldum[d] fratrem ad domnum papam mature mittetis, ferentes secum omnia instrumenta, quae de Tornines bene salva per nos habetis, et precipue litteras

1147 Oct.

a. donorum *c.* b. Super — scripsimus *erasa sunt in cod.* c. minus *c.* d. Erleb̃ *c.*

1. ep. 57 supra p. 134.

1147 Oct. bullatas Innocentii papae, quas super eodem negotio Leodiensi episcopo Alberoni transmisit. Ad veniendum autem ad vos in proximo nos modis omnibus expedimus et iam iam quasi sarcinas nostras colligamus. Orate pro nobis.

---

59. *Heinricus episcopus Leodiensis Wibaldum ad se vocat.* (M. 42.)

1147 Oct.? Henricus[a] Dei gratia Leodiensis episcopus venerabili abbati Stabulensi Wibaldo in summo Salutari salutem.

Intolerantiam malorum episcopatui nostro incumbentium tanto experientius quam vos didici, quanto prestat experimentum relatui. Et quoniam peccatis nostris exigentibus mala de die in diem multiplicantur, non ambigitur apud discretionis vestrae examen, nos eo amplius vestri consilii et auxilii amminiculo indigere, quo exquisitior et ferventior ceteris concessa est vobis divinitus gratia in utroque. Ex nostris tamen occupationibus vestras quoque metientes, absentiam vestram, licet nobis et his, quae ad vos specialius spectant, admodum incommodam, patienter sustinemus, obnixe et confidenter monentes dilectionem vestram, ut propensius data opera exoccupationi nostrae, venire maturetis[b]. Necesse est enim, ut, communicato utriusque annisu, et vestrorum hominum excessus et insolentiae vobis presente corrigantur, et nostrae partis malicia, Deo propitiante, aliquantulum mitigetur.

---

60. *Monachus Stabulensis Wibaldum rogat, ut venire properet. Addit, de villa Turnines iudicium Leodii saepius postulatum esse.* (M. 43.)

1147 Oct.? Domino[c] subditus, patri filius dilectionem et salutem.

Gravibus curis et crebris expensis, assiduis pressuris molestati, aporiamur quidem sed non destituimur, vestrum necessarium tam nobis quam terrae nostrae prestolantes adventum, estimantes, tunc, etsi non ad plenum pacem cordis, saltem

a. Henricus — Wibaldo *in cod. erasa sunt.* b. *hic quaedam excidisse patet.* c. Domino — salutem *in cod. erasa sunt.*

quietem corporis nos habituros. Unde et oramus, ut non tardetis venire ad diligentes vos. Litteras, quas nobis pro synodo misistis, post synodum accepimus, cum tamen et in synodo et a Kalendis Augusti sepius in conspectu ecclesiae Leodiensis de Turnines verbum fecerimus. De malis terrae nostrae nichil scribimus, inopes nos copia fecit. 1147 Oct.?

---

61. *Wibaldus Eugenio III papae scribit, se audito eius in Lotharingiam adventu appropinquasse. Addit de liberatione legatorum ad eum euntium.* (M. 44.)

Reverentissimo patri suo et domino Eugenio uni et universali pontifici frater Wibaldus Dei et vestra gratia id, quod est in aecclesia catholica, devotionem filii et obedientiam servi. 1147 Nov.

Audito adventu vestro ad partes Lotharingiae[1], festinavimus res Corbeiensis ecclesie ordinare et vestrae sanctitati celerius occurrere, quatinus tam de persona nostra quam de rebus, nobis á Deo et á vestra bonitate commissis, vestrae sanctitati tam devotum quam debitum exhiberemus famulatum. Et agente divina misericordia, piam ac fidelem intentionem subsecuta est maturior efficatia. Nam legatos hominum de Erveta[2], qui ad vestram sublimitatem pro quibusdam aecclesiasticis causis missi tendebant, captos invenimus in quodam castello cuiusdam ministerialis Stabulensis ecclesiae. Et sub momento introitus nostri, antequam panem gustaremus, ad honorem personae vestrae (et) defensionem aecclesiasticae iusticiae eandem munitionem obsedimus et cum labore ac sumptu et gravibus inimicitiis de carcere, in quo erant, eduximus et eos ad sanctitatis vestrae genua liberos transmisimus; cum tamen iam prius pactionem fecissent, ut pro redemptione sua 50 fere marcas puri argenti dare deberent. Res eorum, quas amiserant, recipere non potuimus, quia non ab his servabantur, á quibus capti fuerunt. Set propter honorem vestrum duas eis equitaturas et viaticum largiti sumus.

1. Virdunum pervenit papa die 5 Nov. 1147. V. Reg. pont. Rom. p. 360. 2. Erwitte, a Lippstadt ad meridiem.

62. *Wibaldus Guidoni sedis apostolicae cancellario scribit de suo ad eum itinere; mittit remedium contra vitium frigoris; addit de captivis liberatis.* (M. 27.)

1147 Nov. Dilecto patri et amico suo Guidoni sanctae Romanae ecclesiae cardinali diacono[1], apostolicae sedis cancellario, frater Wibaldus Dei gratia minimum quod est, se ipsum et sua.

Scripsit nobis eruditio vestra[2] et verum[a] est, quia verus amor otiosus esse non potest. Illud etiam equę certum est, quod idem verus amor nec suspectus nec suspiciosus est, nec accipiens nec contemnens personam. Inde est, quod mensuram nostrae parvitatis excedentes, vestrae celsitudini cum quadam fiducia plane et quasi coequaliter loqui et scribere consuevimus, non attendentes, cui scribimus, set quantum diligimus. De adventu nostro ad vos sic ordinabitis, ut vestram excellentiam deceat et nostrae inbecillitati conveniat. Misimus vobis antidotum contra frigus hiemale. Sit hoc diacalamentis[3], quod licet exiguo prostet[b] pretio, eque tamen potens est, ut inops Arduenna asserit, sicut diamargariton[4]. Obsequium, quod domno papae et sanctae Romanae ecclesie in liberandis captivis inpendimus, et attente commendabitis et eleganter ornabitis; quod ex litteris, quas domno papae misimus[5], et ex legatorum nostrorum viva voce plenius intelligetis.

---

63. *Wibaldus Guidoni cancellario papali scribit de officiis a sese papae praestitis. Coenobium Stabulense commendat.* (M. 48.)

1147 c. Dec. Reverendo patri suo et domino Guidoni sanctae Romanae ecclesiae cardinali[c] diacono[1], apostolicae sedis cancellario, frater Wibaldus Dei gratia modicum id quod est, se ipsum.

Sicut nobis significastis — nec hoc temere dictum ęst, plus enim nutu á vobis accipimus quam audimus — de servitio procurationis domni papae ita solliciti fuimus, ut et primi in de-

a. *sic cod. pro* certum. b. prēt *c.* c. cardinali *om. c.*

1. SS. Cosmae et Damiani. 2. ep. 47 supra p. 125. 3. medicamen e calamintha paratum. 4. remedium contusas margaritas continens. 5. ep. 61 supra p. 139.

votione essemus et inter remurmurantes nullo modo inveniremur. Stabulensis aecclesia, cuius vos abbas estis, sui abbatis patrocinio, hoc est vestro, summopere indiget; cui, sicut patrem decet, prompte et clementer subvenietis. Cuius querimoniam frater noster — *noster* inquam non ex consuetudine locutionis monachorum, set vester et noster proprius et specialis — vestrae celsitudini plenius intimabit. 1147 c. Dec.

---

64. *Wibaldus Iordano presbytero cardinali de rebus eisdem significat.* (M. 49.)

Reverendo patri suo et domino Iordano sanctae Romanae ecclesiae cardinali presbitero[1] frater Wibaldus Dei gratia modicum id quod est, se ipsum. 1147 c. Dec.

Fecimus, quod iussistis[a]. De servitio enim procurationis domni papae, quod in Leodiensi episcopatu ordinatum est, non solum solliciti set etiam studiosi fuimus, ut plus quam portionem[b], quae Stabulense monasterium contingere[c] estimata est, primi exhiberemus, nec murmurantium numerum ullo[d] modo augeremus. Dilectam itaque nobis paternitatem vestram attente monendo rogamus, ut devotionem nostram benigno sermone commendetis et querelam Stabulensis monasterii, quae per fratres nostros vestrae pietati manifestabitur, in sinum apostolicae misericordiae fideliter recondatis.

---

65. *Wibaldus Iohanni cardinali se excusat, quod non prius eum adierit, eumque protectionem rogat.* (M. 50.)

Reverendo patri suo et domino Iohanni[e] sanctae Romanae ecclesiae cardinali presbitero[2] frater W(ibaldus) Dei gratia id quod est, se ipsum et sua. 1147 c. Dec.

Habetis reum confitentem, date queso veniam, non equidem erroris, non negligentiae, quae remota sunt á sapientia — quam

a. iusistis *c.* b. portio *c.* c. contiḡ *c.* d. nullo *c.* e. Iōi *addidit manus posterior.*

1. tit. S. Susannae. 2. immo diacono S. Mariae novae.

1147 c. Dec. etsi non habemus, tamen eam diligimus — set date veniam ignorantiae, quae in hac mortalitate purgatissimis etiam animis longinqua esse non potest. Et hic quidem propinquior ad misericordiam purgationis modus est. Set quid laboramus, cum propitium iudicem habeamus? Quem sane non timemus pro eo, quod ex officio sedis suae catholicae ecclesiae custodiam et canonicae litis arbitrium habet, set pro eo diligimus, quod nepos est summi quondam pontificis papae Lucii, qui nos ante suppremum provectionis gradum unice dilexit et, in apostolatus culmine constitutus, aecclesiam nostram et nos magnifice honoravit. Qui vivens a nobis demeruit, si homines sumus, ut non solum carnem ipsius et sanguinem et, quecunque dilexit ipse, diligamus; verum aliquas forte reliquias vel monimenta de suis artissima caritate amplectamur. Estis itaque noster propria quadam et speciali possessionis iusticia; recipite in fidem vestrum hereditario iure clientem, familiae vestrae cultorem, provehite personam, defendite causas, quae, Dei nos protegente gratia, non de criminibus sed de incrementis ecclesiae nostrae oriuntur. Tueatur nepos, quem avunculus dilexit; protegat ab ipso ordinatus, quem ille provexit, servet presbiter cardinalis iudicium summi pontificis, ut nullis concussionibus eum fatigari permittat, quem ille dignum honore iudicavit. O quanta verae dilectionis fiducia in ipso ineunde familiaritatis immo noticiae primordio! Ita vobiscum secure et liberaliter loquimur, sicut cum illo, illo inquam vestro avunculo sermocinari consueveramus, cuius intima amicitiae gratia viginti et eo amplius annis sine offensione usi et, ut minus usitate set verius dictum sit, fruiti sumus. Verum vobis in clausula dicimus: Non amamus vos, quia tantus estis, sed quia de tanto estis.

---

66. *Iohannes cardinalis Wibaldo benigne respondet.* (M. 51.)

1147 c. Dec. Reverendo in Christo patri Wibaldo Dei gratia Corbeiensi et Stabulensi venerabili abbati Iohannes eadem gratia Sanctae Mariae novae diaconus cardinalis salutem cum sinceritatis affectu.

Ex litteris vestris percepimus, vos instanter veniam postulare, quod[a] sollicitius et maturius ad noticiam nostrae humilitatis non propinquius accessistis, personam videlicet, quam dominus meus papa Lucius tanto affectu dilexit et quam tandiu fovit et cui usque ad finem vite suae, sicut nos ipsi vidimus et vos scribitis, in nullo defuit. Huic accedit, quod domnus Guido Florentinus in discessu suo á nobis ex singulari et precipua karitate, quam nobiscum et vobiscum intimo affectu gerit, vos causasque vestras nobis precipue commendavit. Inde fuit, quod a vobis non rogatus, non sollicitatus, causas vestras tanquam proprias hucusque proteximus, defendimus, sustulimus, et ubi nullae preces porrectae sunt, nos porreximus. Denique si nulla alia causa esset, in vobis tamen est Deo concedente tanta prudentia, ut ex vobis teneri et stricte amplecti debeatis, qui ecclesiae Romanae sapienter et efficaciter semper astitistis. Concessa igitur quam postulatis venia, gratiam vestram et singularem dilectionem, quam offertis, utrisque ulnis amplectimur, et presentiam nostram pro vestra et, si plus possumus, vobis per omnia promittimus, et sicut eam specialiter vendicatis[b]. 1147 c. Dec.

---

67. *Guido cancellarius papalis Wibaldo suadet, ut ad papam accedat.* (M. 47.)

Guido sanctae Romanae ecclesiae diaconus cardinalis[1] et cancellarius karissimo amico Corbeiensi abbati salutem. 1147 c. Dec.

Dilectionis sinceritas, quam erga te habere incepimus, non minuitur set suscipit[c] incrementum. Scriptum, quod per germanum vestrum nobis misistis, domno papae ostendimus. Ut autem brevi utamur eloquio, amicis nostris malumus parum promittere et amplius operari. Satis dictum est sapienti. Bonum videtur nobis, si domno papae propter molestias detrectantium vestram obtulissetis presentiam.

---

a. quę *c.* b. *sic cod.* c. suscepit (i *superscr.*) *c.*

1. SS. Cosmae et Damiani.

68. *Henricus Romanorum rex Eugenio III papae commendat Henricum archiepiscopum Moguntinum et Wibaldum abbatem. De Agnete ducissa Poloniae restituenda hortatur.* (M. 56.)

1147 c. Dec. Dilectissimo in Christo patri Eugenio summo et universali pontifici Henricus Dei gratia Romanorum rex filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Sanctitati vestrae totis animi viribus multas gratiarum actiones referimus, quod legatos nostros et litteras affectione paterna suscepistis, et dulcissimis responsis vestris nostram aetatem ad divinae religionis cultum et sanctae aecclesiae amorem benigne informastis, et de absentia incliti patris nostri, vestri utique devotissimi filii, piam et efficacem consolationem[a] exhibuistis. Vestris ergo apud Deum intervenientibus meritis, quantum per ipsius gratiam aetate et industria proficere possumus, tantumdem in vestrae personae et sacrosanctae Romanae aecclesiae dilectionem ac totius catholicae ecclesiae defensionem crescimus. Siquidem pater noster, á nobis sub vexillo sanctae crucis recedens, haec nobis suprema et multociens repetita mandata reliquit, ut vos sicut ipsum filiali et intimo affectu diligeremus, ut á vobis, tanquam á fidelissimo etatis nostrae tutore, verum consilium et competens adiutorium in omni oportunitate nostra speraremus. In quo traditae nobis ab ipso disciplinae proposito constanter permanentes, reverendam nobis paternitatem vestram pio studio salutamus, orantes, ut peticiones nostras, quae in subiectis habentur, intra efficatiam exauditionis admittatis. Primum quidem, ut karissimum nobis patrem ac preceptorem atque adiutorem nostrum Henricum venerabilem Moguntinum archiepiscopum nec non alios archiepiscopos, episcopos, abbates, prepositos seu ceteras personas, quae de regno patris nostri[b], ad cuius successionem Dei largiente misericordia ordinati sumus, ad vestram presentiam transeunt, clementi bonitate suscipiatis eosque ammonitione sedula, quod patienter et fortiter absentiam patris nostri ferant et nostram indolem educare studeant, exhortari non abnuatis, quatinus et ipsi cum

a. nobis *excidisse videtur.* b. sunt *post additum est.*

gaudio in proprio suae dignitatis statu ad sua revertentes, reditum patris nostri cum iocunditate expectent et nostris atque regni oportunitatibus debitum fidei et consilii effectum accomodent. Ducissa quoque Poloniae[1], nostra amita, tum per sententiam excommunicationis, quae á vobis in ipsam promulgata fuit, tum per absentiam patris nostri, sui utique domini et fratris, vim patitur et de terra sua et de honore sui ducatus exulare cogitur. Super qua re vestra discretio bene meminisse debet, quod pater noster eandem sororem suam cancellario vestro[2], viro utique sapienti et honesto nobisque karissimo, in manum commisit et per eum vestrae celsitudini ipsam attente commendavit, ut videlicet ad eius restitutionem clementem operam adhibere dignemini. Corbeiensem quoque abbatem Wibaldum, nostrum utique et regni nostri fidelem, pari diligentia et simili studio in manum predicti cancellarii vestri per manum incliti patris nostri presentialiter commissum, vestrae mansuetudini nos quoque commendamus, ut eum in omni necessitate sua clementer protegatis, et precipue in duabus abbatiolis obtinendis, videlicet Kaminata et Visbicke. Quae quia fere collapsae et destructae erant tam in religione quam in possessionibus, mansuetissimus pater noster eas Corbeiensi monasterio et prefato abbati iure proprietario contulit, quatinus per ipsius industriam divinus ibidem ordo reformetur et, possessionibus recollectis quae dispersae sunt atque conservatis, loca penitus, ut ceperant, non destruantur. 1147 c. Dec.

---

69. *Bernhardus episcopus Hildesheimensis Eugenio III papae Wibaldum commendat.* (M. 57.)

Reverendo patri ac domino suo sanctae Romanae ecclesiae summo pontifici Eugenio B(ernhardus) Dei gratia Hildeneshemensis ecclesiae humilis minister tam devotam quam debitam patri obedientiam. 1147 c. Dec.

Commendamus serenitati vestrae dilectum fratrem nostrum Wibaldum ecclesiae Corbeiensis abbatem, virum boni apud nos

1. Agnes, uxor Wladislai ducis. 2. Guidoni.

1147 c. Dec. testimonii et in catholica aecclesia bene nominatum, quem ad nostras partes accessisse admodum gaudemus, utpote de cuius prudentia et industria plurimum confidimus. Obsecramus ergo paternitatem vestram, quatinus eum in suis peticionibus clementer exaudiatis, et precipue pro aecclesia Kaminatensi; in qua et divinae religionis cultum, cuius in eadem aecclesia multa negligentia fuerat, tanquam vir religiosus ac prudens reformavit et reditus ac possessiones, quas eiusdem monasterii abbatissa, femina non boni apud nos testimonii, post sui depositionem cum vanis et superfluis hominibus dissipaverat et militibus in beneficio concesserat, tanquam vir strenuus fere ad integrum recollegit et utilitatibus monasterii restituit. Huic ergo homini habenti[a] zelum Dei tanquam pius et clemens pater assistite et labores, quos fecit in aecclesia Dei, vestra auctoritate corroborate; hoc procul dubio scientes, quod mutatio, quae in prefato monasterio facta est, omnibus religiosis terrae nostrae placet, his autem, qui ibidem fuerant, causa irrelegiositatis displicet.

---

70. *Henricus dux Saxoniae Eugenio III papae Wibaldum commendat.* (M. 58.)

1147 c. Dec. Sacrosanctae Romanae aecclesiae summo pontifici Eugenio Henricus dux Saxoniae promptae et officiosae servitutis devotionem.

Commendamus paternitati vestrae dilectum dominum meum, venerabilem Corbeiensis ecclesiae abbatem Wibaldum, quem pro causis ecclesiae suae ad vestrae maiestatis presentiam venisse cognoscimus, quem etsi in conspectu vestro gratiam invenisse non ambigimus, pro affectu tamen, quo eum diligimus, nostra quoque commendatione eum prosequimur. Obsecramus ergo paternitatem vestram, quatinus eum in suis peticionibus clementer exaudiatis, et precipue pro ecclesia Kaminatensi; in qua et divinae religionis cultum tanquam vir religiosus ac timens Deum reformavit, et ipsius ecclesiae predia ac possessiones, que Iuditha abbatissa adiutoribus et amatoribus suis post depositionem

a. habentem *c.*

sui plus quam ad centum mansos in beneficio concesserat, tanquam vir strenuus, Dei adiutorio et nostro fere ad integrum recollegit et usibus ecclesiae restituit. Salubre itaque nobis exemplum et commonitorium in protegendis et adiuvandis de caetero ecclesiis prestabitis, si bonum, quod in eadem aecclesia ad laudem Dei inchoavimus, secundum peticionem predicti venerabilis abbatis stabile et firmum vestra auctoritate feceritis. Valete. 1147 c. Dec.

---

71. *Herimannus comes Wincenburgensis Eugenio III papae Wibaldum commendat.* (M. 59.)

Sanctissimo patri ac domino suo Eugenio sanctae Romanae aecclesiae summo pontifici Herimannus comes de Wincenburch, advocatus ecclesiae Corbeiensis, obsequii sui intimam devotionem. 1147 c. Dec.

Commendamus, venerande pater, sanctitati vestrae dominum meum karissimum Wibaldum, venerabilem Corbeiensem abbatem, virum utique religiosum et in omni apud nos honestate ac prudentia spectatum. Commendamus vobis labores, quos in aecclesia Corbeiensi á die promotionis suae fideliter et infatigabiliter sustinuit tum in reformanda divina religione in eodem monasterio et in recolligendis possessionibus ipsius tum in pio et laudabili studio, quo in duobus monasteriis, Kaminata scilicet et Visbick, quae a domino meo rege accepit, studiose pro reparanda in eis divina religione laboravit. Huius enim laboratoris in terra nostra multum indiguimus, maxime in duobus monasteriis, ubi multum divina religio deperierat, quam vir iste prudenter et honeste reformare laborat. Rogamus ergo excellentiam vestram, quatinus secundum peticionem domini mei regis hanc donationem eius vestra auctoritate confirmetis, et in reparanda divina servitute dominum meum abbatem clementer adiuvetis, nobisque exemplum in adiuvandis aecclesiis prestetis.

---

72. *H. abbas Flechthorpensis Eugenio III papae Wibaldum commendat.* (M. 60.)

Sanctissimo patri ac domino suo Eugenio summo pontifici 1147 c. Dec.

1147 c. Dec. H.[1] Dei gratia humilis minister ecclesiae beatae Mariae in Flechthorp[2] devotas orationes et debitam obedientiam.

Cognovimus, venerande pater, venisse ad excellentiam vestram dilectissimum patrem nostrum et dominum Wibaldum ecclesiae Corbeiensis abbatem, virum quem multum diligimus et in quo plurimum spei in terra nostra in adventu ipsius accepimus; quem et vestrae paternitati commendatum esse rogamus. Laboravit enim in regione nostra sicut vir preliator suscitans zelum pro reparanda divina religione tum in suo monasterio tum in monasteriis, quae ex dono domni regis accepit, Kaminada scilicet ac Visbicke; ubi non divina servitia set lupanarium ludibria prius exercebantur in tantum, ut Kaminatensis abbatissa, femina et conversatione et etate iuvencula, amatoribus suis post sui depositionem de reditibus ecclesiae illius plus quam ad centum mansos in beneficio concesserit, cum ante depositionem suam pessima conversatione et irreligiosa promotione, qua ad diversas abbatias promota et pro suis culpis amota fuerat, omnes religiosos viros nostrae terrae contra se excitaverit. Unde obsecramus paternitatem vestram, quatinus prefatum abbatem, qui huiusmodi turpitudines submovere incepit, venientem ad vos benigne exaudiatis et tam regalem munificentiam quam labores suos, quos in restauranda divina religione inpendit, vestra auctoritate confirmetis et studium ei circa cultum ecclesiae vestra benivolentia adaugeatis.

---

73. *Warmundus abbas S. Blasii Northeimensis Eugenio III papae Wibaldum commendat.* (M. 61.)

1147 c. Dec. Reverentissimo patri ac domino Eugenio summo et universali pontifici W(armundus) Dei gratia id quod est, ecclesiae beati Blasii[3] humilis minister, quicquid valet debita obedientia et devotissimae orationis instantia.

Quod dilectum patrem nostrum Wibaldum ecclesiae Cor-

1. aut Hartwicus aut Hermannus. V. Mooyeri catalogum abbatum Flechdorfensium in Erhard und Rosenkranz Zeitschrift VIII. 50. 2. coen. d. Paderbornensis. 3. Northeimensis.

beiensis abbatem venientem ad paternitatem vestram benigne soletis recipere et in peticionibus suis clementer exaudire, admodum exultamus; et ut deinceps id ipsum faciatis, excellentiam vestram diligenter rogamus. Siquidem vir iste in terra nostra tanquam iubar caelestis syderis effulsit; cui et gratias pro vigilanti studio, quo in aecclesia Dei laborat, agetis et, ut in eodem labore viriliter et fideliter perseveret, fiduciam vestra ammonitione prestabitis. Nam postquam de manu domni regis duo monasteria feminarum accepit, Kaminada scilicet et Visbicke, divinae religionis servitutem, quae prorsus inibi deperierat, reparare et reformare tanquam fidelis servus et prudens multum studuit, et in recolligendis possessionibus, quas abbatissa Kaminatensis, femina usquequaque reprehensibilis, inter amatores suos disperserat, plurimum hoc anno[1] laboravit et adiutorio Dei ad integrum fere omnia, quae illa distraxerat, requisivit et usibus servientium Deo restituit. Huius igitur hominis labores et studia, quibus aecclesia in nostris partibus plurimum indiguit, vestrae sanctitati nos sicut et ceteri confratres nostri et omnes terrae nostrae religiosi commendamus et, ut eos vestra auctoritate ad provectum ecclesiae Dei confirmare dignemini, suppliciter obsecramus.

1147 c. Dec.

---

74. *C. abbas Grevenkerkensis Eugenio III papae Wibaldum commendat.* (M. 62.)

Universalis ecclesiae summo pontifici Eugenio C. humilis minister ecclesiae sanctae Mariae in Grevenkerken debitam patri obedientiam.

1147 c. Dec.

Exultamus in Domino, quod dilectissimum patrem ac dominum nostrum Wibaldum, venerabilem Corbeiensis ecclesiae abbatem, in conspectu vestro gratiam invenisse cognovimus, virum utique, de cuius adventu multum terra nostra illustrata est et de cuius industria ecclesiam Dei in partibus nostris satis iam profecisse et ampliorem deinceps profectum habituram videmus. Est etenim vir tam in sua conversatione religiosus

1. i. e. anno 1147.

1147 c. Dec. quam, ut in aliis religio divina amplificetur, studiosus. Quod manifeste apparuit tum in aliis tum precipue in duobus monasteriis feminarum, Kaminada scilicet et Visbicke, quae domnus rex Corbeiensi ecclesiae dedit, in quibus divinae religionis iam pene nulla mentio remanserat; gratia autem Dei nunc ibi Deus colitur, ubi paulo ante spurcitiae turpes colebantur. Haec autem, iusticiae zęlo et amore Dei et ecclesiae clamore inpulsum, prefatum virum fecisse novimus; honestaeque conversationis et probatae vitae et laudabilis studii circa prenominatas aecclesias testimonium in audientia paternitatis vestrae damus et[a], ut peticionem eius, quam secundum Deum esse credimus, exaudire dignemini, obsecramus.

---

75. *Wernerus abbas Amelunxbornensis Eugenio III papae Wibaldum commendat.* (M. 63.)

1147 c. Dec. Reverendo patri ac domino suo sanctae Romanae ecclesiae summo pontifici Eugenio Dei gratia abbas ecclesiae Dei genitricis in Hamulungesburnen[1] debitam et devotam patri dilecto obedientiam.

Commendamus paternitati vestrae dilectum dominum et patrem nostrum Wibaldum, ecclesiae Corbeiensis abbatem, virum boni apud nos testimonii et dilectorem Romanae aecclesiae, quem ad nostras partes accessisse admodum gaudemus, utpote de cuius prudentia et industria plurimum confidimus. Obsecramus ergo paternitatem vestram, quatinus eum in suis peticionibus clementer exaudiatis, et precipue pro aecclesia Kaminatensi; in qua et divinae religionis cultum, qui in eadem aecclesia multum neglectus fuerat, tanquam vir religiosus ac prudens reformavit, et reditus ac possessiones, quas eiusdem monasterii abbatissa, femina mali testimonii apud nos, post sui depositionem cum vanis et superfluis hominibus dissipaverat et militibus atque amatoribus suis in beneficio concesserat, tanquam vir strenuus et industrius fere ad integrum recollegit et utilitatibus monasterii restituit.

a. et *bis legitur in cod.*

1. Wernerus.

Huic igitur homini habenti zęlum Dei tanquam pius et clemens pater assistite et labores, quos fecit in aecclesia Dei, vestra auctoritate corroborate; hoc procul dubio scientes, quod mutatio, quae in prefato monasterio facta est, omnibus religiosis nostrae terrae ac timentibus Deum placet, his autem, qui ibidem extiterant, causa irreligiositatis displicet. 1147 c. Dec.

---

76. *Eugenius III papa Corbeienses hortatur, ut Wibaldo abbati obediant et in recuperandis coenobii bonis assint.* (M. 52.)

Eugenius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Corbeiensibus monachis salutem et apostolicam benedictionem. 1148 c. Febr.

Memores sumus, quod per alia vobis scripta mandavimus, ut dilecto filio nostro Wibaldo tanquam abbati vestro humilitate debita pareretis. Quem utique, nuper ad nos venientem, paterna benignitate recepimus, et in his, quae ad reparandam in monasterio vestro religionem pertinent atque servandam, diligenti eum studio commonuimus. Ipsum itaque ad vos cum gratia sedis apostolicae et nostrarum litterarum prosecutionibus remittentes, universitati vestrae mandamus monemus et exhortamur in Domino, quatinus eum tanquam boni et humiles filii[a] diligatis et honoretis, atque ut pastori vestro condignam ei reverentiam et obedientiam inpendatis, sibique ad recuperandas et retinendas possessiones et bona Corbeiensis monasterii viriliter et fideliter assistatis. Nos siquidem eundem abbatem paterno affectu diligimus et, in quibus secundum Deum possumus, volumus exaudire.

---

77. *Eugenius III papa Henrico episcopo Leodiensi mandat, cogat Eustachium et Macharium, ut monasterio Stabulensi ablata restituant.* (M. 53.)

Eugenius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Henrico Leodiensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem. 1148 c. Febr.

Aecclesiasticorum bonorum pervasores quanta sint animadversione plectendi, tuam prudentiam non credimus ignorare.

a. filii *evanuit in cod.*

1148 c. Febr. Stabulensis autem ecclesiae fratrum ad nos querela pervenit, quod Eustachius parrochianus tuus eorum bona in predio Turnines violenter abstulerit et ab eorum infestatione nullatenus conquiescit. Macharius quoque de Suingeis et quidam alii incendiarii et raptores, coadiutores ipsius, eandem aecclesiam predis et aliis modis vexare non pertimescunt. Quia vero precipiti audaciae raptorum spirituali gladio est fortius resistendum, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus tam prefatum Eustachium quam alios raptores ablata reddere et de cetero ab eorum infestatione desistere districte coherceas. Quod si contemptores extiterint, infra quadraginta dies postquam presentia scripta susceperis, frustratoria dilatione remota, canonicam de ipsis iusticiam facias.

---

78. *Conradus III rex Wibaldo de rebus suis adversis e Constantinopoli significat.* (M. 80.)

1148 Ian. Febr. Cuonradus Dei gratia Romanorum rex venerabili Wibaldo Corbeiensium et Stabulensium abbati gratiam suam et omne bonum.

Quia fidelitatem tuam sepenumero circa nos et regnum nostrum probatam multis experimentis cognovimus, si de prosperitate status nostri audieris, multum te gaudere non ambi-
1147 gimus. Mandamus itaque fidelitati tuae, quod cum Nyceam integro et copioso exercitu pervenissemus, mature expeditionem consummare volentes, per compendium, notis viae ducibus hoc
Oct. 15 ostendentibus, versus Iconium proficisci cepimus[1], illuc usque necessaria portantes, quantum valuimus. Et ecce, decem dierum itinere[a] iam peracto, totidem adhuc nobis residuo, victualia omnibus fere, equitaturis maxime, defecerant, cum Turci pe-
Oct. 26 destre vulgus, quod exercitum sequi nequibat, invadere et cedere non cessabant. Nos vicem populi deficientis et tam sua morte quam sagittis hostium pereuntis dolentes, rogatu principum omnium et baronum ad mare de terra illa deserta exercitum,

a. iteneris *c.*

1. 1147 Oct. 15. V. librum meum de Conrado III rege, p. 131.

ut refocilaretur, reduximus, malentes incolumem ad maiora ser- 1147
vare quam tam cruenta victoria de sagittariis triumphare. Cum Oct. 26
vero ad mare venissemus et castra metati fuissemus, in maxima
tempestate, non expectans serenitatem pre gaudio, rex Franco-
rum[1] ad tentoria nostra, nobis nescientibus, supervenit, dolens Nov.
quidem exercitum nostrum fame et labore attritum, de societate
autem nostra non parvum habens gaudium. Ipse siquidem et
omnes principes sui fideliter ac devote obsequium suum nobis
optulerunt, pecunias insuper suas et quecumque habebant vo-
luntati nostrae exponebant. Coniuncti ergo cum copiis nostris
et principibus, quorum quidam nobiscum remanserant, quidam
infirmi et pre penuria pecuniae sequi non valebant et ob id ab
exercitu recedebant, usque ad Sanctum Iohannem[2], ubi sepul-
chrum eius et manna scaturire cernitur, absque omni difficultate,
celebraturi illic nativitatem Domini, pervenimus. Ubi per ali- Dec. 25
quot dies repausantes, quia et nos infirmitas et multos nostro-
rum invaserat, recuperata sanitate procedere volebamus, set in-
valescente egritudine nequaquam ire valuimus. Rex igitur cum
exercitu dolenter profectus, quantum potuit nos prestolatus est,
set diutina infirmitas nos tenuit. Quod cum frater noster
Grecorum imperator audiret, vehementer indoluit et cum filia
nostra dilectissima imperatrice, sua videlicet coniuge, ad nos
prepropere descendit, liberaliter nobis et principibus nostris sua
et necessaria ad iter nostrum largiens, quatinus á medicis suis
citius curaremur, quasi vi Constantinopolim in palatium suum
reduxit, tantum illic nobis honoris exhibens, quantum nulli um-
quam predecessori nostro exhibitum esse audivimus. Inde Ihe-
rosolymam dominica Reminiscere[3] proficisci statuimus, Deo
auctore novum exercitum ibi in pascha[4] collecturi, et Rohas
processuri. Ut autem illud iter nostrum Deus prosperum facere
dignetur, ut ipse ores et fratres tuos orare facias, et omni-
bus fidelibus nos committas et commendatum fidei tuae filium
nostrum habeas, postulamus.

1. Ludovicus VII. 2. Ephesum. 3. 1148 Mart. 7. 4. 1148 Apr. 11.

79. *Wibaldus Eugenio III papae de Fuldensium discordia scribit.* (M. 143.)

1148 c. Mart. Reverentissimo patri suo et domino E(ugenio) uni et universali pontifici frater W(ibaldus) Dei gratia et vestra id quod est in aecclesia catholica, dilectionem ut patri, obedientiam et servitium ut domino.

Postquam ab equitatis vestrae censura A(lolfus) quondam Fuldensis abbas apud Treverim depositus fuit, Fuldensis aecclesia nunquam in generalem concordiam rediit; quoniam hii, qui cum abbate et pro abbate steterant, omnes fere de monasterio expulsi sunt, et maxime illi, qui alicuius amministrationis officia a longis retro temporibus habere videbantur. Quod dissensionis malum in tantum crevit, ut lator presentium frater Dudo, cum litteras vestrae iussionis de facienda electione dedisset, mox in porta monasterii captus sit. Nos quoque á vestra celsitudine Fuldam venire iussi, revocare ipsos ad pacem, et ut fratres suos in congregatione reciperent, studiose temptavimus, set facientibus peccatis nihil profecimus. Quia igitur ad vestram moderationem pertinet, ut instar divinae potenciae, quae sanat contritos corde et alligat contriciones eorum, omnium curam cum misericordia habeatis, providete, ne aberrantes oves luporum morsibus lacerentur et aecclesia Fuldensis, quae amplissima est et suis spaciis et vestra speciali dominatione et ordinatione, per vos in pace ac religione reformata totius honestatis principatum obtineat.

---

80. *Eugenius III papa Heinrico Romanorum regi respondet, se Agneti ducissae Poloniae opem laturum esse.* (M. 64.)

1148 Apr. 1 Eugenius episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio Heinrico iuniori Romanorum regi, illustris imperatoris Cunradi filio, salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras et nuncios tuos debita benignitate suscepimus et eorum preces diligenter attendimus. Personam siquidem tuam vera in Domino caritate diligimus et, in quibus secundum Deum possumus, paternae devotionis memores, volumus honorare. Ideo-

que tuae amitae, pro qua rogasti, consueta apostolicae sedis clementia per nuncium nostrum, quem ad partes illas duximus destinandum, auctore Domino, quantum cum honestate nostra poterimus, providere curabimus. Ceterum, in puerili aetate constitutus, ita bonis et honestis actibus incumbere studeas, ut de tuis successibus mater tua sancta Romana aecclesia gratuletur. Data Remis Kalendis Aprilis. 1148 Apr. 1

---

81. *Eugenius III papa episcopos et abbates Teutonicos Heinrico Romanorum regi adesse iubet.* (M. 65.)

Eugenius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopis episcopis et dilectis filiis abbatibus, per Teutonicum regnum constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. 1148 Apr. 1

Sicut manifeste vestra prudentia recognoscit, karissimus filius noster Cunradus Romanorum rex, divini amoris fervoribus excitatus, vivificae crucis signo suscepto, ad debellandam idolatrarum insaniam et ad cultum christiani nominis propagandum sese viriliter ac potenter accinxit. Cum itaque omnibus ex nostro simus officio debitores, pro ipso tamen magis debemus et propensius volumus esse solliciti. Unde fraternitatem vestram presentibus exhortamur epistolis et exhortando mandamus, quatinus karissimo filio nostro Henrico, iuniori regi Romanorum, regis illustris Cuonradi filio, diligenter et fideliter assistatis et in his, quae ad patris sui honorem et regni statum pertinere noscuntur, ut pax per omnipotentis Dei gratiam in populis sibi subiectis integra conservetur, opem ei et consilium, quando vestrum auxilium postulaverit, inpendatis. Nolumus siquidem, ut sub protectione beati Petri in patris sui absentia aliquatenus honoris sui detrimentum vel defectum incurrat. Data Remis Kalendis Aprilis.

---

82. *Quae praedia Kaminatensia Iuditha, abbatissa deiecta, distribuerit*[a].

Domna Iuthita abbatissa haec dedit de prediis Kaminatensis aecclesiae, postquam deposita fuit. De curia An. mansum unum 1146-1148

a. *Legitur ap. Martene Coll. II. p.* 234 *n. a.*

1146-1148 in Cadenberc cum sex mancipiis Odikoni advocato; item de eadem curia Thiedero duos mansos; item Reinhero unum mansum et 12 solidos; item uxori Sigehardi tres mansos; item Helprado quinque solidos avenae et quinque solidos denariorum. De curia Cokerbike dedit Odikoni advocato unum mansum et mancipium unum nomine Badonem; item eidem feminam nomine Seburgem cum tribus filiis suis; item Herimanno mansum unum et mancipium Radulfum; item Odoni mansum unum et mancipium Borgodonem; item Rikberto advocato mansum unum cum mancipio Mane; item eidem mansum unum cum Huikone mancipio; item eidem mansum unum cum Reinolfo mancipio; item eidem mancipia novem, quae Teutonicę vocantur *enlope;* item Waldingo quinque mancipia; item Heinrico de Botwide dedit quinque mansos cum mancipiis suis, qui sunt beneficium Helpradi dapiferi nostri; item eidem quatuor mansos, quorum unus est de beneficio Thankradi, tres de beneficio Brunonis; item Arnoldo mansum unum, qui nobis pertinet. De curia in Heppenstide dedit Heinrico advocato duos mansos; Odikoni advocato unum mansum; Epponi unum mansum. De curia in Widele dedit Odikoni advocato duos mansos; Ricberto advocato quatuor mansos; Herimanno advocato unum mansum; Heinrico advocato tres mansos, qui sunt beneficium Helpradi dapiferi mei; Tezzoni unum mansum, qui est beneficium Heinrici clerici; item Rikberto advocato dedit viginti quatuor mancipia, qui Teutonice vocantur *enlope.* Et hec omnia fere ad prebendam congregationis pertinent. Apud Bardenwich dedit in beneficio septem marcas. In curia Wichmannesburc dedit in beneficio viginti novem mansos et de indominicata terra duodecim mansos cum tribus domibus et curtibus earum. Dedit insuper viginti villas Slavicas ad eandem curiam pertinentes. Inter Bodenhusen et Sutherburg dedit viginti quinque mansos et de indominicata terra octo mansos cum duabus domibus et curtibus earum et villas Slavicas tredecim et unam dimidiam. Item Walthardo subadvocato tres mansos; item Gerharto duos mansos.

83. *Eugenius III papa Adalberto archiepiscopo Bremensi et Henrico Mindensi ac Thietmaro Verdensi episcopis mandat, ut alienatas coenobii Kaminatensis possessiones repetant.* (M. 66.)

Eugenius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus, A(dalberto) Bremensi archiepiscopo, He(nrico) Mindensi, T(hietmaro) Ferdensi episcopis, salutem et apostolicam benedictionem. 1148 Apr. 5

Possessiones aecclesiarum patrimonia pauperum, precia peccatorum esse noscuntur; ideoque si quis presumit ea contra iusticiam detinere, sacrilegium profecto committit. Significatum nobis est, quod parrochiani tui, frater archiepiscope, Odico, Ricbertus, Thederus, Rainerus, Heremannus et quidam alii possessiones Kaminatensis aecclesiae de manu Iudith quondam abbatissae, postquam deposita fuit, recipere presumpserunt et eas eidem monasterio reddere, suae salutis immemores, contradicant. Hugoldus, Waltardus, Gerhardus et quidam alii parrochiani tui, frater Fardensis, beneficia quaedam, ut nobis suggestum est, de manu eiusdem abbatissae, nichilominus postquam deposita fuit, receperunt. Quia igitur prefata I(udith), postquam per sententiam venerabilis fratris nostri bonae memoriae T(homae) presbiteri cardinalis, tunc apostolicae sedis legati, á regimine Kaminatensis aecclesiae deposita fuit, nullam alienandi vel impignorandi bona ipsius aecclesiae habuit potestatem, per presencia vobis scripta mandamus, quatinus eos districtius moneatis, ut bona predictae aecclesiae, quae contra animarum salutem detinere presumunt, ei cum integritate restituant et ab ipsius infestacione desistant. Quod si infra quadraginta dies postquam a vobis commoniti fuerint facere contempserint, canonicam de ipsis iusticiam faciatis. Nichilominus, frater Mindensis, presencium tibi auctoritate mandamus, quatinus Walderum, qui eiusdem monasterii predia, clericalis officii consideracione postposita, ab eádem, quae potestatem dandi non habuit, dicitur recepisse, districte commoneas, ut male acquisita restituat et eandem aecclesiam in pace possidere permittat. Quod si facere contempserit, canonica eum censura coerceas. Data Remis Nonis Aprilis.

84. *Eugenius III papa sententiam a Thoma cardinali in Heinricum quondam abbatem Corbeiensem latam confirmat.* (M. 67.)

1148 Apr. 5 Eugenius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Corbeiensibus monachis, liberis ac ministerialibus salutem et apostolicam benedictionem.

Quantum sit necessarium monasteriorum quieti prospicere et de eorum utilitate sollicite cogitare, ante actum officium, quod in abbatiae regimine gessimus, nos informat. Ideoque paci et tranquillitati Corbeiensis aecclesiae providere volentes, sententiam, quam venerabilis frater noster bonae memoriae T(homas) presbiter cardinalis et apostolicae sedis legatus in Heinricum quondam eiusdem monasterii abbatem dedit, confirmantes, statuimus, quod, si idem H(einricus) pacem monasterii Corbeiensis perturbare presumpserit et bis terciove commonitus non resipuerit, non solum ibi ulterius prelationis non habebit officium, set ne postmodo ibi inter subditos maneat, prohibemus. Data Remis Nonis Aprilis.

---

85. *Eugenius III papa Fuldensibus scribit, quem abbatem elegissent, eum a sese exauctoratum esse. Mandat, ut alterum abbatem ex alieno monasterio sumant.* (M. 68.)

1148 Apr. 8 Eugenius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis monachis, liberis et ministerialibus Fuldensis monasterii salutem et apostolicam benedictionem.

Si ad regenda rationabiliter membra discretio capitis intenta non fuerit, corporis compages dissoluta nutabit. Postquam igitur Fuldensis aecclesia proprio fuit nudata pastore[1], curae nobis fuit fratribus, qui presentes erant, viva voce precipere, ut de alio claustro, uno eodemque consensu talem preficiendum sibi abbatem eligerent, per quem in Fuldensi monasterio, quod pastoris incuria tam in spiritualibus quam in temporalibus fuerat diminutum, grata Deo verae religionis cultura posset auctore Domino restaurari. Vos vero contra formam nostri mandati de vestro claustro abbatem[2] eligere presumpsistis, qui etiam pro

1. Alolfo. 2. Roggerum.

membrorum deformitate ad sacerdotium non poterat promoveri. 1148 Apr. 8
Ideoque, quod super eius electione factum est, auctoritate apostolica in irritum deducentes, monachos, clericos ab obedientia, et laicos á fidelitate, quam ei fecisse noscuntur, absolvimus. Quapropter per presentia vobis scripta mandamus atque precipimus, quatinus de alio claustro, consilio dilectorum filiorum nostrorum Adae Ebracensis, Eberbachensis, Herfeldensis, Corbeiensis abbatum, personam religiosam, discretam, litteratam, in abbatem vobis invocata divina gratia eligatis, per quam in vestro claustro religionis fervor, qui peccatis exigentibus inibi tepuisse dinoscitur, valeat reparari et verbo eius ac bonae conversationis exemplo possit futuris temporibus custodiri. Data Remis 6 Idus Aprilis.

Igitur[1] nos fratres Fuldenses obsecramus sanctitatem vestram, domne abba Wibalde, quatinus ea, quae frater noster Heremannus camerarius, presentium lator, viva voce vobis suggesserit, implere non dedignemini.

---

86. *Eugenius III papa Ebracensi, Eberbacensi, Hersfeldensi, Corbeiensi abbatibus mandat, ut abbatis eligendi causa Fuldam conveniant.* (M. 69.)

Eugenius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Ebe- 1148 Apr. 8
racensi[2], Aeverbacensi, Hersfeldensi[3] et Corbeiensi abbatibus salutem et apostolicam benedictionem.

In apostolicae sedis specula disponente Domino constituti, omnibus mundi aecclesiis, tam vicinis quam longe positis, exacta diligentia providere compellimur. Quia vero fratres Fuldensis monasterii contra prohibitionem nostram personam de claustro proprio elegerunt, et prepediente deformitate corporis ad sacerdotium ascendere non debebat, quod de eo factum fuerat, in irritum duximus. Ne igitur eadem aecclesia pro pastoris absentia tam in spiritualibus quam in temporalibus gravia detrimenta sustineat, per presentia vobis scripta mandamus, quatinus

1. De hoc Fuldensium additamento cf. epistolam 114 infra. 2. Adae. 3. Heinrico.

1148 Apr. 8 ad memoratam aecclesiam accedatis, ut fratres eiusdem loci de alieno claustro talem sibi vestro consilio eligant Domino auctore pastorem, per quem grata Deo verae religionis cultura, que inibi deperisse dinoscitur, valeat reformari. Data Remis 6 Idus Aprilis.

---

87. *Henricus comes Namucensis et Luzelemburgensis Eugenio III scribit de sua lite cum Richardo archidiacono Virdunensi.*

(M. 72.)

1148 Reverendo patri et domino suo Eugenio sanctae Romanae aecclesiae summo pontifici Henricus comes de Namuco et Luzelemburch devotionem filii cum fideli servitio.

Sicut inter me et Richardum archidiaconum Virdunensem in curia vestra Treveris[1], mediante Clarevallense abbate[2], ordinatum fuit et in vestrae sanctitatis presentia confirmatum, ita die constituta observare et adimplere modis omnibus postmodum volui sub testimonio Virdunensis episcopi[3] et Corbeiensis abbatis. Set ipse Richardus archidiaconus valde ingeniose cepit occasiones querere, qualiter á propositis conditionibus recederet, et Anselmum quendam liberum, hominem meum, atque alios quosdam studiose sollicitavit, ne homines sui fierent et ne beneficia, quae á me habent, ab ipsius manu reciperent. Ego pro reverentia vestri apostolatus in predictis conditionibus et placito permanere absque dolo et sine fraude volo; cum tamen, si in gratia vestra fieri posset, ut me de hac causa coram meo iudice pulsaret et in foro, cui haec iurisdictio pertinet, super hoc litigare vellet, paratum me modis omnibus inveniret. Eapropter paternitatem vestram humili supplicatione deprecor, ne[a] in me, vobis obędientem et ea quae prescripta sunt observare cupientem, sententiam mittatis vel terram meam sub aliquo interdicto ponatis, quatinus vestrae personae excellentiam tanto plus diligere valeam et ad defensionem ecclesiae Dei esse devotior.

a. ne *scripsi pro* ut *cod.*

1. habita a Decembri 1147 ad Febr. 1148. 2. Bernhardo. 3. Alberonis III.

88. *Wibaldus Henrico Romanorum regi scribit de removendo Roggero electo abbate Fuldensi. Monet, pareat papae, neve aut Sueviam aut Saxoniam aut Lotharingiam adeat nisi vocatus a principibus.* (M. 73.)

Glorioso ac serenissimo domino suo á Deo coronato Romanorum regi Henrico, filio victoris et incliti Cuonradi Romanorum imperatoris augusti, frater Wibaldus Dei gratia Corbeiensis abbas salutem in eo, qui dat salutem regibus[1]. 1148 Apr.

Qua devotionis instantia in concilio Remensi fuerimus pro stabilitate regni vobis á Deo collati et pro incremento vestri honoris, arbitramur satis excellentiae vestrae esse notificatum ab his, qui rebus interfuere. Siquidem de fide nostra et studio circa vestrae personae et regni vestri provectus sublimitati vestrae nullatenus erit dubitandum. Causa, cur ad vestram celsitudinem — post multa verba, quae cum magistro Henrico, vestrae curiae notario, de salute et incolumitate vestra, de provisione et ordinatione atque gubernatione regni vestri sollicite nuper habuimus —[a] haec est, quod Fuldensis electus[2] in abbatis nomen benedici detrectat, et preterea inutilis á plerisque predicatur. Si ergo amotus fuerit, de quo quidem non dubitavimus, cum á Remis exiremus, tunc imminebit vestrae indoli plurima sollicitudo, ne aliquis novitatum motus in monasterio Fuldensi oboriatur, set sicut proxime Deo inspirante sapienter et strenue ad honorem sanctae matris nostrae Romanae ecclesiae et vestrae dignitatis cuncta ibidem perfecistis, ita et nunc magnifice omnia in augmentum vestri honoris sub vestra presentia cum magna quiete et disciplina peragi faciatis. Etenim, karissime nobis, dignitate quidem et ordinatione domine, sed affectu fili, hoc vestrae intelligentiae summo studio suggerimus et suademus, ut patrem vestrum papam Eugenium, qui vos benignissime honoravit, toto animo diligatis, nec decretis ipsius ac sacrosanctae matris vestrae Romanae ecclesiae promulgationibus alicuius instinctu obvietis; sed si pro principibus atque aliis fidelibus vestris intercedendum

a. nunc scribamus *vel simile quid excidisse videtur.*

1. Ps. 143, 10. 2. Roggerus.

1148 Apr. erit, hoc sub tanto discretionis moderamine facietis, ut et clementiae vestrae studium circa vestros laudem mereatur et inportunitas offensam non incurrat. Timemus namque, ne in Romanam ecclesiam aliquorum suggestione inpingatis; quae vobis esse potest lapis offensionis et petra scandali. Et hoc ad vestram ammonitionem putavimus esse adiciendum, ne vel in Sueviam vel in Saxoniam vel in Lotharingiam exeatis, nisi vocatus á principibus ob aliquam rem precipuam et notam, sub brevi tempore terminandam. Expectatur enim adhuc pater vester, regni dominus et parens, ac de facili possetis in aliquam reprehensionem incidere, presertim ab his, qui debita regno servitia inviti et quasi coacti prestare consueverunt. Et melius est nomen bonum quam divitiae multae[1].

---

89. *Wibaldus Eugenio III papae de superiore sua ad Heinricum regem epistola significat. De restituta eius sanitate gaudet.* (M. 112.)

1148 Apr. Reverentissimo patri suo et domino E(ugenio) uni et universali pontifici frater W(ibaldus) Dei gratia et vestra id quod est in aecclesia catholica, dilectionem ut patri, obedientiam et servitium ut domino.

Non sumus inmemores multitudinis misericordiae vestrae, quam[a] nostrae parvitati in sinodo Remensi exhibere dignatus estis, et precipue in causa Fuldensium, quam pro maxima humilitate, qua sacrum pectus vestrum Deo inspirante preditum est, consilio nobiscum communicare placuit. Et nos[b] equidem, sicut cum vestra celsitudine condiximus, solliciti fuimus, ne aliquis propter vestram iussionem motus fieret, usque adeo, ut,
Apr. 8 cum de facienda electione Fuldensi preceptum vestrum 6 Idus Aprilis Remis datum sit, dominus noster iunior rex litteras[c] in
Apr. 15 castro Nuremberch, quod est in Bawaria, 17 Kal. Maii acceperit. In quibus quam sollicite quam instanter eum premunierimus ac premonuerimus, in exemplo litterarum[2] sibi missarum, quod

a. qua *c.* b. nos *c.* c. nostras *excidisse videtur.*

1. Proverb. 22, 1. 2. ep. 88 supra p. 161.

vestrae discretioni transscriptum dereximus, animadvertere poteritis. Dulcissime pater, neminem apud vestram censuram accusare volumus nec vestram mansuetudinem ad iracundiam provocare, set tam veraciter quam breviter vestrae pietati suggerimus, quod hi, a quibus puer rex regi debuit, huic causae obstiterunt, summopere laborantes, ut aliquid in Fuldensi aecclesia fieret, quod vestram auctoritatem aliquatenus offenderet. Nos autem longe positi eramus, et quandoque presentes pluribus et maioribus nostris reniti non valebamus. Peticionibus nostris, que subter annexae sunt, aurem vestram clementer accommodate, ut, sub umbra alarum vestrarum securius viventes, vestrae magnitudini devotius et uberius servire valeamus. Pro recuperata sanitate vestra Deo gratias referimus, orantes, ut ipse ad regimen aecclesiae catholicae diu vestram sanctitatem servare incolumem dignetur. 1148 Apr.

---

90. *Conradus III rex, Hierosolymam nactus, Heinrico iuniori regi virtutem suadet. Addit de eius cum avunculo reconciliatione, de ministerialibus suis, de Henrico notario*[a].

Cuonradus Dei gratia Romanorum rex iuniori regi Heinrico gratiam suam et omne bonum. 1148 c. Apr.

Quoniam hactenus paternae reverentiae nostrae inspectu et fidelium nostrorum ammonitu, sicut audivimus, tam honestati quam virtuti viriliter studuisti et in his ad honorem et utilitatem regni et nostram pro tempore satisfecisti, paterna viscera nostra, si aliquo labore affecta fuerant, bonae indolis tuae fama refocilasti. Paterne igitur te monemus atque monendo precipimus, si ut patrem nos diligis, si vereris ut dominum, quod in bono proposito tuo animum ponas constantissimum; unde honor tuus ac noster de die in diem exaltabitur et emulorum nostrorum iniqua rabies amputabitur. Si autem haec mandata nostra neglexeris, omni honore á nobis tibi collato et adhuc tibi conferendo inerciam tuam privabimus nec amodo filium nostrum dilectum te iudicabimus. De conventione avunculi tui tecum et reconciliationis

a. *Haec ep. edita est in Mon. Germ. LL. II.* 85.

1148 c. Apr. conditione, videlicet ut castra, ministeriales et allodia, sua benivolentia usque ad reditum nostrum possideas, in litteris tuis audientes gratum habemus. Audivimus etiam de ministerialibus nostris, quod quidam eorum devote ac fideliter tanquam nobis tibi servirent, quidam vero, te dominum suum propter absentiam nostram abnegantes, servitio tuo se subtraxerunt. Unde dignam sententiam eis indicimus. Quodsi Deus prosperum reditum nobis concesserit, malos male perdemus, bonos autem, fideles tuos scilicet ac nostros, digne remunerabimus. De quibus igitur contemptoribus, videlicet tuis et[a] nostris, specialiter in aliis litteris tibi mandabimus; iudicio curiae tuae condemnari vel á regno eici eos precipimus. Item omnia servitia nostra ac reditus nostros, si parcere eis non valeas, honori tuo libenter dimittimus, preter reditus, quos integre nobis reservari volumus. Sani et incolumes Iherosolymam usque pervenimus[1]. Henrico notario nostro precipimus, quatinus tanquam nobis tibi fideliter serviat, ut post reditum nostrum remunerationem dignam recipiat.

---

91. *Wibaldus Baldricum magistrum salutaribus praeceptis adiuvat.* (M. 75.)

1148 Frater Wibaldus Dei gratia id quod est in catholica aecclesia dilecto fratri et amico suo Baldrico magistro[2] benedictionem et vitam usque in seculum.

Expediti tandem ab his occupationibus maximis, quae nos, ut ipse nosti, ultro citroque inplicitos diu tenuerunt, posse cepimus aliquando amicos nostros salutare et aliquid tenerioris affectus depulso animi angore exhibere. Salutantes igitur tuam industriam, paterno et intimo affectu rogamus et exhortamur in Domino, ut illud tuum nobile et acutissimum ingenium, quod tibi prestante Deo á natura insitum est et optimis artibus in iuventute tua sublimiter excultum, torpere per otium non sinas; ne honos, qui tibi quasi quidam laboris fructus ob scientiae

a. tuis et *addidi.*

1. 1148 c. Apr. 2. qui scripsit Gesta Alberonis archiepiscopi Treverensis (Monum. Germ. SS. VIII. 243 sq.).

claritudinem collatus est, optimis disciplinis tuis quendam obscuritatis situm inferre prevaleat. Sane et acumen ingenii et facundiae gloriam et adeptas dignitates humilitate quasi quodam gemmarum splendore ornabis, et memineris, honores eisdem artibus esse servandos, quibus eos es assecutus. Fortunatum enim, ut seculariter dicamus, esse potuit, quod ascendisti; sed regere te ipsum in alto, equidem industriae est. Presentia tua tuis auditoribus disciplina sit; raro siquidem castigabis, si assiduus fueris. Plus habet locus tuus quam docendi officium; nam et censoriam exhibere debes severitatem, quoniam et corrigendis moribus prefectum te esse noveris. Quae disciplina et exercitatio omnibus est subtilior et in fructu cunctis propensior. Scienti pauca sufficiant, non ut doctorem doceamus, set ne officium pretereamus. 1148

---

92. *Corbeienses Wibaldum rogant, ut initam Corbeiensis Stabulensisque coenobiorum fraternitatem litteris confirmet et utriusque monasterii patronum utrimque coli iubeat.* (M. 76.)

Dilecto patri ac domino suo Wibaldo Dei gratia venerabili Corbeiensi abbati E. prior totaque congregatio filiorum suorum, Deo in eodem monasterio sub eius regimine famulantium, quicquid[a] valent sedula oratione et debita tam dilecto patri dilectione. 1148

Multum quidem egre sustinemus tam diuturnam vestri absentiam, nisi quod pro incremento ecclesiae nostrae vos scimus in hac absentia laborare; ad quem etiam laborem viriliter sufferendum vos, in quantum presumimus, exhortamur et commonemus et, ut bono fine terminetur, misericordiam Dei iugiter exoramus. Ceterum gratias agimus vestrae paternitati, quod inter duos parietes, ut eos in unam societatem coniungeretis, tanquam prudens imitator veri illius angularis lapidis[1] medius sedistis, et diu desideratam nobis karissimorum fratrum communionem et optabilem in Christo adunationem ad effectum perduxistis[2]. Consummato ergo operi extremam manum adhuc

a. q̇q̇c *c.*

1. Ephes. 2, 20. 2. V. supra p. 128 n. 4.

1148 inponetis, ut videlicet vestro privilegio, quae in hac memorabili duarum aecclesiarum coniunctione vestra permissione utrimque scripta vel facta sunt, ad perpetuam successorum nostrorum memoriam confirmetis et hoc testimonium in utraque aecclesia diligenter, sicut rem dignam memoria, conservari precipiatis. Nichilominus quoque rogamus, ut, quoniam ad laudem Dei et ad remedium animarum nostrarum hanc coniunctionem fieri postulavimus, sanctis etiam patronis utriusque ecclesiae alterutrum[a] dignos honores inpendi constituatis, quatinus, qui in utraque aecclesia oramus pro invicem ut salvemur, iunctis utrimque patrociniis ad consequendam salutem quam querimus adiuvemur. Placeat ergo vobis, ut ob recordationem posteritatis signum aliquod et memoriale in festivitate utriusque patroni de possessionibus utriusque ecclesiae statuatis et hoc studio pietatis tam vestram quam patronorum memoriam apud subditos vestros perpetuam faciatis.

---

93. *Corbeienses Wibaldo scribunt de iniuriis sibi illatis. Rogant, redeat.* (M. 77.)

1148 Carissimo patri et domino venerabili Corbeiensi abbati W(ibaldo) E. prior, A(delbertus) prepositus ceterique fratres et ministeriales Corbeiensis aecclesiae, quicquid patri dilecto filii, et domino fideles servi.

Quam egre et quam graviter et quam intolerabiliter sustineamus tam diuturnam vestri absentiam, non possumus neque audemus ad perfectum vobis insinuare, ne forte nimietas et importunitas nostra equanimitatem vestram debeat perturbare. Verumtamen noveritis, quod aecclesia nostra, quam tuendam et regendam in tempore tribulationis suae suscepistis, et quam per misericordiam Dei de multis laboribus sublevastis et per multos labores vestros honestis incrementis[b] a die promotionis vestrae indesinenter[c] provehere studuistis, haec in absentia vestra multum iam tribulatur[d] et, si absque dilatione ei non subveneritis, multo amplius tribulabitur. Siquidem domnus Folcwinus, in quo

a. *an* alterutrimque? b. incenem̄tis *c.* c. indisinenter *c.* d. ṭ²búlatur *c.*

spem vestram magna ex parte ad tuendas et defendendas res 1148
vestras apud nos posueratis, plus omnibus homines vestros infestat[a], adeo ut ministeriales vestros de Huxere rebus suis non minus quam ad centum quinquaginta marcas violenter spoliaverit. Villicum vestrum de Immenkhusen homines ipsius invaserant, et occidissent, si vix manus eorum non evasissent, pro quodam beneficio, quod de annona fratrum eis concesserat. Solet enim de prebenda fratrum homines suos inbeneficiare. Alii preterea multi et prebendam fratrum dissipant et homines vestros lacerant, de quibus plus quam satis audietis, cum primum ad nos Deo propicio redieritis[b]. Pro his et huiusmodi pluribus causis, quas et patimur et passuros nos formidamus, fratres, ministeriales, omnisque[c] hominum et fidelium aecclesiae vestrae deprecatorias literas misimus ad vos, diligenter et cum omni qua possumus devotione obsecrantes, quatinus reditum vestrum ad nos quantocius acceleretis et pressuras nostras tam presentes quam eas, quas futuras timemus, dum adhuc potestis, sublevare festinetis. Comes quoque Herimannus reditum vestrum omnimodis desiderat, multumque tam vobis quam aecclesiae vestrae offuturum, si cito non redieritis, affirmat. De muniendo monte vestro Brunesberch non modice populus formidat.

---

94. *Wibaldus Corbeiensibus respondet, esse cur rebus Stabulensibus praesens assit. Addit de coenobii Corbeiensis negotiis.* (M. 78.)

Frater Wibaldus Dei gratia Corbeiensis aecclesiae servus 1148
dilectis in Christo filiis et fratribus suis, E. venerabili priori, A(delberto) preposito et ceteris fratribus nec non ministerialibus Corbeiensis monasterii, spiritu consilii et fortitudinis abundare.

Quod aecclesia Corbeiensis, quam regendam Deo auctore suscepimus, ullis in absentia nostra curarum sive laborum fatigatur molestiis, tantum dolemus, quantum ipsam aecclesiam, quae nostrae parvitati credita est, Dei pre oculis timore proposito, diligimus. Et vos quidem, paucarum rerum amaritudine

a. indefestat *c.* b. redietis *c.* c. multitudo *vel* societas *excidisse videtur.*

1148 degustata, de futuris anxie timetis. Sed Stabulensis aecclesia — quae nos lacteo pietatis alimento nutrivit et, delicta iuventutis nostrae et ignorantias nostras non reminiscens, nos, si qua in prelatione existimatur dignitas, ad summum sui regiminis gradum provexit — interim dum vobis militamus, multiplicibus ac miserabilibus modis in preda, in incendiis, in cotidiana rapina, in cedibus lacerata est. Ad quas contriciones sanandas, ex quo a domno papa recessimus, Deo propicio nobis ad preces fratrum nostrorum in adiutorium nostrum intendente, non inutiliter laboravimus; et circumdante nos scuto divinae gratiae, inimicos aecclesiae, sua prosperitate inebriatos et rebus pauperum nostrorum ditatos, sub iugum aecclesiasticae disciplinae humiliatos vidimus et querentes reconciliari aecclesiae, quam offenderunt. Set quoniam causa difficilis est et in hac perturbatione multi tam in personis quam in rebus suis graviter offensi sunt, opus plenariae reconciliationis procedere de facili non potuit; cuius finem adeo, de gratia Dei confidentes, propinquum speramus, ut, rebus compositis et pacatis, expediti ad vos et absoluti absque prolixiori mora redire valeamus. Etenim transire nunc ad vos, non esset vobis consulere, sed Stabulensem aecclesiam turpiter et cum nota fugitivi deserere. Nec ideo tardamus, quod post multos labores et sollicitudines, quibus iam longo tempore inpliciti fuimus, requiem nobis et curationem provideamus; quoniam á primordio nostrae promotionis nunquam tam assiduas et animi et corporis fatigationes pertulimus. Caveat prudentia vestra, ne rumor, qui de monte vestro Brunesberch agitatur, ab his alatur et augeatur, qui nos eiusdem montis edificio non absque magno labore et inpensa involvi desiderant. Super damno, quod civibus et ministerialibus nostris de Huxera contigit, valde dolentes, domno papae querimoniam sub celeritate transmisimus, orantes, ut secundum formam decreti á se in concilio Remensi recenter constituti . . . .[a] dominum nostrum Patherbornensem episcopum[1] diligenter commoneat, quatinus Ful-

a. *lacuna in cod.*

1. Bernhardum.

kuinum, pacis constitutae in sacra passione dominica[1] violatorem, cuncta restituere et satisfacere commoneat vel sub pena excommunicationis compellat. 1148

---

95. *Heinricus Romanorum rex Eugenio III gratias agit de litteris ad principes missis. Ebruinum capellanum excusat.*

Dilectissimo in Christo patri suo Eugenio summo pontifici Heinricus Dei gratia Romanorum rex filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam. 1148

Sanctitati vestrae plurimas gratiarum actiones referimus, quod nostram etatem paterno affectu visitare et consolari dignati estis ac principibus regni nobis á Deo collati sollicita benignitate scribere[2], quatinus nobis fidem et dilectionem exhibeant et in amministratione regni nobis consilium et oportunum adiutorium ferant. Ob quam rem vestrae personae et sacrosanctae matri nostrae Romanae ecclesiae intima caritate devoti et ad defensionem catholicae ecclesiae pro viribus parati, excellentiam vestram filiali sinceritate salutamus, obtantes, ut vobis tam in anima quam in corpore omnia prospera succedant et ut Dominus conterat sathanam sub pedibus vestris. Ebruinus capellanus patris nostri et noster apud celsitudinem vestram insimulatus est, quasi vestrae sanctitati verbo temerario aut petulantiori detraxerit. Quod etsi in veritate constaret, contemnendum tamen et prorsus abiciendum á vestra discretione esset. Igitur quoniam, urgente alterius maledicto, quiddam locutus est, quod detractor suus delatione depravavit, nostri memor bonitas vestra inpunitum eum et absolutum in plenitudine gratiae dimittet.

---

96. *Wibaldus Hadwidi, sorori Arnoldi cancellarii, se de litterarum cessatione excusat. De suis negotiis addit.* (M. 79.)

Frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in catholica aecclesia, dilectae sorori suae Hadwidi benedictionem et vitam usque in seculum. 1148

Reprehendit nos fortassis et arguit dilectio tua, quod, tan-

1. 1148 Mart. 28. 2. Cf. epp. 80 et 81 supra p. 154 et 155.

1148 quam inmemores pristini affectus et sincerae dilectionis atque fraterni amoris, quo nos invicem tenere dileximus, visitare te et consolari hoc in tempore distulimus, quando abest germanus tuus, regiae curiae cancellarius[1], sui generis flos et ornamentum, amicorum suorum columen et tutela. Peregrinatur ille quidem et baiulat crucem suam et sequitur Christum suum, Iherosolymam petens in comitatu et obsequio karissimi domini sui et nostri Romanorum regis C(onradi)[2]. Dicit ergo nunc cogitatio tua: *Homo ille, nobis karissimus et in numero fratrum carnalium susceptus et ascriptus, presente illo sublimi et humanissimo fratre nostro domum nostram colebat et nos assiduis visitabat affatibus; nulla nobis modo mittit alloquia. Itaque aut tunc non fuit verus amicus, aut modo est negligens vel obliviosus. Set verus amor negligentiam seu oblivionem non recipit; restat igitur, ut simulatus et non amicus fuerit.* Ceterum, soror karissima, si ad temporis huius qualitatem et res, in quibus versamur, diligenter inspicias, haec accusatio tua tam subtilis tamque probabilis facile conquiescit. Nam ex quo domnus papa Eugenius in partes Lotharingiae pervenit, cura nobis et sollicitudo maxima incubuit, ut res Stabulensis monasterii nec non et Corbeiensis, quae nobis Dei preordinante clementia commissae sunt, quae assidue apostolico egent presidio, modis congruentibus proveheremus, atque ut dominis rerum, nostris utique regibus, tam patri quam filio, debita fidelitate serviremus, tum etiam ut amicis ac necessariis nostris studio et opera in suis oportunitatibus assisteremus. In quo difficilium rerum proposito divinae pietatis gratia nos comitari dignata est, ut in nulla parte suscepti negotii vacui reverteremur. Etenim ecclesiae nostrae non parvis incrementis auctae sunt et apostolicis privilegiis roboratae. Porro et in rebus regni dedit nobis divina maiestas proventum. Siquidem iuniorem dominum nostrum regem quedam non exiles personae ad haec dedita opera inpellebant, ut in quibusdam domnum papam offenderet et canonicis decretis contrairet. Quod ne fieret, Dei largissima bonitate et nostro studio preventum est,

1. Arnoldus. 2. Cf. Ottonis Frising. Gesta Friderici I. L. I. c. 58.

et in meliorem statum omnia commutata. Nam et filius rex 1148
domnum papam et eius decreta vigilanti sollercia honoravit; et e converso domnus papa ipsum et regem Romanorum appellavit et scripsit, quod raro extra Urbem accidit, et universis principibus cum omni benivolentia et affectione paterna monendo scripsit, quatinus eidem speciali suo et beati Petri filio fidelitatem exhibeant et in amministratione regni, sibi a Deo ex successione paterna collati, consilium et auxilium ferant. Sane in amicorum nostrorum causis quantum profecerimus, malumus, ut ab ipsis quam a nobis cognoscatur. Tum vero in Stabulensi aecclesia magna turbatio ante adventum nostrum erat; ad quam sedandam et componendam nulla nobis dies aut nox expers laboris fuit, et operante divinae pietatis gratia spem meliorem habemus, quod in brevi tempore ad salutarem et optatum finem cuncta perducamus. Heae igitur et aliae multiplices occupationes nostram intentionem gravibus curis inplicitam detinuerunt et ab officio salutandi nos hactenus retardaverunt. Salutantes itaque nunc in Domino excellentiam tuam, rogamus et hortamur, ut si qua in tuendis et curandis rebus fratris nostri absentis difficultas emerserit, nostro, ubi oportunum fuerit, amminiculo utaris et de nobis tanquam de vero et constanti amico confidas.

---

97. *Wibaldus Eugenio III papae de lite Ingranni abbatis S. Medardi Suessionensis et Baldovini canonici Leodiensis significat.* (M. 122.)

Reverendo patri suo et domino Eugenio uni et universali 1148
pontifici frater Wibaldus Dei gratia id, quod est in catholica aecclesia, dilectionem filii et devotionem servi.

Venerabilis frater noster I(ngrannus) abbas ecclesiae sancti Medardi[1], quae vestrae ditioni et defensioni specialiter pertinet, á nostra parvitate expetiit, ut actionem suam, quam adversus magistrum Baldovinum ecclesiae Leodiensis canonicum nobis

1. Suessionensis. Ingrannus abbas huius monasterii factus est a. 1148. V. Chron. S. Medardi ap. D'Achery Spicil. II. 489.

1148 presentibus[a], sublimitati vestrae intimaremus. Quae, in quantum recordari possumus, sic se habet. Monasterium sancti Medardi habet in parrochia Leodiensi predium nomine Hanzines; á quo non longe remotum est aliud predium nomine Hanzineles, quod canonicis ecclesiae beati Lamberti pertinet, cuius predii curator et prepositus pro aliis concanonicis suis est predictus magister B(aldovinus). In Hanzineles est cappella, quae synodali et canonico iure subest matrici[b] ecclesiae, quae est in Hanzines, cum tota decimatione, quae a colonis predicti predii solvitur. Volebat magister B(aldovinus) ab abbate Sancti Medardi habere calicem argenteum ad prenominatam cappellam, et omnia tam altaris quam missae instrumenta. Super quo verbo cum neque abbatem neque monachos ipsius ordine iudiciario interpellasset, totam decimationem de Hanzineles monachis Sancti Medardi negavit et ex consensu et iussu canonicorum Leodiensium detinuit. Fratres Sancti Medardi hoc in synodo Leodiensis episcopi[1] sibi factum querebantur, nulla canonica actione, nulla iudiciali sententia precedente; et petebant, ut ablata sibi restituerentur, responsuri postmodum secundum iuris rationem. Negabat episcopus, negabat archidiaconus, quod eis scientibus vel consentientibus prescripta decimatio á magistro B(aldovino) vel canonicis esset detenta; unde et iuxta legum tramitem idem magister B(aldovinus) in integrum restituere[c] cogebatur. Quod quia ignominiosum videbatur cathedrali aecclesiae, ut rapinae palam argueretur, et aecclesia beati Medardi nostro et multorum studiis pro vestrae dominationis reverentia iuvabatur, petiit magister B(aldovinus) ex consensu canonicorum, ut causa differretur usque ad absolutionem conventus, qui tunc frequens convenerat, futurus postea in potestate et consilio Lobiensis[2] abbatis et aliorum virorum religiosorum. Quod et ita simpliciter factum est. Postquam vero clericorum frequentia recessit, domnus abbas Lobiensis, adhibitis secum viris religiosis et prudentibus, dedit magistro B(aldovino) et canonicis consilium, ut ablata restituerent et ab exactione calicis et alia-

a. habuit *vel simile quid excidit.* b. matricę *c.* c. ablata *excidisse videtur.*

1. Heinrici. 2. Lamberti.

rum rerum cessarent, quoniam nulla cappella haec á sua matrice 1148
iure solet exigere, quia hii qui cappellas construxerunt, propter laboris compendium, ne ad matricem aecclesiam longe laborarent, ex suis propriis collatis ad omnem oportunitatem cappellae providere promiserunt. Cui sententiae cum magister B(aldovinus) non acquiesceret, monachi Sancti Medardi, videntes se dilatione esse frustratos et neque per ius aut per concordiam sua posse recipere, vestrae celsitudinis presentiam appellaverunt et magistrum B(aldovinum) vestris adesse tribunalibus in octava sancti Martini[1], nobis et multis audientibus, indixerunt.

98. *Corbeienses Wibaldi reditum exposcunt.* (M. 81.)

Dilecto in Christo patri et domino suo Wibaldo venerabili 1148
Corbeiensi abbati fratres Corbeiensis aecclesiae debitam patri obedientiam et devotam orationum instantiam.

Congratulamur paternitati vestrae, quod prosperum eventum habuistis in componendis his, quae inter homines vestros dissidebant, tum propter vos tum propter fratres nostros Stabulenses, tum etiam propter nos, qui multo desiderio presentiam vestram expectamus. Quia etenim vos ut patrem diligimus, semper presentem habere vellemus, set quoniam providentia vestra ad multorum procurationem spectat et ideo solis nobis intendere nequaquam potest, obsecramus paternitatem vestram, ut saltem post multos dies, quibus presentia vestra egre caruimus, redire ad nos non abnuatis, scientes procul dubio, quod presentia vestra non minus quam fratres nostri Stabulenses iam indigemus. Non eis quidem presentiam vestram invidemus, set nobis de absentia vestra multum condolemus. Quia igitur aliquantulum vos de ceptis laboribus expeditum audimus, iterum atque iterum rogamus, quatinus, mox ut hunc nuncium vestrum receperitis, de reditu vestro ad nos ordinetis nec filios vestros ulterius de absentia vestra affligi permittatis. Omnes pene in regione vestra prophetant, vos ultra non rediturum.

1. Nov. 18.

99. *Adelbertus praepositus Corbeiensis Wibaldum vehementer hortatur, ut quam primum redeat. Addit de Fuldensibus et de abbate Hersfeldensi.* (M. 82.)

1148 Domino suo venerabili Corbeiensi abbati frater A(delbertus) prepositus Corbeiensis tam devotam quam debitam patri obędientiam.

Non videatur vobis durum, si solito attentius vos revocamus; quia, quod honori vestro timemus, quod ecclesiae vestrae detrimentum formidamus, ex dilectione est, qua vos diligimus, ex fide est, quam ecclesiae debemus. Multa siquidem apud nos geruntur, pro quibus vestri presentiam valde necessariam habemus, de quibus ipse presens abundantius videbitis, quam nos absenti scriptis insinuare possimus, preter illa, quae adhuc, si moram feceritis, propter absentiam vestram futura esse formidamus. Una etenim vox, eadem sententia omnium, qui diligunt vos: utile esse, quod absque dilatione redeatis et, ne qua inconvenientia apud nos oriantur, quae postmodum cum difficultate reprimi oporteat, precaveatis. Licet enim non ignoremus, quod, si in presentiarum redieritis, annonam omnem precio comparare debeatis, non tamen videtur nobis tutum, quod propterea diutius remaneatis, set statim post acceptas litteras has de reditu vestro disponatis, quia utique laudabilius est et nobis carius, quod argentum vestrum quam honorem perdatis. Scimus etiam, quod, cum veneritis, multa quae neque camerarius vester neque nos possumus, per vos acquiretis, quia vos per misericordiam Dei talem esse scimus, qui et vobis et nobis solatio esse possitis. Non moveat vos, quod domum ad habitandum non habetis apud nos, quia apud Sanctum Martinum[a] habitaculum valde commodum et secretum usque ad consummationem domus vestrae vobis previdimus, ubi cum omni devotione libenter ipsi vobis serviemus, tantum presentem vos habeamus. Annonam fratrum á villicis nostris aut vix aut nullo modo extorquere iam possumus. Fuldenses nichilominus presentiam vestram multo desiderio expectant, quia aecclesia sua[b], quae

a. Mart̄. *c.* b. nr̄a *c.*

sine pastore est, ubique colliditur, ubique distrahitur, ubique dissipatur. Unde et abbas Hersveldensis[a][1] litteras domni papae, quas vobis et aliis abbatibus direxerat[2], ad nos transmisit, multumque etiam ipse propter iniunctum sibi et vobis negotium, ut redeatis, iam diu desideravit. 1148

---

100. *Walterus camerarius Corbeiensis Wibaldo instat, ut sine mora revertatur.* (M. 83.)

Reverendo patri ac domino suo Wibaldo venerabili abbati Corbeiensi frater Walterus camerarius suus debitam patri obędientiam. 1148

In perficiendis edificiis vestris omni conamine insistimus; quae utique, antequam perficiantur, non modica expensa indigebunt. Non autem vos hoc latere volumus, quod á multis iam diebus omnes expensas eiusdem operis mutuo accepimus et quod in mutuando usque ad quindecim marcas iam progressi sumus, exceptis his, quae adhuc ad residuum opus habituri sumus. Magno quidem desiderio presentiam vestram expectamus multis de causis, quas intus et foris cotidie apud nos videmus et audimus, pro quibus presentia vestra nobis et ecclesiae multum esset necessaria; multumque timetur ab omnibus, qui vos et honorem vestrum diligunt, quod, si diutius moram feceritis, aliquas novitates, quae multum quietem vestram perturbare possint, apud nos invenire debeatis; de quibus quidem aliqua á puero vestro L(udowico) audire potestis. Nisi esset timor iste, placeret nobis, quod usque ad novas fruges reditum vestrum protraheretis; quia si ante redieritis, non invenietis de annona vestra, quod vel una die manducetis aut quid bibatis, nisi precio comparetis. Set videtur nobis tolerabilius, quod annonam apud nos aliquanto tempore ematis, quam aliqua inconvenientia, quae vos ex insperato laborare faciant, apud nos oriri permittatis. Multum itaque volumus, ut omnes moras rumpatis et, recepto hoc presenti nuncio vestro, ad nos redire festinetis. Ex fidelitate et devotione nostra est, quod ad reditum vos tam instanter cohortamur.

---

a. Hesveldensis *e*.

1. Heinricus. 2. V. ep. 86 supra p. 159.

101. *Wibaldus Corbeiensibus de rebus suis gestis significat; seque ad eos die 14 m. Augusti perventurum.* (M. 84.)

1148 W(ibaldus) Dei gratia Corbeiensis abbas dilectis in Christo filiis et fratribus suis E. venerabili priori et caeteris Corbeiensis aecclesiae filiis benedictionem et vitam usque in seculum.

Racio consilii et instituti nostri poscebat, ut apud Stabulaus moram longiorem faceremus non solum pro removendis importunitatibus, quae et Stabulensem aecclesiam et totam terram Lotharingiae fatigabant, verum etiam quia ordo quidam et rerum necessitas paucissimis considerata postulare videbatur, ut usque ad caput hiemis abesse a vobis deberemus. Caeterum nos — qui etiam in re bene provisa et á nobis singulariter ordinata multorum communem sentenciam sequi consuevimus — tociens vocati á vobis, iam non venire non audemus, magis volentes vestro iudicio, si ita opus est, errare, quam in nostrae deliberationis proposito, licet rectum et consequens videatur, permanere. Ut autem sciat vestra fraternitas, tempus nobis ociosum non preterisse, inter comitem Namucensem et comitem de Lon et comitem de Dasburch, quorum discordia totam terram lacerabat, pacem Deo auctore usque in festo sancti Remigii[1] fęcimus; atque inter comitem de Rupe, qui noster advocatus est, et comitem de Monte acuto, qui multorum incitamentis maxima inter se bella movebant, finitivam et toti terrae salutarem concordiam reformavimus. Adversarios nostros, qui bona aecclesiae nostrae diripuerant, divina potencia subegit, ut nobis nostra cum ingenti satisfactione restituant. Ad sedandam vero ipsam discordiam, quae est inter ipsos et ministeriales nostros, cum diu multumque laboraverimus, pauxillum temporis assumpsimus, in quo omnia, Dei adiuvante clemencia, ad perfectum perducerę valeamus. Et in vigilia assumptionis sanctae Mariae[2] ad vos cum karitatis gaudio perveniemus.

1. Oct. 1. 2. Aug. 14.

102. *Corbeienses a Wibaldo summe contendunt, ne ad se reverti cesset.* (M. 85.)

Carissimo domino et patri suo Wibaldo venerabili Corbeiensi 1148
abbati E. prior, A(delbertus) prepositus, W(alterus) camerarius debitam obędientiam.

In quantum fas est, prudentiam vestram arguimus, quod, cum paternitati vestrae anxietates nostras per nuncium vestrum et litteras nostras insinuaverimus, nondum aliquid nobis certitudinis de reditu vestro significastis, presertim cum in omnibus litteris, quibus reditum vestrum hac vice maturari rogavimus, hoc ad summam cum omni diligentia adiunxerimus, ut statim post acceptas litteras absque omni dilatione de reditu vestro ad nos ordinaretis. Et ecce iam fere ad tres septimanas nuncium vestrum suspensi expectamus; multoque desiderio sub hac expectatione afficimur nec quicquam consolationis á vobis accipimus. Quid ergo tandem faciemus? Neque enim sine causa reditum vestrum tantopere maturari postulavimus; foris pugnae, intus labores. Ut de omnibus aliis sileamus, fere mortificamur tota die de opinione immo concertatione hominum, qui contendunt, vos ultra non rediturum, quique modo cum inproperio insultant nobis, postquam ad speratam diem nuncius vester non rediit, affirmantes, quod in vanum spem nostram consumimus. Denique, nisi quod constantiam vestram tam fixam et immobilem optime novimus, tot opinionibus et tot clamoribus hominum flecti ad desperationem potuimus. Comes quoque Her(imannus) tam diuturnam vestri absentiam multum incusat. Omni ergo devotione, omni studio paternitatem vestram rogamus, ut vel hac vice statim post acceptas litteras nostras redire nullatenus differatis, procul dubio scientes, quod, si modo ulterius moram feceritis, amicos vestros in desperationem non modicam adducetis.

---

103. *Wibaldus Corbeienses reversionem suam importune flagitantes reprehendit.* (M. 86.)

Frater Wibaldus Dei gratia Corbeiensis abbas dilectis in 1148
Christo fratribus E. priori, A(delberto) preposito, W(altero) camerario salutem et benedictionem.

1148 Lex sacra precipit, ut in sacrificio sal offeratur[1]. Et apostolus dicit: *Sit sermo vester sale conditus*[2]. Quaecunque condita non sunt sale, insipida sunt et ad humanae refectionis profectum minime accommoda. Virtus nulla est, quam discretio deserit; haec est sal et condimentum rerum, quae inter bonas annumerantur. Virtutes in meditullio positae sunt inter nimietatem et paucitatem. Haec est via regia, in qua superbi abscondunt laqueos[3] nobis, in qua ita est ambulandum, ut neque ad dexteram declinemus per inconsideratum zęli pronioris ardorem, neque ad sinistram deviemus per dissolutae remissionis torporem. Quorsum haec? Quia videlicet in eo, quod nos tam frequenter, tam instanter revocatis, modum, qui est discretionis comes, excedere videmini. Cum enim sancta et venerabilis mater nostra Stabulensis aecclesia multis fuerit attrita pressuris, occasionem rapientibus inprobis ex eo, quod, divinam vocationem et vestram unanimem electionem secuti, ad vos transivimus, impium erat et omni bestia furente crudelius, eam in angustiis et iam inpendente ruina deserere. Intravimus in eandem aecclesiam per ostium[4]; quod de vita et moribus nostris dicere nequaquam presumimus, set de tota ordinatione et provectibus nostris plane affirmare non formidamus. Videbamus itaque non lupum unum venientem[5], nisi forte totam demonum phalangem unum lupum intelligamus, set multorum luporum innumerabiles exercitus, qui ad devorandam Stabulensem aecclesiam et magnam partem Lotharingiae efferata rabie inhiaverant. Set misit Deus Spiritum sanctum de coelo et conclusit ora leonum[6], atque imperante Iesu, qui propter peccata nostra dormierat, ventis et mari, facta est tranquillitas, suspecta quidem et plena dolis et insidiis et qualem nostra aetas dare consuevit, verumtamen aliqua. Vester igitur affectus in revocando laudabilis est et nobis gratissimus, revocationis vero tempus et causa laudis titulum non meretur. Tempus equidem, quia inportunum est; causa vero tam puerilis est, ne dicamus stulta, ut digna non fuerit tantis conatibus. Haec enim est maxima festinatae revocationis causa, quod, ut verbis utamur vestris, fere

1. Levit. 2, 13. 2. Coloss. 4, 6. 3. Cf. Ps. 139, 6 et 141, 4. 4. V. Iohann. 10, 2. 9. 5. Ioh. 10, 12. 6. Dan. 6, 22.

mortificamini tota die de opinione immo de concertatione hominum, qui contendunt, nos ultra Corbeiam non redituros. Et ne vos in tantae levitatis dictione ineptos reputaremus, scripserat nobis conventus vester contra gravitatem tanti coetus, contra severitatem suam, quae debuit esse castigatior, haec verba dicens: *Omnes pene in regione vestra prophetant, vos ultra non rediturum*[1]. O homines prudentes, ó homines fortes, qui, anilibus intenti fabulis, et sese perturbant et nos seriis rebus intentos fatigare non desinunt. Mulierculae, quae muros atrii vestri obsederunt et quae substantiam domus nostrae vorare solent, metiuntur digitis suis, et post detestabilem atque ridiculam sortem sternutantes[2], dicunt iurando: *Per omnes christianas animas, verum est, non revertetur.* Propheta dicit: *Ve, qui prophetant de cordibus suis; egressus est spiritus á facie furoris Domini, et factus est spiritus mendax in ore omnium prophetarum.* Heae sunt angustiae, haec sunt bella, haec incendia, heae caedes, heae rapinae, quae Corbeiensem circumvallaverunt aecclesiam. Verum haec et caetera mala divina protectio ab ipsa procul amoveat. Set dicite nobis de prophetis vestris, qui viderunt vobis falsa et stulta, et vos non attendistis vero prophetae dicenti: *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius, et non respexit in vanitates et insanias falsas*[3]. Ea, quae prophetant, aut vera[a] prophetant aut falsa vaticinantur. Si vera prophetant, cur nos tociens et tam studiose revocatis, cum constet, quod vera predictio falli vel converti non possit? Si vero de spiritu mendacii falsa loquuntur, cur vos ipsos commovetis et tam[b] vana et tam inepta narratione sollicitatis? Revertemur certe ad vos, si Deus permiserit et nos vixerimus. Nec enim inter vos ita conversati sumus, ut videre vos erubescamus, neque vos tales erga nos exhibuistis, quos cernere formidemus. Veniemus certe tempore et die prefixo in litteris nostris[4], quas per Ludowicum puerum nostrum vobis direximus, licet Stabulensis aecclesia propter certas et inpendentes ac periculosas rationes nostram egre ferat 1148

a. vero *cod.* b. tam *bis legitur in cod.*

1. ep. 98 supra p. 173. 2. Cf. Grimm Deutsche Mythologie (ed. 3) II. p. 1070. 3. Ps. 39, 5. 4. i. e. die 14 Augusti. V. ep. 101 p. 176.

1148 absentiam. Si Stabulensis aecclesia nos non educasset, si nos de gregibus ovium non sustulisset, si nos de post foetantes non accepisset[1], ut pasceremus Iacob et Israel[a] hereditatem Dei[2], si nos egenos de pulvere non suscitasset et de stercore erexisset pauperes, ut sedeamus cum principibus[3], dignum tamen fraterna caritate fuit, ut, si in Corbeiensi aecclesia medicus foret, in cuius domo vestimentum esset[4], non negaretis sorori vestrae Stabulensi ecclesiae aliquam vestrae consolationis participationem. Caeterum nos haec missa facimus; vos vero curate, ut in novo tabernaculo nostro mansionem venientes habeamus.

---

104. *Wibaldus Heinrico Romanorum regi de Cuononis et Everardi lite significat.* (M. 87.)

1148 Glorioso domino suo H(einrico) inclito Romanorum regi, magni ac victoris Cuonradi Romanorum imperatoris augusti filio, frater Wibaldus Dei gratia id, quod est in catholica aecclesia, salutem in eo, qui dat salutem regibus.

Ab exitu nostro á synodo Remensi remorati sumus in Stabulensi monasterio propter multas et varias dissensiones et pressuras, quae sunt in terra, ac Domino cooperante nostrosque conatus confirmante, in omnibus fere locis circumiacentibus quantulamcunque pacem composuimus, versus Corbeiam in proximo transire cupientes. Nunc maiestatem vestram obnixe rogamus, ut de causa, pro qua ad vestram clementiam direximus, nos exaudire dignemini. In beneficiis Stabulensis monasterii hereditant feminae, ubi masculi non supersunt. Quidam Widricus noster ministerialis, cum haberet unicam filiam, defunctus est; cuius possessiones filius sororis ipsius Cuono occupavit. Postea quidam Everardus filiam prefatam predicti Widrici duxit uxorem, et secundum morem terrae omne beneficium, quod puellae á patre competebat, á nobis accepit. Verum prenominatus Cuono eundem Everardum de possessione expulit. Pro qua re á nobis legitime vocatus et super hoc in causam ductus, cum ab eodem E(verardo) impeteretur, quod eum beneficio suo

a. Iacob et Iacob *cod.*

1. Cf. Ps. 77, 70. 2. ibid. 77, 71. 3. Reg. I. 2, 8. 4. Cf. Isai. 3, 7.

per violentiam spoliasset et de villa quae dicitur Novavilla per vim expulisset, respondit Cuono, pretaxatam villam suum allodium esse et ad sese iure proprietario pertinere, et quod avunculus suus, pater puellae quae nupserat, ipsam Novamvillam non in beneficio set in proprio allodio tenuerat sibique dimidiam partem pro dote matris suae in hereditatem dederat. E contra E(verardus) asserebat, sepe dictam Novamvillam ab avo uxoris suae Stabulensi ecclesiae in ius proprietatis pro censu quatuor denariorum fuisse contraditam et tam ab ipso quam á caeteris successoribus eius in beneficio de manu abbatis esse susceptam; quod et nos verum fatebamur, et per legalia instrumenta secundum indubitati iuris rationem hoc probare parati eramus. Uterque, Cuono videlicet et Everardus, super allegatione proposita idoneam probationem offerebat et iudicialem sententiam super hoc proferri postulabat. Interrogati cum adiuratione debita ministeriales nostri adiudicaverunt, E(verardo) probationem incumbere, qui titulum legalis beneficii suo litigatori opposuerat, miscentes nimirum equitatem cum iure et veritatem cum iudicio. Primus in dicenda iudicii sententia fuit Franco, lator presentium, caeteris in id ipsum consentientibus et concorditer id ipsum profitentibus. E contrario respondit C(uono), Franconem fuisse mentitum et tam ipsum quam alios falsum dixisse iudicium. Erant autem numero 21. Super hoc ad vestrae maiestatis presentiam appellavit. Nos, audito caesaris nomine et appellantis voce, nullam nobis reputantes factam iniuriam, procedere in actione cessavimus, bene de culmine regiae maiestatis confidentes: quod, si uterque ad vestram[a] curiam venerit, iuxta legalium institutionum normam vel absolutionem vel condempnationem debitam accipiet. Sin autem appellator venire neglexerit, non eum vestra censura inpunitum relinquet, nec de frustratoria provocatione lucrabitur dilationem penae; ut omnes subditi vestri timeant vos, videntes, sapientiam Dei esse in vobis ad faciendum iudicium. Quicquid vero super hoc vestra curia iudicaverit, nobis et domno H(einrico) Leodiensi episcopo et H(einrico) co-

a. nr̄am *c.*

1148 miti Namucensi et H(einrico) comiti de Rupe, advocato Stabulensi, per litteras vestras significare dignemini.

---

105. *Heinricus Romanorum rex Wibaldo scribit, quemadmodum litem Cuononis et Everardi decreverit.* (M. 88.)

1148 Heinricus Dei gratia Romanorum rex venerabili Corbeiensi et Stabulensi abbati gratiam suam et omne bonum.

Causam, quam ad nos industria tua scriptam transmiserat, diligenter inspeximus et examinavimus, et tam consilio quam iudicio curiae nostrae, et precipue ministerialium nostrorum, sententiam iudicii quam Franco protulit ratam esse censuimus; et tam ipsum Franconem quam eos, qui ipsum secuti sunt, recte iudicasse, auctoritate regia confirmamus. Eapropter condemnamus tibi Cuononem ministerialem tuum in decem libris denariorum probatae monetae, et singulis quibusque comparibus et comministerialibus suis in tribus libris, de banno regio, non solum pro frustratoria appellatione set etiam pro petulantiori convitio, quo ipsorum opinionem laceravit. Tu ergo, de nostra gratia et protectione confisus, dilige iusticiam, et iudicium á nobis confirmatum effectui mancipare non differas, atque ut Everardus quiete possideat, modis omnibus efficere satagas.

---

106. *Heinricus Romanorum rex Wibaldo de curia die 8 Septembris Francofurti habenda significat. Eum die 1 Septembris Nurenbergam ad se venire vult.* (M. 89.)

1148 Aug. Heinricus Dei gratia Romanorum rex Wibaldo venerabili Corbeiensi abbati gratiae et dilectionis suae plenitudinem.

Gratiarum actiones tuae discretioni referimus, qui fidelitatis et dilectionis constantiam, quam domino et patri nostro deferre consuevisti, post discessum eius — memor, qua familiaritate dilectionis ei iunctus fueris — etiam nobis ad nostri honoris incrementum tum apud regni principes tum apud domnum papam devotissime exhibuisti. Unde nimirum voluntati tuae obsequi deinceps erimus parati. Verumtamen quia, communicato

principium consilio, in nativitate sanctae Mariae[1] Franckenevort 1148
curiam celebrare statuimus, rogamus dilectionem tuam, ut eidem Aug.
curiae interesse non renuas, et ad reformandum regni statum et pacem firmandam consilio et auxilio nobis assistas. Et quoniam omnia negotia nostra tam privata quam publica per te ordinare desideramus, et ut in eadem curia nos et negotia nostra manuteneas, expetimus. Kalendis Septembris ut Nurenberch nobis occurras, volumus. Caetera nuncius. De statu vero domini et patris nostri, sicut in litteris suis nobis mandavit, tibi scribere curavimus.

---

107. *Canonici S. Mariae et S. Lamberti Leodienses Wibaldum Leodium vocant.* (M. 90.)

Domno Wibaldo Dei gratia dilectissimo ac reverentissimo 1148
Stabulensi abbati humilis[a] Sanctae Mariae Sanctique Lamberti conventus salutem et dulcissimae matris suae debitam compassionem.

Paucis prudentiae et discretioni vestrae presenti scripto loquemur; paucis quidem vocum quantitate, set multis et magnis significatione. Novum immo vipereum quiddam, diu apud nos ex adipe iniquitatis et radice elationis conceptum, nunc oriri nititur, tempus sibi putans occurrisse oportunum. Oportunum quidem erit, si non sit qui resistat, qui adiuvet, quod absit. Super quo pia et semper in bonum omnibus omnia facta mater Leodiensis[b] ecclesia speciale consilium vestrum non solum iure communi requirit, set exigit quodam quasi speciali debito dilectionis, fiduciae et familiaritatis. Unanimiter igitur rogamus vos, quatinus tercia feria proxime imminentis ebdomadae Leodii[c] capitulo nostro interesse dignemini. Valete.

---

108. *Wibaldus canonicis Leodiensibus respondet, quare Leodium non venerit, eosque consolatur.* (M. 91.)

Reverentissimis[d] in Christo patribus et dominis A(lexandro) 1148
venerabili maioris ecclesiae preposito nec non archidiaconis at-

a. humilis — compassionem *sunt erasa.* b. Leodiensis *erasum est in cod.* c. Leodii — Valete *erasa sunt in cod.* d. Reverentissimis — vestrum non venimus *erasa sunt in cod.*

1. Sept. 8.

1148 que H. decano et omnibus ecclesiae sanctae Mariae sanctique Lamberti canonicis frater Wibaldus Dei gratia Stabulensis ecclesiae servus, spiritu consilii et fortitudinis abundare.

Quod iuxta vocationem vestram ad collegium vestrum non venimus, gravis nos occupatio detinuit, videlicet propter reformandam pacem inter homines terrae nostrae, quorum discordia multiplicibus et maximis detrimentis aecclesiam nostram, ut vobis bene notum est, iam diu conquassavit. Verumtamen etsi corpore absentes, venimus tamen spiritu, venimus mente tanquam devoti et[a] obedientes filii matris nostrae Leodiensis ecclesiae, Dei omnipotentiam exorantes, ut ipse conterat sathanam sub pedibus vestris et liberet vos ab inportunis et malis hominibus, qui superfluis et vanis novitatibus primatum et gloriam suae matris scindere et evertere nituntur. Haec sunt genimina[b] viperarum[1], quae matrem extinguunt, dum eas ad vitam producit, quae reddunt malum pro bono; populus, inquam, qui incrassatus recalcitravit et per nimiam ingratitudinem oblitus est benefactoris sui. Siquidem cathedralis aecclesia, in qua vos et priores et canonici estis, ceteras in urbe preposituras ad suae dignitatis augmentum, ad suae magnitudinis ornamentum, tanquam quedam speciosa luminaria, extruxit et amplificavit, ac de propriis bonis episcopii prima fundamenta iecit ac deinceps provehendo canonica stipendia et cultum aecclesiasticum ordinavit, ut videlicet clerus Deo serviens et merito et numero in suis conventibus augeretur. Atque idem fuere rectores qui conditores usque ad nostra infelicia tempora, in quibus iam venit discessio, ut reveletur ille filius perdicionis, qui extollitur super omne id, quod dicitur Deus aut quod colitur. Discessit quippe omnis homo ab homine, ita ut vix duo consentiant de omni re, atque ideo Deus pater non exaudit nos orantes. Discessit, inquam, homo ab homine, quoniam discessit á caritate, discessit ab obedientia, discessit a pudore, discessit a reverentia, et sunt homines se ipsos amantes, coacervantes magistros prurientes auribus[2]. Verum-

a. et — ecclesiae *erasa sunt.* b. gemina *c.*

1. Matth. 23, 33. 2. 2 Timoth. 4, 3.

tamen nolite timere, pusillus grex, quoniam complacuit patri 1148
vestro dare vobis regnum; ascendite ex adverso, opponite murum pro domo Israel. Eruditio vestra reducat ad memoriam, quanta sit Esau ignominia cauteriatus pro eo, quod primogenita sua vendidit pro ventris ingluvie et lentis edulio. Dominus in propheta dicit: *Ego gloriam*[a] *meam alteri non tribuam*[1]. *Si,* inquit, *sum Dominus, ubi timor meus? Si pater, ubi honor meus?*[2] Set opponitur vobis sanctissimum atque gravissimum nomen electionis, quae quidem sacrorum canonum auctoritate constituta est ad pacem ecclesiae et unanimitatem continendam. Verum de hoc bono principio ex hominum abusione multa mala progressa sunt, ita ut electionis licentia usque ad cellarii et coquinae claves et villicationes ordinandas extendatur. Pontificis Romani, archiepiscoporum, episcoporum electiones sacra decretorum auctoritas demonstrat; monachi sanctae regule scriptura docentur, qualiter et qualem eligere debeant abbatem; economorum et eorum, qui nullam in regimine suo suscipiunt curam animarum, electio qua sit auctenticae scripture informata iudicio, necdum addiscere potuimus. Beatus Benedictus, cum de ordinandis[b] decanis atque prepositis preceptum daret, ad postremum *videat,* inquid, *abbas, in quem securus partiatur onera sua*[3], ei videlicet summam consilii attribuens, cui imminet reddendae rationis periculum. Et haec quidem atque alia huiusmodi pro nostro captu et facultate, si venerabili vestro conventui adesse licuisset, prolixius atque instantius diceremus, supplicando fratribus nostris, quatinus aperto mentis intuitu diligenter inspicerent, quod fere non est domus, in qua non sit mortuus[4], darentque operam plus ad reformationem religionis quam ad suscitandam materiam contentionis, et non transgredientes terminos, quos posuerunt eis patres sui, tales in locum provisionis suae adoptarent personas, quae et merito vitae suae, et loci sui subli-

a. eglam *cod.* b. ordinandus *c.*

1. Isai. 48, 11. 2. Malach. 1, 6. 3. In regulae S. Benedicti c. 21 (Codex regularum ed. Holstenius p. 22) leguntur haec: „Qui decani tales eligantur, in quibus securus abbas partiatur onera sua“. 4. Exod. 12, 30.

1148 mitate maioribus suffragiis iuvarentur. De cetero Deus pacis et dilectionis sit semper cum omnibus vobis.

---

109. *Wibaldus Heinricum episcopum Leodiensem hortatur, ne ecclesiam Wellinensem interdicto afficiat.* (M. 92.)

1148 Reverendo patri suo et domino H(einrico) venerabili sanctae Leodiensis ecclesiae episcopo frater W(ibaldus) Dei gratia Stabulensis ecclesiae servus exiguas orationes et devotum servitium.

Theodericus de Salenrivo[a] ministerialis vester de Bullione venit in terram Stabulensis ecclesiae, ad villam nomine Davirdeces[b], atque ibi predatus est non pauca animalia. Orto clamore in terra, secuti sunt homines nostri tam de Wellin quam de aliis locis, ut ea que nobis fuerant ablata reciperent; et longius predatores persecuti sunt. Illi, congregata de castello vestro et de terra maiore multitudine, invaserunt nostros et, captis septem viris, duodecim ex hominibus ecclesiae nostrae occiderunt et multos crudelissime vulneraverunt. Audivimus vero, quod ecclesiam nostram in Wellin velitis interdicere et divinum ibidem officium prohibere pro eo, quod interfecti illi in cimiterio eiusdem ecclesiae sepulti sunt. Quod nos credere nequaquam potuimus. Novit enim discretio vestra, quod etiam iure gentium licet vi vim repellere, et quod super terram homines sunt excommunicandi, dicente scriptura: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelo*[1]. Sicut itaque, iuxta auctoritatem Leonis et Gelasii, quibus vivis non communicavimus, nec mortuis communicare possumus, sic e[c] converso quos ecclesia vivos non devitavit, mortuos abicere non debet. Dignetur itaque vestra clementia providere, ne ad grave malum atque damnum, quod per iniuriam accepimus, aliquod gravamen per inimicorum nostrorum delationem sustineamus. De Theoderico vero de Turri tam frequentem, tam importunam et tam longam querimoniam sine fructu fecimus, et iam ecclesiam nostram pudet, nos vero tedet.

a. Sacenrivo *correxit alia manus in* Sa$\overset{l}{c}$enrivo. b. *sive* Daiurdeces. c. ē *c.*

1. Matth. 16, 19.

110. *Heinricus Romanorum rex Wibaldo scribit, se propter Suevorum discordiam Nurenbergae non mansurum. Monet, ut die 1 Sept. Winisbergam ad se veniat. Addit de curia Francofurtensi.* (M. 93.)

H(einricus) Dei gratia Romanorum rex W(ibaldo) abbati Cor- 1148 Aug.
beiensi et Stabulensi intimae dilectionis suae plenitudinem.

Discordia, que nuper in Suevia suborta est, a proposito nostro in parte nos declinare compellit. Cum enim Nurenberch moram facere proposuerimus, ad componendos tumultus Suevorum divertere compellimur. Unde dilectionem tuam quam intime rogamus, ut eodem termino, quem Nurenberch tibi prefiximus[1], Winisberch nobis occurrere non graveris. Quod si fieri non potest, omni occasione postposita, curiam Frankenevort indictam[2] nobiscum celebres. Cetera nuntius.

---

111. *Fuldenses Wibaldo respondent, se die in eius litteris statuto ad eum accessuros esse.* (M. 94.)

W(ibaldo) venerabili Corbeiensis aecclesiae abbati congre- 1148
gatio Fuldensis devotum munus orationis et dilectionis.

Licet mille pressuris et incommodis in articulo huius temporis simus conquassati, litterarum tamen vestrarum visitatione plurimum sumus consolati; unde ex integro cordis affectu gratias agimus vobis. Tempore enim litteris vestris nobis designato libenti animo vobis occurrere sumus parati; et a Deo vobis tradita prudentia, consilium et auxilium querendo, nobis subvenire non dedignemini. Nos etenim queque paterna de sanctitate vestra speramus.

---

112. *Bernhardus episcopus Paderbornensis Wibaldum rogat, ut Corbeiam rediens apud se devertatur.* (M. 95.)

B(ernhardus) divina providentia Patherburnensium provisor 1148
humilis dilecto in Christo fratri W(ibaldo) Corbeiensi abbati, orando, serviendo quicquid devotius, quicquid potest fidelius.

1. i. e. die 1 Sept. vid. ep. 106 supra p. 183. 2. in diem 8 Sept. vide ibidem.

1148 Reditum vestrum ad nos gratanti animo accipimus, quippe cuius absentiam tam diuturnam propter plurima nobis negotia communia satis egre tulimus. Rogamus itaque et iterum rogamus, quatinus nulla interveniente occasione hospitalitatis causa ad nos declinetis, omnibusque, que in domo nostra sunt, non tantum ad necessitatem verum etiam ad voluntatem tanquam propriis utamini. Habeamus etiam libertatem de singulis colloquendi presentes, quorum plurima nec meminisse nec loqui possumus absentes. Huic peticioni si contradixeritis, de vestra amicicia nos diffidere cogetis.

---

113. *Wibaldus Guidoni cancellario papali Amilium abbatem Brunwilarensem commendat, qui ob valetudinem ad synodum Remensem non venerit.* (M. 96.)

1148 Reverendo patri suo et domino G(uidoni) sanctae Romanae aecclesiae venerabili cardinali diacono[1], apostolicae sedis cancellario, frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, devotas orationes et se ipsum.

Divinae largitatis similitudinem gerit hoc, quod in nobis vestra exhibere non cessat clementia. Siquidem nullis nostris exstantibus meritis, tanta in nos beneficiorum vestrorum abundat liberalitas, ut non inmerito cum admirationis magnitudine protestari cogamur: *Quid retribuam domino pro omnibus, que retribuit mihi?*[2] Sub tanta itaque indefessae pietatis vestrae fiducia nostrae parvitati confidentia crescit, ut etiam pro amicis nostris intercedere presumamus, cum nobis posset sufficere et arduum reputari, quod vestrae dilectionis dulcedinem aliqua ex parte degustamus. Commendamus igitur vobis virum venerabilem abbatem Brunwilerensem[3], qui, sicut certum est, infirmitate corporali detentus ad sinodum Remensem venire non potuit, et sicut ab ipso plenius audietis, de hoc, quod sibi ab emulis impositum est, omnem in modum innocens fuit. Vos igitur pro nostrae peticionis intuitu ipsius et pater et patronus eritis.

1. SS. Cosmae et Damiani. 2. Ps. 115, 12. 3. Amilium. Cf. Annales Brunwilarenses 1148 (Mon. Germ. SS. XVI. 727).

---

114. *Adelbertus praepositus Corbeiensis Wibaldo de rebus Fuldensibus significat; eiusque reversionem desiderat.* (M. 70.)

Dilectissimo patri ac domino suo Wibaldo venerabili abbati 1148 Sept.
Corbeiensis ecclesiae A(delbertus) prepositus, quicquid patri filius, domino servus.

Ante paucos dies nobiscum habuimus Fuldenses, camerarium videlicet Heremannum et alium quendam é fratribus, qui venerant, ut vos ad se tempore electionis invitarent; quique redierunt multum contristati, quod vos non invenerunt. Misimus Fuldensibus per eosdem litteras[1] ex persona vestra, quarum etiam exemplum[a] nunc vobis transmisimus. Misimus etiam ad vos litteras domni papae[2], quas sigillatas sigillo Fuldenses ad nos detulerant. Certi etiam sumus, quod idem Heremannus in brevi ad vos veniet, cui commendaticias litteras secundum peticionem suam ad vos scripsimus. Electus eorum[3], si nondum audistis, de medio eorum evanuit. De cetero reditus vester ad nos magno desiderio omnium amicorum vestrorum expectatur, tum pro aliis necessariis causis, tum pro eo maxime timore, qui omnibus amicis vestris incumbit, ne comes Herimannus montem Brunesberch occupet et muniat, quod pro vero et indubitato nobis relatum est; unde et a vobis hoc celare noluimus, sicut nec aliquam rem, quae tacita honori vestro officere possit.

---

115. *Wibaldi nomine*[4] *Adelbertus praepositus Corbeiensis Fuldenses consolatur monetque, ut abbatem quam primum eligant.* (M. 71.)

Decano, preposito et caeteris in Christo dilectis fratribus, 1148 Sept.
liberis ac ministerialibus Fuldensis ecclesiae Wibaldus Dei gratia Corbeiensis ecclesiae famulus benedictionem et vitam usque in seculum.

Quantum doloris, quantum timoris, quantum sollicitudinis geramus pro diutina fatigatione et frequenti iactura vestrae tam

a. exemplum *addidi.*

1. ep. 115 infra. 2. ep. 85 supra p. 158, datam 1148 Apr. 8, quam quidem die 10 Septembris demum se accepisse, testatur Wibaldus in ep. 138 infra. 3. Roggerus. 4. V. ep. 114 supra.

1148 Sept. nominatae, tam famosae et aliquando tam honestae aecclesiae, mallemus presentes, si temporis articulus permitteret, apud vos deplorare quam absentes scriptis significare. Quoniam vero iam ex antiquo omnium vestrum honestatem plurimum semper dileximus, in tribulatione quam in presentiarum vobis incumbere perspeximus, nostram quoque consolationem, si qua potest esse, et commonitorium, quod vobis presentes dare nequimus, per apices nostros vestrae dilectioni devote subministramus. Summa igitur nostrae commonitionis haec est: ut si — quemadmodum intelleximus adhuc constituti apud domnum papam — electum vestrum[1] habere non potestis, ad concordiam et unanimitatem quantocius redeatis, et sicut diligitis honorem vestrum et pacem ecclesiae vestrae, concordes et unanimes redeatis, scientes, quod non mentitur qui dixit: *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur*[2]. Et si quidem habere potestis inter vos quem eligatis, non differatis; si autem aliunde, et hoc acceleretis. Sub dilatione enim aliquae inportunitates suboriri poterunt. Nos autem de consilio nostro vobis inparati non erimus.

---

7 116. *Heinricus Romanorum rex Eugenio III papae Heinricum archiepiscopum Moguntinum, qui ad synodum Remensem non accesserit, excusat; eumque ad papam euntem commendat.* (M. 99.)

1148 Sept. Dilectissimo in Christo patri Eugenio sanctae Romanae aecclesiae summo pontifici Heinricus Dei gratia iunior Romanorum rex, filius magni Cuonradi incliti triumphatoris Romanorum regis et semper augusti, filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Carissimus pater noster, catholicae fidei cultor, a nobis et a regno suo discedens, nobis haec suppreme et memorie artius impressa mandata dedit, ut personam vestram summo dilectionis affectu amplecteremur, ut sacrosanctam matrem nostram Romanam aecclesiam precipua diligentia coleremus et res ipsius tueri ac defensare, ubicunque se oportunitas offerret, non negligere-

1. Roggerum. 2. Luc. 11, 17.

mus. Que piissima religiosi genitoris nostri monita non surda aure nec pigra cordis intentione suscipientes, ad effectum ea perducere sollicita devotione curavimus, sic de cetero intenti, ut, crescente in nobis per divinam indulgentiam aetate et sapientia, cuncta in melius augere et complere studeamus. Morem regni nobis a Deo collati vestram prudentiam ignorare non credimus, in eo videlicet, quod Moguntinus archiepiscopus ex antiquo suae aecclesiae et dignitatis privilegio sub absentia principis custos regni et procurator esse dinoscitur. Que priscorum instituta regum gloriosus genitor noster ut in ceteris secutus, nostram aetatem et regni gubernationem reverendo patri nostro, Heinrico Moguntino archiepiscopo, omnium principum favente coniventia, magna cum attentione commisit. Quantum vero eiusdem venerabilis archiepiscopi absentia toti regno et personae nostrae incommoda sit, optime novit intelligentia vestra, cui mores Galliae Belgicae, que nostris sceptris ex maiori parte subdita est, et totius Germaniae ignoti non sunt. Inde factum est, ut tempore sinodi vestrae, quam in Remensi civitate divina favente clementia ad totius sanctae ecclesiae incrementum celebrastis, ad vestrae sanctitatis presentiam venire idem archiepiscopus non posset; quoniam alterius regni fines tutus ingredi non potuit, et nostras res, que quanto sunt per Dei misericordiam maiores tanto sunt ad regendum difficiliores, relinquere, nobis cum consilio multorum principum renitentibus, salva fide et honestate sua non valuit. Verum quoniam frequenti vocatione vestra commonitus, ad vestrae celsitudinis presentiam transire nunc[a] festinabat, nos in preterita nativitate beatae Mariae curiam Deo auctore in oppido Frankenevort celebravimus, ubi congregata principum nostrorum frequentia, tam de ipsius archiepiscopi absentia quam de securo ad vos transitu sub prolixa deliberationis mora tractavimus. Eum itaque ad vestrae sublimitatis presentiam contra nostram et totius regni utilitatem in presentiarum proficiscentem filiali et affectuosa commendatione prosequimur, orantes intime piissimam et in bonis expertam nobis paternitatem vestram, qua-

[Margin: 1148 Sept. — Sept. 8]

a. transire nunc *manus eadem corrigens scripsit supra* venire.

1148 Sept. tinus eum benigne suscipiatis et, honeste pro peticionis nostrae intuitu habitum, ad nos cum gaudio ipsum, vestrae benedictionis gratia communitum, in brevi remittatis.

---

117. *Canonici Paderbornenses Wibaldo de Folquini iniuriis significant. Rogant, hortetur Bernhardum episcopum, ut sibi subveniat.* (M. 97.)

1148 Domno W(ibaldo) omni veneratione dignissimo sanctae Corbeiensis aecclesiae abbati W(ino) prepositus, A(lmarus) decanus reliquusque sancti Liborii[1] pusillus grex, orationis et servitutis suae fidelem exhibitionem.

Quia post dominum nostrum episcopum in episcopatu nostro primum vos divina promovit ordinatio, idcirco in angustiis nostris ad vos confugimus potissimum, sperantes, a vestra prudentia nostris malis adhiberi medelam et consilium. Domnus Folquinus, gravis hospes pauperibus, nostris colonis frequenter incumbens pęcuniamque ab ipsis assidue set modo insolentius extorquens, tantum eos attenuavit, ut non modo debita sua nequeant persolvere, set etiam malint[a] ubivis gentium mendicare quam tantis pressuris deinceps subiacere. Ego quoque W(ino) prepositus, cum sim preter preposituram satis aecclesiae auctus beneficiis, de meo annuos prebendae supplendo defectus plus quam tribus mensibus, adeo rebus sum imminutus, ut nec fratribus amodo servire nec propriis valeam necessitatibus subvenire. Unde, cum primum videro faciem domini mei episcopi, tam honore quam nomine prepositi cupio carere et exui. Nam, quantum ego inopiae pauperum parcendo indulgeo, tantum prefatus domnus F(olquinus) diversis exactionibus instat atterendo. Unanimi igitur affectu pietati vestrae, sanctę pater, valido clamore supplicamus, quatinus dominum nostrum episcopum conveniatis et, sicut scitis et de vobis confidimus, commoneatis, ut aecclesiae suae in extremo laboranti subveniat, ne et nos neces-

a. malt̄ *c.*

1. Paderbornensis.

sario, sine quo militare nequimus, privemur subsidio, et domus Dei, deficientibus vel dispersis ministris, divino careat servitio. 1148

---

118. *Wibaldus canonicis Paderbornensibus respondet, se pro eis Bernhardo episcopo supplicavisse.* (M. 98.)

Reverendis in Christo patribus et dominis suis W(inoni) 1148
venerabili Patherbornensis aecclesiae maiori preposito et ceteris eiusdem[a] aecclesiae canonicis frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, magni consilii angelum.

Litteras universitatis vestrae accepimus, plenas anxii doloris, plenas sollicitae mesticiae, plenas gravis querelae, ex eo videlicet quod, sicut scripsistis, familia aecclesiae vestrae indebitis exactionibus affligitur et tam ad Deum quam ad vos clamare compellitur, quatinus eis auxiliatorem et protectorem provideatis. Magna utique calamitas, intolerabilis miseria, carere in obsequiis divinis necessario et constituto stipendio et tacite pati, ut familia aecclesiae opprimatur. Set vestra constantia diligenti consideratione precavebit, ne in illud propheticae exprobrationis elogium incidatis, quo dicitur: *Canes muti non valentes latrare*[1]; item: *Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis murum pro domo Israel, nec stetistis in prelio in die Domini*[2]. Et nos quidem, filiali et fraterno affectu vestris angustiis compatientes, omne incommodum vestrum domino et patri nostro episcopo suggessimus, supplicantes et hortantes eum, ut, quoniam divina largitas multa in eo preciosa munera contulit, que ad defensionem et decorem domus Dei possunt proficere, tota animi intentione ad repellendam hanc iniuriam et protegendam aecclesiam suam assurgeret, non defuturo ei nostrae parvitatis consilio et auxilio. Vobis quoque et toti sanctae matri nostrae Patherbornensi aecclesiae nostram facultatem, quantulacunque[b] est ingenii et rerum, fideliter et devote offerimus in hac tribulatione et in omni, que vos vexare temptaverit, vobiscum participanda. Ceterum pater et dominus noster episcopus ad suggestionem nostram benigne

a. eiusdem *bis legitur in cod.* b. quantulamcunque *cod.*

1. Isai. 56, 10. 2. Ezech. 13, 5.

1148 et clementer respondit, et plurimum vestris calamitatibus ex animo condoluit, promittens, se totum et res suas pro vestra liberatione et pauperum vestrorum, si opus fuerit, positurum et ex vestro potissimum consilio rem omnem tractaturum.

---

119. *Wibaldus G. aurificem hortatur, ut suscepta opera perficere festinet.* (M. 100.)

1148 Frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, dilecto filio suo G. aurifici salutem et benedictionem.

Solent homines artis tuae frequentius non observare promissa, dum plura ad operandum recipiunt, quam perficere possunt; radix omnium malorum cupiditas. Set tuum nobile ingenium, tuae alacres et illustres manus omnem falsae sponsionis notam effugient. Artem tuam fides commendet, opus tuum veritas comitetur, sponsio tua effectum obtineat, promissio tua tempori respondeat. Et haec quidem de promissi tui obligatione admonenda putavimus, quoniam de dolo et falsitate nulla suspicio est in tam elegantis ingenii domicilio. Quorsum haec? Videlicet ut operibus nostris, quae tibi facienda iniunximus, studiose insistas, nec aliqua interim assumas, quae perfectionem nostrorum impediant. Scis, nos esse currentis et celeris desiderii; et id, quod volumus, statim volumus. Seneca de beneficiis: *Bis dat, qui cito dat.* Posthac tibi prolixius scribere intendimus de cura et provisione domus tuae, de regimine et ordinatione familiae tuae, de observatione et disciplina uxoris tuae. Vale.

---

120. *G. aurifex Wibaldo respondet, accepta pecunia se opera acceleraturum esse.* (M. 101.)

1148 Domino suo W(ibaldo) Dei gratia Stabulensium et Corbeiensium abbati suus G. salutem et debitum servitium.

Monita tua, ex benivolentiae et sapientiae thesauro prolata, tum iocunde tum disciplinate suscepi; que nimirum acceptabilia tam rerum utilis gravitas quam mittentis fecit auctoritas. Igitur memoriae mandavi et quasi sub sera reposui, artem meam fide

commendare, opus meum prosequi veritate, sponsionibus meis 1148
effectum adhibere. Atqui non semper est in promittente promissa complere; plerumque enim in causa est is, cui promittitur, cum per eum evacuatur vel differtur promissio. Igitur si, ut dicis, currentis es desiderii, et quod vis, statim vis, accelera, ut ego in opere tuo curram. Nam curro et curram, nisi moram necessitas afferat. Marsupia enim nostra exhausta sunt; nemo eorum, quibus servivi, intulit quicquam. Hic[a] etiam, de quo pollicitus es mihi, luminaria uxori meae daturum, pene tenebras ingessit, dum expectatione beneficium suspendit. Igitur quia humana necessitas post exinanitionem gaudet repletione, consule necessitati, adhibe remedium, da cito ut bis des, et me fidum, constantem, postremo devotum operi tuo reperies. Vale. Considera tecum, quantum temporis sit a capite Maii usque ad festum sanctae Margaretae[1], et ex tunc usque ad festum sancti Lamberti[2]. Sapienti sat dictum est.

---

121. *Guido cancellarius papalis Anselmo episcopo Havelbergensi per Guidonem cardinalem, in Poloniam euntem, litteras mittit. Wibaldo salutem ascribit.* (M. 139.)

Karissimo fratri et amico A(nselmo) venerabili Havelber- 1148 Sept.
gensi episcopo G(uido), sanctae Romanae aecclesiae diaconus cardinalis[3] et cancellarius, salutem.

Cum tuam non possimus frequenter habere presentiam, scripta tua, tamquam personae vicem gerentia, leto corde suscipimus[b]. Per fratrem nostrum G(uidonem) cardinalem[4], qui ad partes Poloniae mittitur[5], litteras voluntatem nostram pro eo et de eo continentes[c] tibi direximus. Breviter vobis cuncta conplectimur, vestri memoriam gerimus, et ut vobis prospera cuncta succedant optamus. Communem amicum nostrum abbatem Corbeiensem nostro nomine salutate.

---

a. His *c*. b. suscepimus (i above e) *c*. c, continente *c*.

1. Iuli. 12. 2. Sept. 17. 3. SS. Cosmae et Damiani. 4. diaconum cardinalem S. Mariae in porticu. 5. circ. 13 Sept. 1148. V. Regesta pontificum Roman. n. 6453.

122. *Guido cancellarius papalis Anselmum episcopum Havelbergensem ad scribendum invitat. Salutem Wibaldo ascribit.* (M. 140.)

1148 Karissimo fratri et speciali amico A(nselmo) Havelbergensi episcopo G(uido), sanctae Romanae aecclesiae diaconus cardinalis[1] et cancellarius, salutem.

Attendentes ea, quae de dulcedine cordis tui sepe gustavimus, amicitiam inter nos per scripta presentia innovamus, optantes, ut statum tuum, quem prosperum esse cupimus, nobis quantocius studeas intimare. Communem amicum nostrum Corbeiensem abbatem per vos in Domino salutamus.

---

123. *Wibaldus Fuldensibus scribit, se die 21 m. Octobris Fuldae futurum non esse. Praepositum suum mittit. Concordiam papaeque obsequium suadet.* (M. 102.)

1148 Oct. Frater W(ibaldus) Dei gratia id quod est in aecclesia catholica reverendis in Christo patribus et fratribus suis B. venerabili decano, T. preposito et ceteris Fuldensis aecclesiae prioribus ac filiis, magni consilii angelum.

Venit ad nos Corbeiam frater vester Orthwinus, nulla nobis perferens[a] communium litterarum indicia, obnixe tamen universitatis vestrae petens alloquio, ut ad 12 Kal. Novembris[2] Fuldam ad vos veniremus, interfuturi collegio vestro, ubi de electione futuri abbatis tractare Deo auctore iustituistis. Nos itaque, fratres karissimi, licet animo essemus promptissimi ea exequi, que vestris iussionibus et communi utilitati essent accommoda, tamen magnis ac multiplicibus nostri monasterii detenti occupationibus, transire ad vos nequaquam potuimus, set, pro vobis ad divinam clementiam vota fundentes, nostri coenobii prepositum causa visitationis et consolationis ad vestrum conventum[b] direximus. Quicquid vero nostra parvitas presens excellentiae vestrae in hac causa posset suggerere, brevi sermone absentes explicamus: ut videlicet, remotis partium studiis,

a. p̄ferens *c.* b. conventum *posuit corrigens manus eadem super* collegium.

1. SS. Cosmae et Damiani. 2. 1148 Oct. 21.

omnes in concordiam unanimem Spiritu sancto mediante redeatis, omnes in Christo id ipsum sapiatis, omnes non necessitate solum set etiam voluntate iussionibus domni papae cum omni obedientia obtemperetis. Durum est contra stimulum calcitrare[1]. Non est, qui se abscondat a calore eius[2]. Summus pontifex est et preterea vester specialis dominus[a]. Fuldense monasterium beati Petri ac sanctae matris nostrae Romanae aecclesiae singularis possessio est. Domestica vos exempla sufficienter erudire possunt, quoniam concordia res parvae crescunt, discordia res magnae dilabuntur[3]. Dum in monasterio vestro pax et religio vigeret, Deo propicio res humanas moderante, crevit in immensum dignitas et possessio vestra. Quid vero nunc contumeliam et egestatem ac ruinam operetur, ex meliorum collatione veraciter intelligentia vestra potest colligere. Deponite nunc odia, reicite contentiones, Deum pre oculis habete. Siquidem maledictus homo, qui confidit in homine et ponit carnem brachium suum[4]. Estote filii pacis et viri consilii, memores verborum sancti papae Leonis: *Difficile est,* inquit, *ut bono peragantur exitu, que malo sunt inchoata principio.* Valete, et in hac tam difficili causa sancti Spiritus assit vobis gratia. 1148 Oct.

---

124. *Stabulenses Wibaldum consulunt de fornagiis ab Odilia ecclesiae donatis.* (M. 103.)

Reverendo in Christo patri et domino W(ibaldo) Stabulensis aecclesiae venerabili abbati humilis eiusdem aecclesiae congregatio fidelem dilectionem et debitam per omnia subiectionem. 1148

Memores, pater amantissime, piae benignitatis vestrae qua assidue iocundamur, et pre oculis cottidie habentes paternae sollicitudinis vestrae certos fructus et semper valitura monimenta, quod solum possumus, calicem salutis accipiendo et nomen Domini invocando, pro vestra incolumitate vestrisque successibus iugiter Dei misericordiam supplices exoramus. Inde est, quod paternitatis vestrae presentiam continue desideramus; inde est,

a. dominus *addidi.*

1. Act. apost. 9, 5. 2. Ps. 18, 7. 3. Sallust. Iug. 10. 4. Ierem. 17, 5.

1148 quod absentem semper diligimus et veneramur, timemus et amplectimur. Salutantes itaque etiam nunc unanimiter dulcedinis vestrae ubertatem, ad unicum protectionis vestrae refugium confugimus, significantes vobis, quod dilecta nobis Odilia[a], coniunx quondam Anselmi villici, in articulo mortis constituta, ceteris rebus suis ordinatis, fornagia, que ex vestro beneficio in villa nostra Stabulaus tenebat, in manibus aecclesiae pro remedio animae suae et salute pie memoriae Anselmi villici contulit, ita videlicet: ut, si vestris patrociniis fulti donatione sua frui possemus, rata quidem haberetur; sin autem, pro decem libris denariorum in pignore constitutum beneficium[b] suum teneremus. Nos itaque, dum adhuc eadem vivit matrona, consilii vestri solitam clementiam super hoc pie invocamus genibusque vestris humiliter provoluti intime petimus, ut vestris adiutoriis et defensionibus non fraudetur aecclesia a desiderio, quod tanto tempore desideraverat. Nam soror eiusdem Odiliae Margarita et vir eius Anselmus atque villicus Malmundariensis multis minis ad hoc, ut donationem, vice vestra susceptam, reiciamus, nos deterrere conantur; modo filio Walteri de Rulant idem beneficium se daturos promittentes, modo a domno Lamberto villico vestro de Baldou decem libras denariorum pro ipso beneficio se accepturos minitantes. Super his itaque omnibus consilii vestri oportunitatem per dignationis vestrae rescripta imploramus, quo si fruimur, minas occursantium nobis parvi pendimus. Ceterum si huc usque in aliquibus defectibus constituti fuimus, deinceps per Dei misericordiam meliora speramus. Paternitatem vestram semper nobis utilem Deus et incolumem custodiat.

---

125. *Wibaldus Stabulensibus respondet, ut fornagia ab Odilia oblata recipiant.* (M. 104.)

1148 Frater W(ibaldus) Dei gratia id quod est in aecclesia catholica R(oberto) venerabili decano et ceteris in Christo dilectis filiis et fratribus, qui sunt in congregatione Stabulensi, benedictionem et vitam usque in seculum.

a. Odilia *addidi*. b. beneficium *addidi*.

Grata nobis valde est et iocunda ea rerum oportunitas, que 1148
nobis facultatem subministrat, ut vestrae universitati scribere immo vero tanquam cum presentibus colloqui et affectum depromere valeamus; et ea nobis materia illustrior est et acceptior, que, deterso animi nostri angore, serenum quiddam atque tranquillum menti nostrae copiosius infundit. Quod utique uberiore gratia totiens fit, quotiens statum vestrum tam in personis quam in rebus absque ullius iacturae graviori detrimento procedere intelligimus. Consuetam circa nos animorum vestrorum sinceritatem et cottidianis incrementis sese transcendentem benivolentiam in litterarum vestrarum tenore accepimus. Et licet tantis laudum preconiis iudicemur indigni et nostra merita circa aecclesiae vestrae augmenta et utilitatem nequaquam recognoscere presumamus, tamen divinae gratiae, cui totum quod sumus asscribimus, toto cordis affectu et vocis ministerio gratias referre non cessamus, quod mentis vestrae desiderium erga personae nostrae licet vilis et exiguae amorem habundantius accendit, nec ex diuturnitate fastidium neque ex assiduitate contemptus neque ex occasione novitas in vestrum collegium subintravit, set propensiore karitatis vinculo et vosmet ipsos invicem et nos, omnes et singuli, et honorando diligitis et diligendo honoratis. In quo sanctissimae unitatis glutino solidius coniuncti, et adversa mundi huius, que vos et vestra crebris et validissimis ictibus quatiunt, fortiter toleratis et, incommodis rerum defectibus indesinenter molestati, augere tamen et provehere domus Dei decorem non cessatis. Quodsi inter vos aliquis discordiae nevus appareret et vos aliqua novitatum ambitiosa macula sordidaret, non dicimus crescere, set ne stare quidem possetis. Ceterum quod de utilitate communi nostrum consilium et mandatum expectastis, non arbitramur factum esse ex diffidentia impetrandi set potius ex alacritate obediendi. Siquidem animus noster iam a longo tempore vobis est notissimus, quod promta et facili voluntate, quicquid a laicis extorquere potuimus, vestris et pauperum usibus, habito pre oculis divini respectu iudicii, coaptavimus. Confidentes igitur de protectione divina et de nostrae

1148 parvitatis subsidio, possessionem illam de furnagiis[a] ab illa matrona Odilia, sive defuncta sive adhuc vivente, ad usum monasterii revocate, et maxime ad sustentationem pauperum, in quibus Christus presentialiter recipitur et alitur. Etenim tam apud Deum maior merces et copiosa retributio pro hoc vobis exhibebitur, quam apud homines facilior excusatio et suffragium devotius et defensio robustior obtinebitur. Nos, quod vobis cordi est, in tantum valemus, in quantum vos valere cognoscimus; et esse vobiscum omni tempore, si fieri apte posset, desideramus. Minae hominum venti sunt. Iure gentium licet vim vi repellere. In atrio vestro et in manibus vestris res posita est. Misimus vobis in maiore scedula quasdam questiones, que nuper apud nos Corbeiae exortae fuerunt.

---

126. *Wibaldus Stabulensibus significat de tribus seditiosis monachis Corbeiensibus; quos quidem a se expulsos recipi vetat.* (M. 105.)

1148 Oct. Frater W(ibaldus) Dei gratia id quod est in aecclesia catholica R(oberto) venerabili decano et ceteris in Christo dilectis filiis et fratribus Stabulensis coenobii monachis benedictionem et vitam usque in seculum.

Licet modis omnibus iustum sit, ut pro filiali affectione, qua nostrae parvitati artiore vinculo copulamini, omnia nostra vestrae conscientiae debeant esse nuda et aperta, tamen aliquantulum erubescimus infirmiora Corbeiensis monasterii vobis detegere, nisi quod vestra interest omnium rerum nostrarum habere noticiam. Et nos contra obloquentum detractiones famam nostram tueri et conservare studemus. Etenim juxta beatum Augustinum[1] crudelis est, qui famam negligit; et gentilis ille doctissimus Cicero dicit, famam esse non mediocre telum ad res gerendas[2]. Ob hoc etiam vestrae noticiae ista non esse subtrahenda sumus arbitrati, quod quidam de fratribus Corbeiensibus exierunt a nobis, set non erant ex nobis; et propter institutae fraternitatis for-

a. *sic est corr. in cod.* fornagiis.

1. in sermone 355 c. 1 (Opp. S. Augustini ed. Caillau T. XXI. p. 348).

2. Cic. de amicitia 17, 61.

mulam inter Stabulense et Corbeiense monasterium, vel apud vos licitam et tutam mansionem habere vel per intercessionis vestrae gratiam regressum ad suos fratres obtinere se posse existimant. 1148 Oct.

Longam itaque actionis seriem compendiosa vobis narratione pandemus. Cum anniversaria dies obitus predecessoris nostri abbatis Heinrici[1] a nobis Corbeiae christiano more celebraretur[2], tres ex iuvenibus fratribus nostris a conventu nostro et exequiis, quas defuncto abbati impendebamus, sese ex deliberatione et condicto subduxerunt. Interrogati a nobis, cur ita fecissent, responderunt, se tute non posse orare pro excommunicato, cuius cadaver contra canonicam iusticiam esset humatum intra aecclesiam. Quesivimus a reliquis fratribus — omnes enim aderant, senes cum iunioribus — an huic sermoni assensum preberent? Negatum est ab omnibus, tale et tam inauditum verbum ex sua coniventia processisse, precipue cum idem abbas Heinricus, quem nunquam fuisse abbatem tres illi temeraria presumptione affirmabant, nequaquam, dum adviveret, de crimine aliquo fuisset convictus vel confessus, set ne pulsatus quidem ordine iudiciario. Rogabant omnes, ut sui misereremur. Erant enim perniciosi illi tres in congregatione discordes, elati, et ad omnem ordinis ruinam et claustralem disciplinam destruendam audacter promptissimi, et ex longo tempore iam propter bonum pacis, multorum reclamante consilio, longanimiter a nobis tolerati. Conversi etiam nunc ad patientiam et paternum induentes animum, coepimus eos mansuete et instanter admonere, ne ambularent in magnis et in mirabilibus super se[3], deponerent odia veternosa, que in aeternum trahunt interitum, cessarent persequi cineres mortui hominis, desisterent scandalum facere nobis et fratribus suis. *Invenimus* inquam *hic electi et vocati ac venire ex obedientia iussi, aecclesiam hanc absque ullius contradictione divina celebrantem officia; et iam per biennium, ex quo ille vita decessit*[4], *nullas a prelatis nostris accepimus litteras vel mandata, in quibus de excommunicatione personae illius vel de eiectione corporis ipsius contineretur. Dominus in euan-*

1. II. 2. 1148 Oct. 8. 3. Ps. 130, 1. 4. 1146 Oct. 8.

1148 Oct. 8 *gelio dicit beato Petro: »Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis«*[1]. *»Super terram« inquit, non »sub terra«, quoniam viventes et non mortui debent excommunicari vel absolvi. Et Salemon ait: »Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit«*[2]. *Quod Hiezechiel propheta multis verbis ac sententiis explanat, ut in ipsius volumine invenietis, finem vitae in cunctis asserens potius iudicandum quam vivendi principia. Beati Leonis papae et sancti Gelasii papae sententia est: »Quibus vivis non communicamus, nec mortuis communicare possumus«. Proinde nostrae parvitati consequens videtur, ut, quos vivos a communione christiana non alienavimus, nec mortuos excommunicemus. Multae paleae sunt in area, quibus necdum accessit ventilabrum.* Verum in his et huiusmodi exhortationibus tres illi more aspidis surdae et obturantis aures suas[3] non audiebant vocem incantantis[4], set orabant enixius, ne ipsis violentiam inferremus, asserentes, dominum illum non esse abbatem nominandum nec in abbatum numero reputandum pro eo, quod dominum suum deposuerit et in sede sua sederit contra canones. Etenim karissimi fratres, quod inviti loquimur, apud eosdem fratres — sicut in plerisque claustris quae regiae ditioni et ordinationi subiecta sunt — nullus de regula sermo, nulla de consuetudine Cassinensi vel Cluniacensi seu antiquorum monasteriorum mentio, set canones, decreta, appellationes, concilia, iura, leges, condempnationes, taliones, argumenta, probationes, infamationes assidue loquuntur, cottidie novos abbates, novos priores habere desiderant. Nullus prepositus, nullus cellerarius placere potest. Panis, cervisia, pulmentum semper in culpa est. Villicationes, beneficia principum et ministerialium ordinant. Haec prima in capitulo dicendi inicia, in his diem consumunt. De moribus, de religione, de patientia et humilitate, de obedientia et caritate nullum unquam verbum; de vestitu moderato, de tonsura et incessu prorsus extincta memoria est. Et cum omnia die ac nocte pervertant, tamquam censores et homines castiga-

1. Matth. 16, 19. 2. Eccle. 11, 3. 3. Ps. 57, 5. 4. Ps. 57, 6.

tissimi omnia primi reprehendunt, ne ipsi reprehensibiles reprehendantur. Postquam in admonendo longam frustra operam consumpseramus, tandem, ne auctoritas capituli ludibrio haberetur: *Quia* inquam *medicinam non recipitis, set potius in amentiam conversi in medicum insanitis, iam incumbit vestris ceptis, ut fratres vestros aliena communione pollutos comprobetis — nos enim innocentes erimus pro eo, quod vicium hoc in congregatione ista nunc primum cognovimus — aut non solum inobedientes ac rebelles quin etiam profani et sacrilegi apparebitis in eo, quod mortuos iniquo odio persequimini, cum Salemon doceat, ne laetandum quidem in morte inimicorum*[1]. *Quid igitur commisit H(einricus) abbas, aut in quo christianae professionis propositum et canonicae institutionis tramitem excessit, ut excommunicationis laqueum incideret?* Ad haec illi testabantur: quod, cum beatae memoriae domnus cardinalis Thomas, apostolicae sedis legatus, instituisset iudicare de illo Heinrico[2], qui ab ipso depositus aliquando Corbeiensi prefuit monasterio, cum accusatio esset ordinata et lis coram ipso contestata, cum ipse iudex presideret, ad tuendam innocentiam suam sub stola sua coram omnibus excommunicavit, ne quis pro eadem causa pecuniam daret vel acciperet; ceterum idem Heinricus[3], de quo agitur, postmodum publice confessus est, quod pro eodem negotio sex marcas argenti predicto domno cardinali dedisset. *Ergo* inquam *blasphemia vestra grandior est et horribilior; quia lingua vestra non solum transit in terra ad eruendos cineres in pace aecclesiae defuncti sacerdotis, set etiam posuistis in coelum os vestrum, sanctam matrem nostram Romanam aecclesiam in crimen heresis trahendo.* Sciscitato itaque fratrum nostrorum consilio, iussimus eos in infirmariam secedere, quatinus ex maiori mora deliberationis, quid agendum esset, providere possemus. Quod cum facere rennuerent, interdiximus fratribus in virtute obedientiae, ne illis presentibus divina celebrarent officia. Unde compulsi a fratribus, mansionem sibi deputatam erecta cervice introierunt. In qua domo cum obedientiam non servarent set potius cachinnis et irrisionibus

1148 Oct. 8

1. Prov. 17, 5. 2. I. 3. II.

1148 Oct. vacarent et huc illucque vagabundi discursitarent, ex sententia priorum non esse bonum iudicavimus, sumere panem filiorum et mittere canibus[1]; atque ita inpoenitentes immo aperte rebelles de congregatione et claustro non sine dolore et lacrimis emisimus.

Ceterum ut noverit vestra discretio, cuius opinionis cuiusve sanctitatis essent hi graves et severi homines, qui mortuorum meritis inquinari se arbitrabantur: primus eorum nomine Evernandus, a iuventute sua discors et evirati gestus atque incessus, tempore Heinrici iunioris, qui tunc Corbeiense monasterium tenebat, libro uno furtim sublato sacrilegium perpetravit; pro quo penae addictus sub manu prefecti, nullo pro eo intercedente set tamen plerisque propter ordinis infamiam erubescentibus, fugere permissus est; quem nos, omnem correctionem cum omni instantia promittentem, pro suprema misericordia, ne periret, in claustro recepimus. Secundus ex tribus nomine Adelbertus en altera vice levavit calcaneum suum adversus decreta et opus sacrosanctae matris nostrae Romanae aecclesiae, adherendo illi Heinrico, quem domnus Thomas cardinalis, apostolicae sedis tunc legatus, de symonia convictum et confessum deposuerat et sententiae non parentem quin immo rebellem et rerum aecclesiasticarum pervasorem iudicio sancti Spiritus excommunicaverat; pro qua re idem Adelbertus postmodum publice poenitens et ab excommunicatione, qua maculatus erat, absolutus a predecessore nostro, quem ipse nunc exsepelire moliebatur, vix post longam humilitatis speciem in communione fratrum et congregatione est receptus. Tercius eorum Godescalcus, a suis coaetaneis cellerarius monasterii contra seniorum consilium, antequam regimen ipsius monasterii suscepissemus, satis irrationabiliter institutus, consumpsit substantiam monasterii vivendo[a]; de cuius vita et moribus tacere quam loqui honestius est.

Hos tres, si ad vos forte venerint, indignos vestra humanitate iudicabitis, nec vestrae cum Corbeiensibus sodalitatis constitutio[2] in tantum extendetur, ut tales fovere, vel nobis ac monasterio quondam suo reconciliare, ullo modo consentiatis.

a. *sic c.*

1. Matth. 15, 26. 2. Cf. ep. 50 supra p. 128. 129.

127. *Wibaldus H. monachum Stabulensem ad scribendum hortatur; utque libro quodam formando insistat.* (M. 106.)

Frater W(ibaldus) Dei gratia id quod est karissimo in 1148
Christo filio suo H. benedictionem.

Scribimus tibi en altera vice, et studium tuum excitamus et responsionem sollicitamus et vicissitudinem flagitamus. Verum quod nec calami nec atramenti responsione nunc uteris, ratio tui silentii nos edocere estimatur, quod actu et ipsa re magis loqui nobis contendis quam articularibus et vocalibus instrumentis, iuxta illud Iohannis apostoli: *Non diligamus verbo neque lingua, set opere et veritate*[1]. Siquidem quod in domo Domini ad salutem animarum, ad refrigerium et valitudinem corporum edificare inchoavimus, tu perficis, inperfecta consummas, neglecta ornas, dissipata resarcis, dispersa congregas et congregata conservas. Benedictus tu, fili mi, a Domino, qui patrem tuum honoras, qui preceptorem tuum diligis, qui eruditorem tuum foves, nutritorem amplecteris. Legem implesti, monasterium tuum auxisti, aecclesiam Dei decorasti. Scribe tamen nobis stilo hominis[2] cum calamo operis. Molles auriculas habent domini, habent divites, adulatione capiuntur. Set sicut illa a tuis sanctis moribus longe exulat et prorsus extranea est, ita nos non eam amplectimur, set amicorum nostrorum visitatio et scripturae dulcis confabulatio pro patria nobis est, consolatio nobis est, munimentum nobis est. Scribe igitur, ut preteritae cessationis veniam capias, ut laus tua nunquam deficiat ob ore nostro, ut respondeamus tibi etsi non diserte tamen affectuose. Provocet te nostrum exemplum, incitet imitatio, accendat sollicitudo. Tantis et tam amaris occupationibus distracti, animum colligimus, manu propria scribimus; et tu iuvenis et expeditus cessas. Set in opere, quod tibi scribendum et etiam dictandum iniunximus, volumus te intentam dare operam, ut de ingenio tuo perhennem fructum capiamus, sicut in opere manuum non mediocriter gaudemus.

1. 1 Ioh. 3, 18. 2. Isai. 8, 1.

128. *Fuldenses Wibaldum precantur, ut abbatis eligendi causa die 4 Novembris ad se veniat.* (M. 107.)

1148 Oct. W(ibaldo) sanctae Corbeiensis aecclesiae religioso abbati exigua Fuldensis congregatio, G. advocatus cum omni familia sancti Bonifacii devotissimae servitutis et orationis obsequia.

Quoniam in tribulationibus et angustiis, quae invenerunt nos nimis his diebus, paternum affectum vestrum diversis beneficiis sumus experti, de habundantia vestrae pietatis non possumus esse incerti. Quapropter solita erga nos usus gratia, pii patris ostendite karitatem et nobis, ex merito iniquitatis nostrae tribulatis, pridie Nonas Novembris ad nos veniendo succurrere non differatis. Sumus enim parati preceptis domni papae in eligendo abbatem obedire. Idcirco vos aliosque religiosos abbates, a domno papa ad eandem electionem predestinatos, litteris nostris vocare ratum duximus. Set quia post Deum maxime in vobis confidimus, paternitatem vestram iterum atque iterum humiliter imploramus, ut ad supra dictum terminum ad nos venire non pigritemini et nobis consulendo et auxiliando subvenire non dedignemini.

---

129. *Fuldenses a Corbeiensibus petunt, rogent Wibaldum, ut Fuldam veniat.* (M. 108.)

1148 Oct. Venerabilibus dominis et confratribus nostris sanctae Corbeiensis aecclesiae Fuldensis congregatio sinceritatem fraternae dilectionis in Christo.

Fraternis consolationibus vestris, que plene laetificaverunt animas nostras, condignas grates referre nequimus, quia miseria et afflictione inebriati iam experimento didicimus, quod longe est a peccatoribus salus. Attamen si Pater misericordiarum et Deus totius consolationis per divitias gloriae suae nos aliquando dignatur consolari, pro nimia in nos fide vestra ac devotione memoriale vestrum apud nos peramplius et perfectius erit in benedictione. Oramus ergo beatitudinem vestram, ut domnum abbatem tempore sibi a nobis designato ad nos venire absque ulla occasione rogare curetis, quatinus eius consilio et auxilio

cor contritorum vivificetur et spiritus merentium relevetur. Nos 1148 Oct.
enim queque fraterna et amicabilia de vobis speramus.

---

130. *Odo abbas S. Remigii Remensis Wibaldo de Stephano monacho die 14 m. Octobris mortuo significat.* (M. 110.)

Reverendo patri et amico W(ibaldo) Dei gratia Sancti Remacli venerabili abbati et eiusdem aecclesiae priori omnique conventui frater O(do) eadem gratia Beati Remigii[1] humilis minister, sicut cedrum Libani multiplicari in domo Domini. 1148 Oct.

Cum nobis sit insolitum, maxime fratribus et amicis nostris, aliquod sinistrum insinuare vel mandare, tamen, quoniam terminos Domini nullius est terminare, mandamus, fratrem Stephanum, nostrum monachum et vestrum, hominem exisse[a], quatinus ei sicut et nos obsequium persolvatis et domui vestrae, que nunc caret provisore, de cetero provideatis. Depositum vero illius, quod ipso dictante supra pectus eius scriptum est, in istis plicatum litteris vobis transmittimus. Valete. Pridie Idus Octobris obiit Stephanus monachus professus Sancti Remigii Francorum apostoli.

---

131. *S. monachus Stabulensis Wibaldo respondet de Godino villicationi imponendo et de pasnagiis exigendis.* (M. 109.)

Domino et patri suo karissimo W(ibaldo) venerabili Stabulensi et Corbeiensi abbati frater S. Dei et sua misericordia id quod est, obedientiae subiectionem, dilectionis devotionem, orationum participationem et, ut breviter dictum sit, se ipsum cum suis omnibus. 1148

Litterae humilitati meae nuper a vestra magnitudine directae tantam mihi vim et audaciam in Domino contulerunt, ut securius ambulem noverimque procul dubio, ex tunc res mihi prosperius cedere. Pro quibus gratias vestrae celsitudini referens, hoc solum Deum omnipotentem supplex deposco, ut talem me facere dignetur, qui vestro contubernio et tam dulci exhor-

a. *sic c.*

1. Remensis.

1148 tatione diu perfrui merear. Verum quanto fervore vestram requiram presentiam, adventum desiderem, non credo vestram ignorare scientiam, quippe cuius et sustentor auxilio et delector consilio. De eo autem, quod mihi iniunxistis, ut Godinum de Barsiez villicationi in Lemgum imponerem, preceptum quidem vestrum rusticis annuntiavi, set minime obtinere potui, ut eundem G(odinum) reciperent, usque ad vestrae presentiae discussionem. Cum vero instarem, ut iussio vestra impleretur, advocatum adierunt; et sic omnia, non tamen sine magno rerum nostrarum dampno, dilata sunt et contentiose relicta usque ad vestram presentiam. Quicquid tamen vel scripto vel verbo mihi mandaveritis, ego adimplere pro posse et nosse meo paratus sum. De cetero de pasnagiis[1], pro quibus mihi scripsistis, ut exigerem et comportarem, pauca quidem sunt, set eadem non solum devote et sollicite exigam set etiam fideliter congregabo. Paternitatem vestram nobis et aecclesiae nostrae utilem multis annis Deus incolumem conservare dignetur. Amen.

---

132. *H. monachus Stabulensis Wibaldo de sua erga eum pietate et obedientia respondet.* (M. 111.)

1148 Reverentissimo patri suo et domino W(ibaldo) venerabili Stabulensis aecclesiae abbati exiguus H., quicquid tanto ac tam dilecto patri humilis debet monachus et devotus filius.

Lectis, amantissime pater, sanctitatis vestrae monitis[2], quibus meam impericiam instruere, desidiam redarguere, stulticiam reprehendere dignatus estis, multo repletus sum gaudio, quippe qui nihil me esse fateor, nisi quamdiu a vestra magnitudine diligi, foveri, sustentari mereor. Quia igitur parvas immo nullas aliquando vestris multis beneficiis recompensare potero vices, in hoc saltem meam circa vestram celsitudinem experiemini benivolentiam, quod vobis, quamdiu superero, artis meae obsequio, etsi minus celeriter, devote tamen et infatigabiliter serviam. Aliud enim in persona mea nescio, quod vestrae placeat celsitudini. De cetero iuxta admonitionis vestrae diligentiam, otii

1. tributo saginae porcorum imposito. 2. v. ep. 127 supra p. 205.

vitium pepuli, fabulis, si quando vacavi, iam non intersum, vagationibus finem dedi. Et e contrario intendo scripturae, chorum frequento, scolae petitione fratrum sub magistro meo Heinrico deservio, qui nuper edificia infirmariae mirifice consummavit. Denique hoc solum restat, quod vestra presentia careo, qua habita, nihil mihi deesse arbitror, et ut ea cito perfruar, Dei omnipotentiam exoro. Melotam[1] tum pro vestra dilectione tum pro sui utilitate non modicum diligo. Valeat paternitas vestra in Domino. 1148

---

133. *Bernhardus episcopus Hildesheimensis a Wibaldo petit, ut Heinricum I quondam abbatem Corbeiensem Corbeiam recipiat.* (M. 129.)

Bernardus Dei gratia Hildenesheimensis aecclesiae minister humilis venerabili fratri Wiboldo Corbeiensi abbati sincerum in Domino fraternitatis ac dilectionis affectum. 1148 c. Oct.

Luctuosus ac varius humanarum calamitatum eventus nos ammonet, afflictis compati et, in aliorum pressura dolorem nostrum vel laborem considerantes, contritos corde pro posse nostro consilio atque auxilio sublevare. Frater itaque Heinricus quondam abbas Corbeiae, nunc autem manu Domini humiliatus, ad nos confugiens, obsecrat, ut nostro interventu misericordiam apud vos inveniat, videlicet ut et in claustrum professionis suae benigne illum recipiatis et paterna consolatione contricionem eius sublevando foveatis. Et quia forte suspicioni vobis est, ne controversiam persone vestrae apud aliquos vestratum interiores vel exteriores generet, quamcumque dignam[a] iudicaveritis, de hac causa certitudinem et perseverantem obędientiae subiectionem ab eo recipietis. Peto igitur, ut, quod per nos obtinere se posse confidit, dilectionis vestrae benivolentia consequatur. Valete.

---

134. *Bernhardus episcopus Hildesheimensis Corbeienses hortatur, ut pro Heinrico I quondam abbate Corbeiam recipiendo apud Wibaldum intercedant.* (M. 130.)

B(ernardus) Dei gratia Hildenesheimensis dispensator humilis 1148 c. Oct.

a. dignum *c.*

1. ursum melem, Dachs.

1148 c. Oct. dilectis fratribus Corbeiensibus, ire de virtute in virtutem, donec videant Deum deorum in Syon.

Sicut in detrimento gregis sancti religiosorum mentibus gravis oritur mestitudo, sic in recollectione dispersorum leticia generatur et gratiarum actio. Frater igitur H(einricus) quondam loci huius abbas, modo vero iudicio Domini depressus, ad vos redire desiderans, nostra intercessione apud vos commendari flagitat, ut et ipsi fraterna compassione nostrae dilectionis respectu eum recipiatis et domni abbatis affectum, pietatis mediatores, illi concilietis. Si quem vero vestrum fortasse sua qualibet culpa in aliquo contristaverit, et ipse pro posse satisfaciet et vestra caritas, eius quam passus est calamitati compatiens, pie remittet. Valeant itaque apud fraternitatis vestrae dilectionem pietatis et iusticiae preces, ut, quod per nos optinere nititur, effectu desiderato consequatur. Deus pacis sanctificet vos per omnia.

---

135. *Fridericus abbas S. Godehardi Hildesheimensis Wibaldum rogat, ut Heinrico I deiecto abbati Corbeiensi reconcilietur. Addit de abbatum conventu et de rebus Fuldensibus.* (M. 117.)

1148 Nov. Domino suo venerabili Corbeiensi abbati W(ibaldo) F(ridericus) Beati Godehardi[1] qualiscunque servulus, quod spes non confundens promittit Deum diligentibus.

Ex quo noticiam vestri, brevi licet temporis articulo, nuper accepi, ita vobis cordetenus adhesi, ut, si fieri posset, lateri vestro famulus indivisus adherere vellem. Set hoc quia fieri posse non video, litteris et presentia quoque corporali, cum fuerit oportunum, vos frequentius visitabo. Ceterum de domno Heinrico exabbate, quem in conventu vestro causatus estis scandalo vobis esse pro posse suo, noveritis, quia, postquam a vobis redii, continuo per prepositum Richenbergensem[2] G(erhardum)[3], cum quo tunc morabatur, pro hac causa eum obiurgavi et monui. Ille vero, non quidem per omnia se in hac causa insontem, ut

1. Hildesheimensis. 2. Richenberg est prope Goslariam. 3. fuit Gerhardus et Richenbergensis et Stederburgensis praepositus. V. Annal. Stederburg. (Mon. SS. XVI. 204 sq.).

mihi videtur, recolens, hoc solum respondit: quod, si quid, licet 1148 Nov.
minimum, verbis in vos excesserit dolore depressionis suae, de cetero gratiae vestrae ita reconciliari desideret, ut amplius sui culpa nullatenus a vobis elongetur. Pro hac compositione litteris semel et secundo, deinde frequenter viva voce me interpellarunt ipse et prepositus, cum vos regulum novum adissetis, ut me interponerem mediatorem, obtestantes hoc per eum qui vera pax est Christum, et intuitu premii quod in euangelio beatis pacificis[1] ille promisit. Itaque cum illo et pro illo genibus vestrae paternitatis procumbens, obsecro, ut ei reconciliemini et, quod facile vobis est, ei assistatis in causa[2], quam per baiulum litterarum secretius vobis mandavi. De hoc responsum vestrum expecto et litteras, si vobis ita placet, ad marchionem[3]; quarum rescriptum ego videam. Confido enim, vobis in hac parte licere, quod vultis. De conventu abbatum quid egerimus, nostis; set quidam nostrorum abbatem Huiusbergensem[4] expectandum aiunt, qui cito, ut speramus, a domno papa redibit. Audio, quia Fuldae fuistis[5]; ubi quid agatur vel agendum sit de abbate loci, si placet, nobis renuntiabitis. Valeat in Domino dilectissima mihi sancta paternitas vestra.

---

136. *Wibaldus Friderico abbati S. Godehardi Hildesheimensi de Heinrico I deiecto abbate Corbeiensi respondet.* (M. 118.)

Reverendo in Christo patri F(riderico) aecclesiae beati Go- 1148
dehardi venerabili abbati frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in catholica aecclesia, orationem cum vera dilectione.

Sinceritatis vestrae apices plenos iocundae consolationis, plenos gratiae, accepimus; in quibus quasi quodam coelesti munere et divinae pietatis dono exhilarati sumus. Nam laudatio vestra plenos nos bonae spei effecit, quoniam karitas Dei, quae diffusa est in vestro corde per Spiritum sanctum, qui habitat in vobis, usquequaque falli non potuit, quin aut presentia aut

1. Matth. 5, 9. 2. Aldeslevensi. V. eam quae sequitur epistolam. 3. Adelbertum, marchionem Brandenburgensem. 4. Ekbertum. 5. Nov. 5—6.

1148 procul dubio futura bona predicanda in nobis estimaretis. Sane conscientia nostra graviter nos impugnat et accusat neque nos, non dicam vestra, set nec cuiusquam quidem infimi hominis commendatione dignam se arbitratur[a]. Verumtamen quoniam sic de nostra parvitate vobis sentire visum est, enitemur id esse quod vos affirmatis, studebimus conformes fieri gratiae quam vos predicatis. Caeterum de domno illo Heinrico, qui aliquando prefuit Corbeiensi monasterio, cui nunc nos Deo auctore deservimus, vestrae benignitati respondemus, quod, cum in mul-
1146 tis accusaretur tam de violenta intrusione sua quam de aliis
Mart. quibusdam capitulis, nos non solum absentes verum etiam omnium istarum rerum ignari et longe positi in curia domni
Mai. Iun. papae eramus; et post sex fere mensium spacium, sepe vocati et venire iussi et ex parte non modica coacti, ad regimen Corbeiensis aecclesiae non absque cura et sollicitudine et gravi ti-
Dec. more accessimus, cum tamen inter ipsius depositionem et nostram ordinationem medius quidam[1] unanimi et concordi fratrum electione fuerit promotus. Nostram itaque innocentiam, qui ei ante dum frequenti accusatione pulsaretur studiose astitimus, ipse fatigavit et, inobediens Romanae aecclesiae et ipsius decretis minime obtemperans, ore in coelum posito, scandala inter fratres nostros seminavit et, quantum in ipso fuit, materiam modis omnibus dedit, quominus regularis disciplina et ordo monasticus debito et canonico tramite in monasterio nostro procederet. Et illis quidem reconciliatus est, qui erant ei, dum presideret, in presentia blandi in absentia mordaces, qui eum cogebant quasi consilio salutari illa facere, quae[b] ipsi mox reprehendentes accusabant et, cum essent malorum auctores, eum in ius tanquam nocentem trahebant. Nobis vero infestus est, qui cum nunquam ne verbo quidem scientes offendimus et qui, si fieri posset salva religione et honestate nostra, mallemus abesse quam in tempore tantae perturbationis preesse. Super hoc vero, quod, sicut in vestris litteris habetur, nobis recon-

a. *sic cod.* b. qui *c.*

1. Heinricus II abbas Corbeiensis.

ciliari desiderat, plurima nobis sollicitudo imminet, quis sensus 1148
queve sententia sub verbo reconciliationis contineatur. Quoniam testis est nobis conscientia nostra, quod nihil in eum peccavimus. Si vero ipse in nos deliquit, totum ei ex corde perfecto ob divini respectum amoris indulgemus, et tam in anima quam in corpore vera ei bona provenire exoptamus, nec invidemus ei, si, salva pace nostra et monasterii nostri cautela, foecundior ei quies aliqua concedatur; siquidem et nos homines sumus et cum hominibus flagellati et humani aliquid alienum a nobis non sentimus. Set de litteris marchioni[1] Adelberto super ipsius negotio mittendis, non facilis nobis ad consilium via fuit pro eo, quod idem marchio, vir sane prudens, totius honestatis et disciplinae speculum, nos nequaquam super eodem verbo consuluit, cum tamen sit nobis intima fide[a] et familiaritate coniunctus. Porro aecclesia Romana hoc pre cunctis mortalibus privilegium in terris post Deum obtinuit, ut sola cum ipso dicere possit: *Ego occidam et ego vivere faciam, percutiam et ego sanabo*[2]. Que est igitur fortitudo nostra aut virtus, ut erigere possimus, quem manus elisit omnipotentissima? Et ipse quidem domnus Heinricus, cum fuerit ab apostolicae sedis legato[3] excommunicatus et ab omni tam abbatiae dignitate quam aecclesiastico officio depositus, nullas reconciliationis suae litteras a Romanae aecclesiae clementia retulit, fortassis quia secundum morem et instituta sedis apostolicae iurare tactis sacrosanctis euangeliis noluit, quod de cetero Corbeiensem aecclesiam nec per se nec per submissam personam vexaret. Tum vero in sinodo Remensi, que proxime celebrata est, domnus papa tam Apr. 5
verbo quam scriptis confirmavit[4] sententiam legati sui magistri Thomae, quam in predictum H(einricum) dictaverat; set ipse, ut dictum est, et a gradu et ab ordine aecclesiastico eum deposuit et, tanquam inobedientem immo vero aperte rebellem, anathematis sententia perculit. Quantum vero piaculum sit illud recipere quod Romana aecclesia respuit, sacrorum canonum pa-

a. fidae *c.*

1. Brandenburgensi. 2. Deut. 32, 39. 3. Thoma. 4. ep. 84 p. 158.

1148 ginae vestram eruditionem manifeste docuerunt. His nimirum et aliis rerum difficultatibus perterriti, quid vestrae sapientiae respondere debeamus aut in quo aecclesiae nobis commissae ac nostrae quieti consulamus, ex imbecillitate mentis nostrae non facile disquirere potuimus. Set considerabit et animadvertet et eliget discretio vestra, quid sancta mater nostra Romana aecclesia in hac causa velit admittere, quid Corbeiensis aecclesiae paci conveniat, quid nostrae quieti proficiat, quid tandem aecclesia de Aldesleve[1] et amicus noster marchio in hoc negotio tute recipere valeat. Nam verbum de Aldesleve, quod nobis per nuntium vestrum, non in litteris, tanquam rem secretam mandastis, iam apud nos vulgatum erat. Siquidem ille idem bonus vir solita levitate non amicis set depositoribus suis, non familiaribus set post depositionem suam etiam infamantibus eum[a] hec eadem propalaverat; et eosdem, ut ad diem, quo nos et ipse conventuri eramus, venirent, rogaverat, cum nos de hac conventione prorsus ignoraremus, atque ideo reconciliationis colloquium prius fuit nobis suspectum quam cognitum.

---

137. *Reinardus abbas Reinehusensis Wibaldum rogat, Heinricum I deiectum abbatem Corbeiensem indulgenter habeat.* (M. 119.)

1148 Domno W(ibaldo) venerabili Corbeiensi abbati frater R(einardus) in abbatum numero minimus, quicquid fidelissimus ac devotissimus animus.

Dilectionis vestrae presentiae, virorum karissime, proposueram me corporaliter exhibere, set ne id fieret, equitature[b] defectus prohibuit, quem mihi cuiusdam vani et perfidi hominis fraus et deceptio fecit. Igitur venio per litteras et spiritum, eo vestram dilectionem salutans affectu, quem vos ex longo probasse non dubito. Causam vero, que me hoc tempore preter visitationis vestrae desiderium venire voluerat, probatissimae discretioni simulque pietati vestrae committo, quatinus apud eam non minus pro ea mea scripta quam vivae vocis verba valeant, et hi, qui me

a. infamantibus eum *scripsi pro* infama *cod.* b. equitare *c.*

1. Oldisleben, coen. d. Moguntinae, ab Erfordia ad septemtriones.

huic interesse causae desideraverant, familiaritatem meam apud vos aliquid posse cognoscant. Est autem domni H(einrici) aliquando Corbeiensis abbatis dicti, super quem vos oculos paternae pietatis ponere decet, ut ipse pietatis effectus, eum non frustra de vobis aliquid solatii sperasse, laudabili veritate comprobet. 1148

Cetera verborum narrabit portitor horum.

Utriusque hominis vestri salutem bonus ille Samaritanus, qui vulneratum collegit, providere et custodire dignetur, abbatum karissime.

---

138. *Wibaldus Eugenio III papae refert, de eligendo abbate Fuldensi quid actum sit.* (M. 114.)

Reddituri rationem villicationis nostrae, quam vestra celsitudo nostrae parvitati commisit, opus habemus brevitate, ne mentem vestram, quam omnium mundi aecclesiarum cura sollicitat, prolixa relatio diutius detineat. Postquam discretio vestra iusto Spiritus sancti iudicio Roggerium, Fuldensis monasterii electum, ab eiusdem aecclesiae regimine ob canonicam notam removit, fratribus prefati coenobii per dignationis vestrae apices[1] precipiendo mandastis, ne personam de sua congregatione eligerent, set ad visitandam aecclesiam suam reverendos fratres nostros, Eberacensem, Everbacensem, Heresfeldensem abbates, et nos ipsos, omnium minimos, ad sese convocarent; quorum mediante consilio talem Deo auctore personam de alieno claustro studerent eligere, per quam ruina Fuldensis monasterii tam in religione quam in possessionibus posset Domino adiuvante fulciri. Misistis etiam predictis quatuor personis iussionis vestrae litteras[2], quatinus auctoritate vestra ad Fuldense monasterium accederent et iuxta precepti vestri formam in electione facienda consilium prestarent. Quas litteras nos tercia die post festum nativitatis beatae Mariae primo accepimus. Siquidem Fuldenses pro obtinendo electo suo, quem duobus decretis canonica ratione subnixis notaveratis, ad vestram clementiam remiserunt, set cum Petro petram invenerunt. Redeuntes igitur legati eorum absque

[Margin: 1148 Nov. — Apr. 8 — Sept. 10]

1. V. ep. 85 supra p. 158. 2. V. ep. 86 supra p. 159.

1148 Oct. mandatis et epistolis vestris, nostram parvitatem adierunt rogantes, ut electioni eorum, quam 12 Kal. Novembris facere disponebant, interessemus[1]. Nos vero considerantes, inmutatum fuisse statum causae et nullum de novo a vestrae sanctitatis celsitudine nobis manasse imperium, venire quidem dubitavimus, quoniam frequens rumor insonuerat, venturum fore legatum vestrum, qui Fuldense monasterium per semet ipsum ordinaret; dreximus tamen eis per duos fratres litteras nostras, quarum exemplum vestrae censurae cum presentibus mittere curavimus. Verum parvo tempore interiecto, venit ad nos camerarius Fuldensis cum altero quodam fratre et cum litteris conventus sui tam ad nos quam ad nostrum conventum[2], quatinus ob reverentiam nominis vestri Fuldam absque dilationis impedimento veniremus, futuris ibi tribus prenominatis abbatibus et electione ad mandatum vestrum celebranda, si per absentiam nostram non impediretur. Allegabant preterea defectum monasterii sui in rebus vitae necessariis, quoniam quidem omnia diripiebant, qui pretergrediuntur viam. Diu multumque dubitantes timuimus, ne vel agendo vel cessando vestram paternitatem offenderemus. Set tandem, de consilio religiosorum quos venturos audieramus sperantes,
Nov. 5 Fuldam cum Heresveldense abbate Nonis Novembris pervenimus. Set cum Eberacensis et Everbacensis abbates non venissent — alter, quia mandatum vestrum super hoc, ut ipse per nuncium fatebatur, non acceperat, Eberacensis vero, quia sese apud vestram clementiam, ut postmodum per epistolam eius cognovimus, de non veniendo excusaverat — turbati corde et inopes consilii fuimus, plurimum verentes, ne imprudentia nostra vestram offensam mereremur. In hoc itaque nostri cum Heresfeldense consilii summa proposita et firmata fuit: ut, quoniam hi duo aberant, qui nobis doctiores et meliores longe exstabant, nullum in electionis actione consensum preberemus, set suspensis atque incertis omnibus, vestra iterum iussio vel legati vestri auctoritas expectaretur. Deinde vocati a fratribus, capitolium ipsorum uterque intravimus, iussique verbum exhortationis ad

1. V. ep. 123 supra p. 196. 2. V. epp. 128 et 129 supra p. 206.

ipsos facere, prout Spiritus sanctus in articulo temporis dedit, 1148 Nov. 5 de karitate, de obedientia, de humilitate sermonem habuimus. Quo terminato, maioris monasterii prepositus surgens egredi volebat ad Louthewicum comitem regionarium et ad alios quosdam laicos. Set retentus est a nobis, multum suadentibus et petentibus, ut cum fratribus suis, qui in tempore discordiae de monasterio egressi vel eiecti fuerant, in concordiam redirent, ut, si de electione agendum esset, is ab omnibus communiter eligeretur, qui omnibus preesse deberet. Dissimulabamus enim, quod causam differre vellemus, donec forte in ipsorum verbis vel re aliquid aptum et commodum invenire possemus, quo absque invidia et odio, infecto negotio discederemus. Itaque, nobis duobus et fratribus qui nobiscum venerant remotis, prolixa consultatione rem in tempus traxerunt, revocatisque nobis in armarium librorum et adhibitis suorum fratrum paucis, responderunt, se cum eisdem fratribus, pro quibus intercedere volebamus, reconciliari non posse, nisi ordinato prius abbate, qui eos monere et cogere auctoritatis iure posset. *Et quid* inquam *laici vobiscum de instanti negotio contulerunt?* »*Nullam* inquiunt *personam obligatam et in alio monasterio ordinatam ut assumamus, hortantur.*« *Recte* inquam *et canonice ac de sacre regulae sententia vos monent. Cum enim huius monasterii possessio pariter et sacra*[a] *domino nostro pontifici Romano pertineat, is vobis eligendus erit, cui secundum vetustam coenobii vestri dignitatem manum imponere possit. Si enim ordinatum abbatem eligitis, optandum potius quam impetrandum vobis erit; quoniam canonico et directo electionis iure cum ipso agere non poteritis, set multo labore ac precibus insinuandum erit, quae vos necessitas a sanctarum tramite regularum deviare compulerit. Preterea domno papae, quem iam diu laborare fecistis, de vobis persuasum est a multis, quod postposito Dei timore omnes que vestra sunt queratis et non que Iesu Christi; neque tutum vobis est, ut eum de cetero inconsiderate agentes ad iracundiam provocare non timeatis.* Haec verba nostra

a. *sic cod.; an* sacratio?

1148 Nov. 5 domnus Heresfeldensis cum maximo favore prosequebatur, materna lingua sententiam coamplificans et ornans. Dum haec aguntur, intromissus est ad nos Godefridus comes et advocatus eiusdem aecclesiae, orans tam sua quam laicorum unanimi voce, ne adversus libertatem electionis canonicae, pro qua parentes ipsorum sanguinem suum multis preliis fudissent, aliquid statuere vellemus; nihil actum esse, quod regibus per vim electionis potestas esset adempta; quod aecclesiis in arcu et gladio laicorum libertas electionis esset asserta; si papa pro suo arbitratu aecclesias vellet ordinare et personas in ipsis provehere, satius fuisse, regiam vim quam pontificalem sustinere; modis omnibus velle et consulere, ut de ipsa Fuldensi congregatione frater aliquis ad regimen omnium assumeretur, nisi forte, quod fieri non posset, nullus in ea dignus ad presidendum inveniretur. Nos vero cuncta haec suavi et blando mitigare volentes alloquio et oportunitatis locum reperire cupientes, quo ab eorum actione sub aliquo rei honestae titulo possemus discedere, postulavimus, ut a nobis tantisper egrederentur, donec, collatis omnium sententiis, pari atque consono verbo respondere possemus. At illi, regressi quidem, mox plures numero redierunt transacto brevissimi temporis spacio, petentes instantius, ut eis privilegia Fuldensis aecclesiae super electione abbatum panderentur; nefas esse protestantes illa violari, sese pro dignitate monasterii stare usque ad mortem esse paratos; que si hoc continerent, ut de monasterio nullus eligeretur, sequendum esse ac tenendum; sin autem contra, ruinam esse et omnium interitum, si ab his aliquatenus recedatur. Hortabamur impense fratres, ne contra mandatum novum vestrum, quod urgente necessitate et poscente utilitate factum erat, privilegii alicuius auctoritatem pretenderent, ne inter laicos, quorum ea minime interest, dissensionis materiam seminarent, set iuxta precepti vestri formam ad ecclesiae suae salutarem provisionem sese unanimiter coaptarent, scituri quod, si aliter presumptum foret, quoniam manus Moysi graves sunt. Preterea, iam non cum ratione honestatis amplius dissimulandum esse iudicantes, respondimus illis asser-

toribus libertatis, nihil a vestra sublimitate factum esse in hac causa violentum, nihil insolitum, nihil contra iusticiam et libertatem universalis aecclesiae, nihil contra privilegia et dignitatem Fuldensis monasterii. *Quia*, inquam *quod a domino nostro papa prohibitum est, ne de Fuldensi congregatione in presenti articulo ad regimen aliquis assumeretur, de sacro fonte regulae sancti Benedicti manavit — que precipit, ut, si concors in malis congregatio personam viciis suis consentientem eligere voluerit, episcopus, ad cuius diocesim locus pertinere videtur, non sinat pravorum prevalere consensum — electio vero vestra, quae proxime auctoritate apostolica fuit cassata, qualis fuerit, dominum nostrum papam, qui vester specialis dominus est et episcopus, tota regione clamante et ipso electo annuntiante, non latuit; ipse vero electus vester, qualis foret in longum futurus, in principiis suis, que valde nociva fuere, patenter edocuit, qui consilio advocati et laicorum ad dispergendum non ad recolligendum utebatur; et sacri canones locuntur, quod privilegium meretur amittere, qui privilegii abutitur libertate; non igitur vestra libertas subversa est set correcta, quia nec potest esse honor legitimus, qui fuerit de prevaricatione collatus. Prohibitio haec tanquam medicina contra vehementem morbum ad tempus indulta est, non valitura diutius, nisi quamdiu necessitas duraverit. Licuit semperque licebit Romano pontifici, pro rerum qualitate et temporum varietate canonum rigorem intendere vel remittere et nova remedia novis morbis adhibere. Porro, quod ad electionis vestrae sinceritatem procurandam visitatores a sede apostolica transmissi sunt, veneranda sacrorum decretorum auctoritas canonicum esse plurimis scripturae paginis demonstrat. Nec abhorrere*[a] *vel aspernari debuistis duos illos abbates, viros utique religiosos, sapientes, quibus visitandi cura et precipua consulendi facultas est attributa, sine quorum presentia et nutu nos duo nec consilium nec consensum prebere presumimus. Quod vero sacrosanctum et dulcem libertatis titulum tanto pondere opponitis, pace omnium dictum sit, velamen potius est maliciae quam assertio iusticiae; quoniam alius castellum in faucibus mon-*

1148 Nov. 5

a. abhorrore *c.*

1148 Nov. 5 *asterii edificat, alius pensiones que coenobio solent inferri usurpat, alius incendiis vastat, alius predis et rapinis infestat. Fratres in claustro inediam sitim nuditatem patiuntur, ut ne nobis quidem, fratribus suis, domni papae famulis, officia hospitalitatis et humanitatis possint impendere. Ordinate pacem aecclesiae, solvantur fratribus necessaria et debita stipendia, revocentur ad diem aliam non solum Eberacensis et Everbacensis, set etiam plures alii viri prudentes ac Deum timentes, quorum consilio et opera talis Spiritu sancto prestante eligi possit in abbatem, cuius conversatione et studio tam spiritualia quam temporalia correctionis effectum valeant recipere.*

Minime indignabantur laici ad verba haec, veritate se ipsam tuente, que ipsos recognoscere et fateri cogebat, quod ea, que dicta fuerant, virtute rationis non carebant. Ceperunt itaque consultare inter se atque conferre, bini simul vel terni aut quaterni. Et cum sermonem nemo nobiscum haberet diesque iam usque ad octavam horam preterisset, egressi inde, dormitorium intravimus; atque mox parvulo temporis interveniente spacio revertentes, quosdam priores cum aliquibus fratribus obviam habuimus, qui pedibus nostris advoluti, obnixe et cum lacrimis petebant, quatinus eis adiutorium in necessitate impenderemus, ut domnus Heresfeldensis abbas prelationis illius sarcinam susciperet. Et adiunxit unus ex eis: *quoniam* inquit *noster monachus et frater fuit, antequam in abbatem promoveretur.* Ad haec a nobis sic responsum est: *Nos, fratres karissimi, quod de alicuius abbatis electione domino nostro pape credidimus beneplacitum, quod aecclesiae vestrae salutare, quod personis vestris tutum, palam ac simpliciter protestati sumus, nec sententiae nostrae prevaricatores*[a] *esse valemus. Preterea non credimus, abbatem, qui sit compos discretionis canonicae, hoc onus regiminis absque domni papae iussione recipere, quod longi temporis et grandis expensae et infiniti laboris et eventus incerti opus est. Si domnus Heresfeldensis de propriis viribus confidit, si de gratia et consensu domni papae sperat, sua potius deliberatione quam nostro consilio nitatur.*

a. prevacatores *c.*

Quibus auditis, fratres rogabant tamen, quod abbatem, quem cum ipsis paululum reliqueramus, detinentes a cognitione hujus verbi subduceremus, donec, capitolii edem communiter ingressi, super ipsius persona eligenda cunctorum assensum requirerent. Introierunt illi, nos remansimus et, assumpto abbate seorsum, quid Fuldenses fratres nobiscum egissent, ei annuntiavimus. Dubitantem et querentem super hoc consilium nostrum ad cor suum et conscientiam remisimus. Et cum se consentire nullatenus assereret, suggessimus ei, ut sicut nos ita et ipse ab eis recederet, ne opus, quod illi nobis absentibus et dissuadentibus faciebant, ad nostrum consensum spectare videretur. Ille abiit, nos in mensa, refecturi corpora nostra, consedimus. Post coenam salutavimus abbatem, salutavimus et fratres Fuldenses, significantes eis, quod facto mane vellemus discedere. Precabantur fratres, ut manere vellemus, quoniam quidem ipsi abbatem elegissent, set dilatio a laicis usque in crastinum esset interposita, ut eorum electioni consentirent. Nos vero peticioni eorum nequaquam adquiescentes, summo diluculo recessimus.

1148 Nov. 5 — Nov. 6

Haec sunt, karissime pater, que Fuldae presentes cognovimus. Que vero post exitum nostrum acta sint, ex litteris, quas quidam frater Fuldensis nobis, non in membrana scriptas set in tabella[1], transmisit, cognoscere poteritis; quas ad vestrae sanctitatis pedes transcriptas direximus[2]. Enim vero apud vos est manna, apud vos virga, apud vos canonum dispensatio, apud vos decretorum interpretatio, apud vos regulae moderatio, apud vos vinum, apud vos oleum, novit dextera vestra

Parcere subiectis et debellare superbos[3].

Cuncta discretioni vestrae per ordinem intimare studuimus, ut pura et perspicax anima vestra, cui discretio spirituum a Deo collata est, plura legendo intelligat quam nos videndo et agendo. Sicubi, armante pietatis zelo, decreta vestra et iussiones insipienter defendimus et quasi coelum sustinere humeris temptavimus, etsi effectus[a] laudem non meretur, devotio tamen veniam a vestra clementia impetrabit.

a. effectūs *c.*

1. cerata. 2. V. eam quae sequitur epistolam. 3. Virg. Aen. 6, 853.

139. *H. monachus Fuldensis Wibaldo scribit de rebus post eius discessum Fuldae gestis.* (M. 115.)

1148 Nov. Domino suo reverentissimo H. ille suus se ipsum.

Quoniam, pater karissime, vos ut dominum amplector et vereor, in omnibus precepta vestra sequi non dubito. Notifico igitur sanctitati vestrae, quod post recessum vestrum fratres nostri cum quibusdam laicis in electione convenerunt; multi autem eorum, recessum vestrum audientes, interesse contempserunt. Illi autem, qui convenerant, ipsum electum, ut onus regiminis susciperet, rogaverunt; sed ipse repugnabat, tanquam qui vincere nollet. Tandem itaque adquievit. Quidam etiam ex laicis et monachis, hoc vos velle, ut prepositus vester eligeretur, vobis imposuerunt; et me in hoc assensum prebere affirmabant. Post recessum tamen electi in hoc convenimus, ut usque ad festum sancti Nikolai[1] vos et alios duos abbates vocare debeamus. Legatus vester portarium apud nos non invenit. Valeat sanctitas vestra.

---

140. *Wibaldus Conrado de Orio monasterii Corbeiensis possessionem Merethensem elocat.* (M. 116.)

1148 In nomine Domini. Wiboldus Dei gratia Corbeiensis abbas. Notum sit omnibus, quod[a] possessionem monasterii nostri, quae est in Meretha, locavimus Conrado de Orio[b] in pacto pro quatuor marcis probati argenti, quas per singulos annos in die festo sancti Iacobi apostoli[2] solvet apud Koiforde[3] in domo, quam nunc habet mulier quedam nomine Sigardis, camerario monasterii vel certo nuncio ipsius. Quod si solvere neglexerit, possessione et pacto postmodum carebit. Si filius eius hereditare voluerit, in investitura pro recognitione quatuor marcas abbati dabit. De tota possessione illa nihil a nobis vel predecessoribus nostris venditione seu commutatione alienatum est. Actum est apud Anlon[4] anno Domini 1148, in presentia domni Hartberti Traiectensis episcopi et multorum aliorum.

---

a. *sequitur* in *in cod.* b. *sive* Oric.

1. Dec. 6. 2. Iuli. 25. 3. Coevorden. 4. Anlo in Drente, a Coevorden ad septemtriones.

141. *Wibaldus Lienwardensibus significat, qui eorum ecclesiae praebendas a sese nondum recepissent, eos Corbeiam in diem 2. Febr. a. 1149 evocatos esse.* (M. 123.)

W(ibaldus) Dei gratia Corbeiensis abbas omnibus fidelibus 1148
christianis, qui sunt in parrochia Lienward[1], salutem et benedictionem.

Notum facimus vobis, quod nullus illorum quatuor, qui in aecclesia vestra prebendas habent, ad nos adhuc venit nec possessionem aecclesiae nostrae a nobis accepit, cum nos iam duobus annis abbatiam Corbeiensem tenuerimus[2]. Insuper ex ipsorum negligentia nobis labor et detrimentum accidit pro eo, quod donum altaris non acceperunt: pro qua re tota aecclesia nostra in ius et potestatem episcopi[3] adiudicata fuit. Set per Dei misericordiam et ipsius episcopi gratiam cum integritate aecclesiam, sicut prius habueramus, nunc recepimus. Et illis quatuor, qui aecclesiam tenent, diem ponimus, ut in proximo festo purificationis sanctae Mariae[4] presentiam suam nobis Corbeie exhibeant, ostensuri nobis, quam iusticiam in nostra possessione habeant. Quod si tunc non venerint, sciant pro certo, quod nos iusticiam nostram usque ad extremum prosequemur nec eis quicquam de iure nostro remittemus.

---

142. *Tieboldus praepositus S. Severini Coloniensis Wibaldum hortatur, quae sibi de Iuditha abbatissa Gesekensi promiserit, ut ea servet.* (M. 124.)

Venerabili fratri et amico Wibaldo Corbeiensi abbati Tie- 1148
boldus Dei gratia si quid est, cum servitio intimam dilectionem.

Exhibitae dilectionis vestrae memoriam non amisimus; et quamvis gratias sicut decuit minime egerimus, tamen ingrati nec fuimus nec umquam erimus. Novit, domine mi, dilectio vestra, valde indecens nobis fore, quod, cum abbatissa[5] de Iheseke[6]

1. Leeuwarden in Fresia occidentali. 2. Wibaldus abbas Corbeiensis die 20 Oct. 1146 electus est. Ex quo duo anni transierant d. 20 Oct. 1148. 3. Hartberti episcopi Traiectensis. 4. 1149 Febr. 2. 5. Iuditha. 6. Geseke coen. d. Coloniensis a Paderborna inter occidentem et meridiem.

1148 negotium suum in nostrum consilium posuit, per nos et causam et compositionem perdat. Quamobrem vestram dilectionem diligenter commonemus, quatinus verbum vestrum, quod super hac re mecum habuistis, verum faciatis, et dictam compositionem provenire sinatis, atque huius rei qualitatem in brevi nobis rescribatis.

---

143. *Wibaldus Tieboldo praeposito S. Severini Coloniensi de Iuditha abbatissa Gesekensi respondet.* (M. 125.)

1148 Frater W(ibaldus) Dei misericordia id quod est in aecclesia catholica dilecto fratri et amico suo Tieboldo venerabili preposito dilectionem et benedictionem.

Gratum nobis valde est, quod memoria vestra firmiter retinet, quam sincero affectu vos á longis retro temporibus dilexerimus, quanto fidei studio ad vestri honoris incrementum gavisi fuerimus, et quod de his certa promissione vestra dignam remunerationem expectamus. Recordari autem debet vestra prudentia, quod anno preterito, cum domnus papa Treverim esset
1147 Nov. venturus[1], et fama referente didicissemus, quia intenderetis abbatissam de Giseke ad presentiam domni papae perducere et causam ipsius adversum nos agere, monuimus vos tanquam virum discretum et intime familiarem, ne adversus innocentem et amicum studium vestrum in negotio parum honesto et debili procederet. Siquidem abbatissa eadem novem fere mensibus,
1146 c. Mart. antequam ad regimen Corbeiensis ecclesiae accederemus, deposita fuit et remota á Kaminatensi abbatia per domnum Thomam cardinalem presbiterum; atque cum per vim contra canones obtinere conaretur, ab advocato eiusdem ecclesiae non sine contumelia
Iuni. 15 fuit expulsa[2]. Ea remota, electae sunt per contentionem duae, et de tercia disputatum est. Cum omnia tam in spiritualibus quam in temporalibus in deterius ruerent, dominus noster rex, ad cuius ordinationem locus pertinebat, ex consilio et ammonitione domni papae delegavit Corbeiensi ecclesiae et nobis prefatae abbatiae ordinationem. His ita se habentibus, dignum

1. i. e. Nov. 1147. 2. Cf. Chronograph. Corbeiensem supra p. 57.

duximus, ut predictum est, vestrae discretioni suggerere, ne ad- 1147 Nov.
versus decreta Romani pontificis et contra precepta domini nostri regis in defensione personae illius stare videremini. Rescripsistis nobis, si bene recolimus, quod membro Coloniensis ecclesiae deesse non possetis[1]. Venit tamen illa Treverim ad presentiam domni papae sine vobis, et quantum potuit in nos egit, veritatem tacens et mendacium loquens. Set domnus papa, per litteras nostras veritate comperta, prefixit nobis et ipsi diem audientiae in concilio Remensi. Nos venimus, illa non venit. Laqueus 1148 Mart. Apr.
contritus est, et nos liberati sumus[2]. Domnus papa depositionem suam decreto confirmavit, et possessiones, quas illa alienaverat, monasterio sub anathematis interminatione restituit. Nos, frater karissime, memores non sumus, quid vobiscum pro ea, postquam á Treveri recessit, sive per verbum sive per litteras spoponderimus, cum nostra promissa memoriter observare soleamus. Valete.

---

144. *Conradus III rex Wibaldo de propinqua sua reversione significat.* (M. 127.)

Cuonradus Dei gratia Romanorum rex augustus venerabili 1148
Wiboldo Corbeiensi abbati gratiam suam et omne bonum.

Quod maxime de nobis te desiderare cognovimus, de prosperitate videlicet status nostri, hoc primitus tibi significare opportunum duximus. Sani siquidem Dei misericordia sumus, naves
redituri in festo beatae Mariae in Septembre intravimus, peractis Sept. 8
omnibus, quae in partibus illis vel Deus voluit vel homines terrae permiserunt. De hominibus enim dicimus: Cum Damascum communi consilio venissemus et castra ante portam civitatis cum magno nostrorum discrimine locassemus et iam prope esset, ut sine omni ambiguitate civitas caperetur, traditio, a quibus minime cavimus, in hunc modum facta est, quod ipsi in eo loco civitatem inexpugnabilem esse asserebant et ex industria in aliam partem, ubi nec aqua exercitui suppetebat nec accessus aliquis

1. Hinc intelligimus, Tieboldum praepositum Coloniensium ecclesiarum unam rexisse, et S. Severini quidem ecclesiam, ut liquet ex variis tabulis ap. Lacomblet Urkundenbuch I. 2. Ps. 123, 7.

1148 patebat, nos ducebant; et ita omnes in indignationem pariter et[a] in dolorem conversi infecto negotio redierunt. Expeditionem tamen ibidem versus Ascalonam unanimiter se moturos spoponderunt, locum et diem prefixerunt. Illic ex condicto venientes neminem fere invenimus. Ibi universitatem octo frustra diebus prestolati, secundo ab eis delusi, ad propria tendimus. In brevi igitur Deo annuente ad te venturi, grates tibi debitas referimus, quod filium nostrum manutenuisti et fidelitatem omnem nobis exibuisti; et ut de cetero idem facere te non pigeat, rogamus, omnem tuam benivolentiam digne remuneraturi.

---

145. *Heinricus episcopus Mindensis Wibaldo respondet, se sine Paderbornensis et Monasteriensis episcoporum consilio satisfactionem eius recipere nolle.* (M. 128.)

1148 Venerabili domino sanctae Corbeiensis ecclesiae abbati Wiboldo Heinricus per misericordiam Dei id quod est in Mindensi aecclesia, orationum et fidelis obsequii, quantum permittit, devotam exhibitionem.

Legatos et litteras vestras sepius audivimus, offerentes nobis fraternam satisfactionem super omni iniuria et molestia, qua ex parte vestra lesi tenemur. Quod vero usque modo vobis respondere distulimus, non fuit ex contemptu vestrae personae vel ex aliqua animi nostri elatione, set propter hoc, quia desiderando exspectavimus, ut venerabiles domini, Patherbornensis[1] videlicet episcopus et Monasteriensis[2], huic negotio per suam presentiam adiutores assisterent et ex eorum prudentia et consilio ea, quae inter nos aguntur, fraterne componerent. Set licet prefati domini nostri et amici contra suum promissum, sicut Remis[3] audieratis, moras faciant et propriis impedimentis occupati huic nostrae causae non subveniant, nos tamen, in Deo curam nostram iactantes, adhuc eorum consolationem et consilium attendere disposuimus, quorum mecum conscientiae[b] determinabitur iudicio, quod de vobis querimoniam non habuerim immerito.

---

a. et *addiderunt Martene et Durand.* b. *an* mea cum conscientia?
1. Bernhardus. 2. Wernerus. 3. 1148 Mart. Apr.

146. *Corbeienses Stabulensibus significant, quid magistro Graeco, sedis apostolicae legato, de dissipatis ecclesiae thesauris sciscitanti responderint.* (M. 46.)

Reverentissimis atque dilectissimis in Christo fratribus suis, 1148
Roberto venerabili decano et ceteris sanctae Stabulensis aecclesiae fratribus frater W(alterus) prior ecclesiae Corbeiensis ceterique eiusdem monasterii fratres, iugiter vacare et videre, quam suavis est Dominus.

Audivimus, conturbatam esse unanimitatem vestram de verbo quodam, quod magister Grecus pro sublatis in aecclesia nostra thesauris nobiscum anno preterito contulit. Quod quia non vera relatione ad vos pervenisse existimamus propterea que scandalum apud vos genuisse, ordinem rei ex integro vobis pandere[a] dignum duximus. Venit igitur ad nos idem magister G(recus), tunc apostolicae sedis legatus, anno preterito circa festum sancti 1147 c. Dec. 21
Thomae, cum in vestris partibus domnus abbas moraretur; atque hospicio receptus est apud nos, humane tractatus est et cum omni diligentia ac devotione, quemadmodum decuit legatum domni papae, á nobis observatus est et de rebus monasterii nostri honorifice procuratus. Erat tunc domi prepositus maior aecclesiae nostrae[1]. Qui cum satageret sollicitius circa ministerium ipsius et aliquando cum ipso colloquendi gratia consederet, inter alia quae dicebantur etiam ab eo sciscitatus est, quam ob rem sanctuarium nostrum spoliatum esset thesauris suis[2] vel quid utilitatis contractum fuerit ex eis ecclesiae nostrae? *Non est* inquit prepositus *spoliatum sanctuarium nostrum; quia quicquid inde sumptum est, in utilitatibus ecclesiae nostrae expensum est, quippe quae in possessionibus suis per singulos annos non ad minus quam ad centum mansos ampliata est.* Cum vero in crastinum diluculo profecturus esset idem legatus domni papae, iussit preposito, ut eodem vespere omnem congregationem in unum congregaret, quatinus ad nos ex mandato domni papae sermonem haberet. Iam hora diei tardior processerat, nec con-

a. paudere *c.*

1. Adelbertus. 2. Wibaldus enim „de toto thesauro ecclesiae regi dato“ accusatus erat. V. ep. 46 supra p. 124.

15*

1147 c. Dec. 21 ventus noster ex instituto ad colloquium convenire debebat. Hanc ergo inpossibilitatem cum prepositus noster legato insinuasset, colloquio usque in crastinum dilato, cum primum mane illuxisset, item accito preposito denuo precepit, ut capitulum fieret, in quo cum fratribus verbum faceret. *Non est* inquit prepositus *nostri ordinis, tam matutina hora capitulum convenire.* Set cum ille recedere festinaret nec horam capituli expectare posset, tandem in conventu ante horam terciam nobis ex consuetudine lectioni vacantibus adductus est idem apostolicae sedis legatus; et sedens inter nos, inter alia quae commonuit diligenter inquisivit, cur dissipatus esset thesaurus ecclesiae nostrae. Cui per priorem et prepositum nostrum hoc ordine respondimus: *Propter communem necessitatem ecclesiae quandam partem thesaurorum in aecclesia ex communi consensu capituli nostri tulimus, et quasdam possessiones ecclesiae nostrae valde utiles ex eis conquisivimus; reliqua omnia integra in ecclesia conservata sunt. Ea vero, quae nunc propter instantem necessitatem accepimus, reparare et restituere quantocius poterimus Deo annuente proposuimus.* His auditis acquievit nec super hoc verbo quicquam amplius interrogavit. Valete.

---

147. *Iohannes notarius R. principi et Ricardo comiti significat de Welfonis cum Rogerio rege Siciliae foedere deque curiae Romanae consiliis.* (M. 239.)

1148 Karissimis dominis suis R. principi et comiti Ricardo[a] Iohannes notarius, eorum fidelissimus, salutem et servitutis obsequia.

Per omnia vobis fidelis existens, quae scio vobis notifico et in quibus possum servitium reddo. Sciatis itaque, Guelfum, domni regis Counradi proditorem, cum Siculo concordem esse magnamque pecuniam ab eo accepisse. Et clam ductu Cencii Fraiapane et Gataguefi Romam transiit[1]. Homines tamen sui cum quatuor Sarracenis et totidem dextrariis Rome á senatoribus capti et dimissi fuere. Qui litteras ex parte Siculi Frede-

a. Ric̄ *c.*

1. exeunte anno 1148. V. librum de Conrado III rege meum p. 166.

rico[1] duci Suaviae, Enrico duci Saxoniae, Bretolfo filio ducis 1148
Conradi, Conrado duci de Cebering[2] pro dampno et guerra domni regis Conradi defferebant, quibus commonebantur et rogabantur á Siculo, ut, quae illis Guelfus de suo proficuo diceret, facerent. Studeatis ergo filio regis et etiam domno regi Conrado et fidelibus suis ista notificare, ut sint inde muniti, et illi capiantur, si fieri potest. Caeterum sciatis, quia C(encius) Fraiapane, quantum potest, vobis nocere studet, et papa eius consilio; et hoc ita verum est, quod cardinales laudaverunt se coram C(encio) Fraiapane et dixerunt, se conclusisse vos et Grecos Venetiae tamquam canes et mastinos[3], adeo ut nichil Siculo nocere possitis ex hac parte. Ipse papa nuncios misit ad Siculum pro vestro dampno, si cum eo potest quod vult perficere; et treugas cum eo habet usque ad quadriennium adhuc. Propterea in eo non confidatis, nec de vestris vos aut Greci ei tribuatis, quoniam totum illud ammittitis; et melius foret, si sandalia pauperibus aut hominibus vestris dedissetis. Cum senatu igitur et populo Romano conveniatis, quoniam per illos iuvante Deo vincere poteritis. Greci autem large distribuant sua, quoniam dicente Salomone: *pecuniae obediunt omnia*[4]. Et Siculus in avaricia Grecorum confidit, idcirco tempore oportuno sua dispertit. Ita et ipsi faciant, si vincere volunt.

---

148. *Eugenius III papa Wibaldo et capitulo Corbeiensi significat, se ecclesiarum praelatis mandasse, ne Heinricum I quondam abbatem ecclesiis suis reciperent.* (M. 120.)

Eugenius episcopus servus servorum Dei dilecto filio W(i- 1149
boldo) abbati et capitulo Corbeiensi salutem et apostolicam Ian. 1
benedictionem.

Quantum sit necessarium religiosorum monachorum quieti prospicere et de ipsorum utilitate sollicite cogitare, ante actum officium, quod in abbatiae regimine gessimus, nos informat et creator omnium Deus per hoc, quod Mariae causam contra Mar-

1. III, post regi. 2. de Zeringen. 3. canes pecuarios, Ital, „mastini". 4. Eccle. 10, 19.

1149 Ian. 1 tham assumpsit, evidentius patefecit. Inde est, quod tranquillitati vestrae, in quantum possumus, comitante iusticia prospicere cupientes, venerabilibus fratribus nostris, archiepiscopis episcopis et aliis aecclesiarum prelatis per regnum Theutonicum constitutis per apostolica scripta mandavimus, quamdiu Heinricus quondam Corbeiensis abbas, quem dilectus filius noster T(homas) bonae memoriae presbiter cardinalis deposuit, in suae pravitatis proposito perduraverit, in suis aecclesiis nequaquam eum[a] recipiant et ipsi adversus vos et monasterium vestrum nullum solacium, nullum sustentamentum impendant. Tua itaque, dilecte in Domino fili Wibolde abbas, interest, ut sollicitudinem tuam exerceas et ita commissos tibi oratione et cura providenti custodias, ut leo querens quem devoret nullam eos dilaniandi occasionem inveniat, quatinus, dum religione et honestate decoros quorum suscepisti curam reddideris, et premia labori tuo Dei et hominum mediator assueta pietate concedat et in aeterna requie cum suis sanctis te[b] faciat gratulari. Vobis autem universis, qui de Corbeiensi collegio estis, per presentia scripta mandamus, ut eiusdem filii nostri Wiboldi abbatis vestri monita suscipiatis humiliter et servetis, ut in eius persona Christum videamini, cuius minister est, honorare. Data Viterbi Kalendis Ianuarii.

---

149. *Wibaldus Arnoldo I archiepiscopo Coloniensi de morte sibi intentata scribit.* (M. 126.)

1149 Ian. Reverendo patri suo et domino Arnoldo sanctae Coloniensis ecclesiae venerabili archiepiscopo frater Wiboldus Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum obsequium.

Quia post Deum et post domnum regem caput omnium principum in hac terra estis, et ad vos potissimum respicit status pacis terrae, vobis conquerimur tanquam patri et domino, quod quidam ministeriales Corbeiensis monasterii, qui erant in
1148 Dec. 29 convictu nostro assidue, quadam nocte[1] cum cenaremus, á mensa

a. eum *addidi.* b. te *addidi.*

1. d. 29 Dec. 1148. Vid. ep. 150 infra.

nostra egredientes, equos nostros effracto stabulo furati sunt et quosdam, quos abducere non potuerunt, gladiis interfecerunt. Facto clamore ad arma, ut mos terrae est, convenerunt alii ministeriales ecclesiae, plures numero, et pro sua fide conservanda et pro honore omnium suorum parium vocaverunt quosdam ad duellum, quorum consilio tantum facinus fuit perpetratum, cum eis pugnaturi in octava epiphaniae[1]. Siquidem consilium eorum et machinatio fuit, ut nos illi ipsi latrones interficerent vel menbris truncarent, ut postmodum veraciter didicimus; quod cum ad effectum perducere non potuissent, nocturno furto equos nostros invaserunt. Proinde advoluti animo ad pedes vestrae celsitudinis et omnium principum sive nobilium et ceterorum, qui in curia vestra sunt, humiliter auxilium vestrum imploramus, quatinus, respectu divinae pietatis et pro reverentia domni regis et omnium principum et pro statu tam divini quam humani iuris, scutum vestrae defensionis tantae audaciae opponatis; et ne malefactores illi in terra vestra refugium habeant, sicut magnitudinem vestram decet, provideatis; et ad prefatum diei tempus[1] nobis in adiutorium aliquos de vestris transmittatis. Valete. 1148 Dec. 29

---

150. *Wibaldus Bernhardo episcopo Hildesheimensi exponit, quibus de causis Heinricum I quondam abbatem Corbeiensem recipi Corbeiam nolit.* (M. 131.)

Reverendo patri suo et domino Bernardo sanctae Hildenesheimensis aecclesiae venerabili episcopo frater Wiboldus Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et fidele servitium. 1149

Litteris prudentiae vestrae, quas nobis dignatio vestra per venerabilem confratrem nostrum abbatem aecclesiae sancti Godehardi[2] transmisit[3], respondere distulimus, non quidem ex oblivione vel ex negligentia, set tantis postea curis et laboribus agendo et itinerando fuimus occupati, ut rescribendi opportunitas nulla nobis posset accedere. Reddentes itaque nunc vestrae sublimitati devotum salutationis obsequium, breviter, si fieri posset,

1. 1149 Ian. 13. 2. Fridericum. 3. V. supra ep. 133; cf. ep. 135.

1149 ad vestram peticionem, quae apud nos iussionis pondus obtinet, respondere vellemus, nisi quod tanta est rerum series, ut per brevitatem narrationis cognitio veritatis persepe excludatur.

Ac primo discretionem vestram scire volumus, quod in causa fratris illius Heinrici, quem reconciliare Corbeiensi aecclesiae vestra celsitudo conatur, nos depositoribus ipsius neque consilium neque auxilium impendimus. Quin potius in curia, quae Cor-
1145 beiae anno in retro versus quarto in festo sancti Bartholomei
Aug. 24 apostoli a domno rege Cuonrado celebrata est, pro predicto fratre regimen tunc eiusdem monasterii tenente stetimus non solum constanter set etiam efficaciter; quoniam á clementia domni regis multa precum instantia obtinuimus, ne adversus eum lite contestata accusatorum actio et ordo iudicii procederet.

1146 Quando vero in presentia et iurisdictione[a] felicis memoriae domni Thomae cardinalis presbiteri[1], apostolicae sedis legati, de symonia, in venditione aecclesiae de Linwert[2] perpetrata, convictus Corbeiae in capitolio et confessus fuit, nos earum rerum prorsus ignari eramus in Stabulensi monasterio, quod a Corbeiensi
Mart. 21 distat itinere sex dierum. Quando etiam 12 Kalendas Aprilis a prenominato iudice suo apud civitatem Patherburna, ubi venire iussus se absentaverat, in sollempni religiosorum[b] conventu depositus fuit, nos eramus Stabulaus, preparati et succincti causa regiae legationis Romam proficisci; quod et fecimus, mox inde
Mart. 24 moventes 9 Kal. Aprilis.

Mart. 21 Depositus itaque ibidem tam ab officio sacerdotali quam a dignitate abbatiae, atque insuper excommunicatus, si personas vel res monasterii ullo modo vexaret vel disturbaret, non recognovit manum Domini super se nec adquievit sententiae iudicantis; set in rebellionem et apertam violentiam conversus, res abbatiae, ubicunque locorum potuit, nimis immoderate diripuit,
Mart. 31 et in proximo pascha in monasterio Hasunge infulis abbatiae ornatus incessit et publice divinum officium celebravit. Quasdam integras curtes abbatiae infeodavit et multos mansos tam oppigne-

a. iurisditione *c.* b. reliosorum *c.*

1. tit. S. Vestinae. 2. Leeuwarden.

rando quam prestando alienavit. Quibus peractis, regiae pre- 1146
sentiae in curia, quae apud Kuina 18 Kal. Maii habita est, sese Apr. 14
obtulit, opinatus, regiam aequitatem posse inflecti, ut per violentiam obtineret abbatiam, quam ordine iudiciario perdiderat. Set quia honor regis iudicium diligit, non potuit etiam oblata pecunia distorquere virgam directionis incliti regnatoris, quin a cesare firmaretur, quod a Petro processerat[a].

Interea — dum sic minis, muneribus, pollicitatione monasterium vexat et invadit — reverendus pater noster Bernardus Patherburnensis episcopus, ad aecclesiam Corbeiensem vocatus, eundem Heinricum in pulpito sub generali conventu pronunciavit auctoritate apostolica excommunicatum et omnes fautores atque adiutores illius. Unde etiam plurima hominum pars, metu divino territa, ab ipsius factione dilapsa est. Urgebat interim multis decretis iussio apostolica Corbeiensem aecclesiam, quatinus mediante Spiritu sancto talem personam in abbatem eligerent, que ruinas Corbeiensis aecclesiae tam in spiritualibus quam in temporalibus resarcire idonea esset. Set partibus in sua studia nimium adhuc ferventibus, canonica et concors electio fieri non
potuit usque ad Nonas Maii; quo die nos eramus apud Sutrium, Mai. 7
civitatem Tusciae, in curia domni pape Eugenii III. Tum denique, vix tandem unum sapientes, elegerunt virum integrae famae et laudatae conversationis, Heinricum prepositum eiusdem mon-
asterii, qui a domno rege investitus est 3[b] Nonas Augusti. Aug. 3
Quo tempore nos eramus in Stabulensi monasterio, vix recepta non ad plenum valetudine; quoniam febre Romana quinque ebdomadibus apud Viterbum decubueramus et, vi non naturalis caloris cute et omnibus pilis amissis, fauces mortis vix evaseramus.

Sedit itaque ordinatus predecessor noster usque 8 Idus Octo- Oct. 8
bris, et viam universae carnis ingressus est. Orbata ergo iterum Corbeiensis aecclesia suo pastore nos absentes et procul
positos unanimi prorsus coniventia in patrem et pastorem ani- Oct. 20
marum suarum voluntarie adoptavit et elegit in capitolio Cor-

a. p̄cesserat *c.* b. VI *est in ipso codice correctum in* III.

1146 Oct. 20 beiae 11 Kal. Novembris[1]. Stabulaus pervenerunt, nostram imbecillitatem ad regimen tantae rei tam per litteras suas quam etiam per epistolam domni regis ac domni Patherburnensis episcopi et aliorum quorundam principum, nec non presenti nunciorum alloquio officiose et suppliciter invitaverunt[a]. Nos tunc eramus in synodo Leodiensis aecclesiae, quam venerabilis pater noster Heinricus huius nominis secundus Leodiensis episcopus ex more celebrabat. Unde cum reverteremur, ad prepositoram[b] monasterii Stabulensis, quod Malmundarium dicitur, festum
Oct. 31 omnium sanctorum[2] celebraturi, diverteramus. Atque cum ad vespertinam synaxim iam ingredi essemus parati, venit Stabulensis nuntius, significans nobis, quod legati regiae curiae nostrum apud Stabulaus prestolarentur adventum, nullo modo inde recessuri vel alias suae legationis verba expositur, nisi in aecclesia Stabulensi coram positis eiusdem monasterii fratribus. Nos vero pro reverentia domini nostri regis continuo ascensis equis ad Stabulense monasterium transire festinavimus. Ubi iam sero facto mandata domini nostri regis et principum, nec non aecclesiae Corbeiensis petitionem tum per scripta tum per missorum verba suscepimus. Inspectis omnibus et auditis, rem omnem usque in crastinum ad responsa premeditanda distulimus.

Iam, venerande pater, ad eum locum narrando pervenimus, ubi nec tacere audeamus propter sanandas ac muniendas conscientias fratrum nostrorum Christi sanguine redemptorum nec loqui tute valeamus propter irrisiones eorum, qui superbia inflantur et ambitione flammantur, et propter secreti nostri bonum, quod evacuari formidamus. Set accipiant homines, ut volunt, et iudicent. Nos quoniam in innocentia nostra ingressi sumus, verum teste Deo referemus.

Nov. 1 Cum ad matutinam synaxim sono canonico excitati fuimus, talis cogitacio nobis oborta est, ut, peracto matutinali officio,

a. invitavit *c.* b. prepositoram *et* Stabulensis quod *et* dicitur *erasa sunt in cod.*

1. In hoc loco vitium inest; Wibaldum enim die 20 Oct. (13 Kal. Nov.) abbatem Corbeiensem electum esse, docet et Chronographus Corbeiensis (supra p. 50) et Notae Stabulenses (supra p. 75) et Wibaldi tabula, de qua cf. supra p. 50 n. 1. 2. Nov. 1.

fideles nostros tam de fratribus quam etiam de laicis convocare 1146
deberemus, ut de verbo, quod acceperamus, morosa et diligenti Nov. 1
deliberatione tractantes, ex consilio respondere possemus.

Quod autem in alterutram partem dubitavimus nec oblatum nobis honoris locum debita humilitatis fortitudine respuimus, quaedam preteritarum rerum recordatio suadebat. Siquidem et antea nonnullae aecclesiae nos ad locum regiminis vocaverant, quodam popularis iudicii deceptae preconio; set nos propriae fragilitatis et ignorantiae conscii, plena et veraci libertate illud eis propheticum respondebamus: *Non sum medicus, non in domo mea vestimentum, nolite me constituere principem populi*[1]. Atque ita formatis absque avaricia moribus, contentique presentibus[2], ei monasterio, cui ascripti eramus, etsi non bene vivendi exemplo, vel fideliter amministrandi studio deserviebamus. Orta est interim, instigante omnium bonorum emulo, inter nos et quosdam villicos Stabulensis monasterii, viros utique genere clientela et opibus potentes, gravis et in longum agitata dissensio pro eo, quod ipsi villici volebant hereditarie[a] possidere sanctuarium Dei; et ipsa villicationis officia ex successione paterna et avita capientes, dominabantur in rebus; nostraque et prepositorum nostrorum statuta contumaciter rescindentes, et colonos indebitis et assiduis exactionibus opprimebant et iustas pensiones monasterio nequaquam inferebant. Ita miserabili et importuno clamore populi, cuius terra iam fere vastata et desolata erat, nec non inedia monachorum ac ruina ordinis propter alimentorum defectum sepe et nimis exacerbati, cepimus iniquo tempore tyrannis resistere, certi, quantum de futuris fieri poterat, quod aut circa salutem nostram periclitaremur, vel ad salutarem effectum causam tam necessariam perducere non possemus. Etenim, quod cum dolore et gemitu dicimus, iura iam interierunt, leges occubuerunt, morum disciplina extincta est, consuetudo vetustatis abolita est, regis et principum virtus et potestas obsolevit, licet unicuique quod libet, et quod statuit vim legis obtinet. Cum igitur in ea perturbatione labores infinitos et expensas toleraremus cum apud

a. hereditāe *c*.

1. Isai. 3, 7. 2. Hebr. 13, 5.

1146 Nov. 1 aecclesiam Romanam in Urbe, cuius clementia et defensione plurimum premuniti fuimus, tum in curia serenissimi et incliti triumphatoris domini nostri regis Romanorum Conradi secundi, cuius potissimum favore et munificentia illas mirabiles elationes maris per mirabilem in altis Dominum mirabiliter enavigavimus, inter peregrinationis et quasi cuiusdam exilii molestias, inter itinerandi et agendi fatigationes, inter periculorum aculeos, quaedam infirmitatis nostrae cogitationes adversum nos murmurabant et vellicabant amarius aurem cordis nostri dicentes: *Merito haec pateris; quoniam Deus tuus, refugium et virtus et adiutor in tribulationibus, quae invenerunt te nimis*[1], *in semet ipso et per semet ipsum iam aliquotiens tibi refugium obtulit, qui has miserias vel prorsus evitare vel securius tolerare potuisses.* Et licet, venerande pater, iam de prefatis tempestatibus in aliquem quietis portum introissemus, tamen de futuris incerti et similia vel acerbiora metuentes, in ambiguo, ut dictum est, fuimus, utrum oblatam gratiam recipere vel recusare deberemus, cum antea in animum induxissemus, nec duabus abbatiis simul preesse nec ad aliam sive maiorem sive diciorem ullo modo transferri sustinere.

In hac itaque ancipiti meditacione — in qua iam exarserat ignis desiderii, volentis quae potiora sunt eligere — processimus ad aecclesiam, aliquid psalmorum lingua proferentes, cum tamen animus ab eorum intellectu salutari longius esset evagatus[a]. Venientes ante altare illud, ubi benedictionem episcopalem in nomen et officium abbatis suscepimus[2], commovit nos repente quidam familiaris et intimus amor, quem ad patronum eiusdem loci, sanctissimum videlicet confessorem atque pontificem Christi Remaclum, eiusdem cenobii fundatorem, habemus, et concussit animae nostrae interiora quodam affectuoso timore, ex eo videlicet, quod in mente nostra volvebamus, utrum ipsius monasterium sic relinquere pergeremus. Clamavit itaque anima nostra ad Deum et ad ipsum clamore vehementi in verbo interiori, in verbo non diffidentis spei, absque sono oris corporei: *Fiat, Domine, voluntas tua. Iam de caetero neque deliberationem nostram*

a. evagagatus *c.*

1. Ps. 45, 2. 2. 1131 Apr. 20. V. Not. Stab. supra p. 75.

neque amicorum nostrorum consilium sequi statuimus, set tuam voluntatem et te, qui es via veritas et vita, in hoc presenti negotio sectari desideramus. Set qualiter tuam voluntatem cognoscemus, qui presens es maiestate, set nos in regione longinqua dissimilitudinis porcos pascentes a te recessimus? Temerarium est, ut certam voluntatem tuam super hoc verbo, quam nobis indicare digneris sive per angelum sive per aliquam subiectam tibi creaturam tuam sive per visionem seu per oraculum, expetere presumamus. Per eos itaque, in quibus habitas, scrutari tuae voluntatis archanum, impium et presumptuosum non est; atque ideo fratrum et filiorum nostrorum sentenciam sequendam voto tali tibi obligati arbitramur: ut, quicquid ipsi dixerint, tenendum sit, quorum animas nobis servandas tradidisti, cum simus ipsi animae nostrae mali custodes. Sic omni dubietate remota et raciocinandi ac iudicandi cura deposita, mente placida sedatisque ac compositis cogitacionibus, matutinales laudes cum fratribus peregimus.

1146 Nov. 1

Hora regulari, quando fratres capitolium ingressi sunt, nos pariter introivimus; atque post exhortationis verbum, post disciplinam claustralem, iussimus afferri litteras cum sigillis domni regis et principum atque Corbeiensis aecclesiae. Quibus perlectis, fratres, attoniti rerum novitate, nostrae voluntatis et responsionis modum intenti prestolabantur. *Ad haec* inquam *fratres mei, ex quo divinae providentiae, quae disponit omnia suaviter*[1]*, placuit, nos omnium vitae merito et sapientiae doctrina extremos per unanimis consensus vestri ministerium ad huius aecclesiae regimen provehere, mei et animi et corporis potestas mea desiit esse; et totum, quod nobis á Deo in utriusque hominis substantia collatum est, vestrae ditioni ac potestati quasi quodam iure proprietario cessit et vendicatum est. Nos vestri sumus nec vos aut monasterium vestrum deserere volumus. Unde et vestrum consilium, tanquam divinum responsum, interrogantes expectamus. Nulla vero formido, nulla vos suspicio terreat, quin inspirante Deo, quod oportunum videbitur, loquamini; quoniam cum Deo nostro tale voti et sponsionis foedus inivimus, ut á*

1. Sap. 8, 1.

1146 Nov. 1 *vestri consilii verbo recedere nequaquam valeamus. Neque enim, si grata nobis esset huius dignitatis oblatio, si Corbeiensi aecclesiae preesse iuxta suam electionem appeteremus, hoc sub incerto multitudinis assensu tractaremus, sequentes videlicet nostri desiderii propositum. Nunc vero, Deo adiutore, nostri cordis intentionem ita firmavimus, ut ea nobis consilii portio pergrata sit, quae, donante Spiritu sancto, nobis á vestra fraternitate intimata fuerit. Hoc tantum vestram prudentiam ammonere nequaquam dubitamus, ut — quantum per Dei providentiam, corda hominum moventis et in eorum cordibus operantis ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, vestrae discretioni licitum est — hoc provideatis, hoc consulatis, hoc suadeatis, quod animabus et corporibus nostris atque monasterio vestro utile et tutum maxime iudicabitis.* Tanto pondere sibi imposito, fratres primum exterriti fuerunt, sedulo petentes, ut fratrum suorum qui aberant et ministerialium aecclesiae presentiam expectare valerent, cum quibus communicato consilio, quid optimum factu videretur, pariter ordinarent. Nos econtra instantiam legatorum iam regredi desiderantium opponebamus, et precipue voti nostri ac sponsionis vinculum, quo sic obligati eramus, ut sub eadem hora ab his, qui presentes erant, solvi in alterutram partem oporteret.

Itaque, emissis nobis a capitolio, fratres, plurimum anxii ac merentes causae huius utrumque latus sollicite pertractantes diuque ac multum inter utrumque cunctati, legatos tandem admiserunt, totius rei gestae ordinem plenius addiscere cupientes. Bruno prepositus novae aecclesiae, qui inter missos erat honoratior, loquebatur quaedam grandia, videlicet: Corbeiensem aecclesiam ius liberum electionis habere, quo nunc esset usa concorditer et absque ulla vel minimi verbi dissensione; futurum, ut prius tria milia marcarum argenti expenderet, quam ab optinendo electo suo desisteret; Corbeiae maximas et pacatas divitias esse, fratres religionem tenere et ut augeatur desiderare ac petere; ministeriales valde locupletes esse, nullum inter eos verbum seu litigium de villicationibus hereditario iure obtinendis

extitisse; omne feodum vel beneficium liberum vel absolutum 1146 Nov. 1
fore, ubi mares non succederent patribus; servitium regis tam in expeditione quam in curia adeunda et in hospiciis procurandis exuberare; fratrem illum Heinricum, de quo nunc agitur, iudicium Dei et suae depositionis sentenciam pacienter sustinere, ipsum quoque desideranter ęlecti adventum expectare, gaudentem, quod nullus eorum, qui ei adversati fuerant, succederet; Stabulensis monasterii defectum de plenitudine Corbeiensis posse submoveri. Locus quidam invidiae videbatur, patrem ac provisorem tantis et tam insperatis bonis velle fraudari, cum in facultate Stabulensis aecclesiae nihil aliud nisi labor et dolor haberetur. Incredibilia tamen haec videbantur, atque ideo nobis, iam ad suum colloquium revocatis, consilium subeundi sarcinam prelationis sub tali moderatione dederunt: si videlicet, quemadmodum acceperant, rerum status apud Corbeienses inveniretur.

Multum itaque renitentibus legatis, unum de Stabulensibus monachis, fratrem scilicet Heinricum, virum utique excellentis ingenii et prudentiae ac singulari constantia preditum, cum litterarum nostrarum attestatione Corbeiam direximus, qui subtili inquisitione diligenter investigaret de toto electionis ordine et universa rerum Corbeiensis cenobii qualitate. Veniens igitur
Corbeiam, susceptus est ab omnibus officiose et cum gaudio, ex Nov.
eo tamen solo dolentibus, quod adventus noster aliquo modo tardabatur. Atque cum in communi fratrum coetu esset admissus, nullam invenit in tota electionis actione dissonantiam; set, excluso precipitis ac temerarii verbi vel actus vicio, omnium pariter vota concordabant. Observatum est summa cautela, ne intelligeret, illum domnum Heinricum iam fuisse Romam profectum ad reparandam causam suam et ad repetendam[a] abbatiam; quia iam ex legatis pro certo compererant, quod ad res etiam tutas non libenti animo migraremus nec certamen pro aliqua prelatione obtinenda subire vellemus. Remissus est ad nos predictus frater noster cum litteris aecclesiae, quae de omnium desiderio et coniventia circa nostram personam plenius

a. rep . . . ndā *c.*

1146 Nov. continebant, quae nos ad regimen ipsorum favorabili[a] affectu invitabant.

At vero dominus noster rex frequenti iussione nos ad curiam suam vocabat, graviter succensens, quod aecclesia Corbeiensis, non modicum videlicet regni sui membrum, nostra vel negligentia vel tarditate collaberetur. Venimus itaque ad oppidum Dec. 9 Frankenevort 5 Idus Decembris, credentes, dominum nostrum regem ibidem esse, sicut ipse nobis per nuncios et litteras significaverat; et invenimus ibi Corbeienses monachos, clericos et laicos non paucos, qui pro sua electione obtinenda omnium reliquorum mandato et testimonio advenerant. Didicimus tunc quodam casu, cum hoc nollent Corbeienses, domnum illum Heinricum adisse domni papae pro sua restitucione presentiam. Quanto metu ac dolore affecti fuerimus, nequaquam explicare verbis possumus. Tenebamur obligatione divini precepti, quod per os fratrum Stabulensium acceperamus, quatinus ad vocationem Corbeiensium cepto itinere procederemus; resistebat nobis ratio nostra, et deterrebat nos non inprobabilis coniectura, quod inpingere possemus in Romanam aecclesiam et graviter sub potenti manu collidi, si causam Corbeiensium retractare domnus papa insisteret. Doluimus et flevimus, et male nobis erat.

Dec. 10 Ad primum ergo pullorum cantum, cum dormirent Corbeienses, nos clam recessimus, sperantes, quod in monasterio Laurisamensi dominum nostrum regem, sicut ab ipso per nuncium acceperamus, invenire possemus et aliquo modo apud ipsum satagere, si forte voluntas Dei esset, ut Corbeiam non perveniremus. Sequebantur nos Corbeienses facto mane indignati; ac disponente Deo, domnum regem, antequam ad nos perveniret, in via obvium habuerunt. Et totis ingenii viribus apud ipsius mansuetudinem egerunt, ne ipsos spe sua et electione vacuos et sub ancipiti periculo constitutos in se confidentes dimitteret. Consolatus est eos benigne; et plenos bonae promissionis fecit hospitari secum in villa Winheim nominata.

Dec. 11 Die insecuta nos, non solum vocati set etiam per fidem et

a. favorali *c*.

sacramentum adiurati, venimus, plus cogente Dei ordinationis articulo quae in ore servorum suorum sonuerat, quam inpellente regiae maiestatis et offensae formidine. Consumpta est dies illa[1] in utriusque partis allegationibus. Et querebamus in domo regia intercessores, qui antea pro multis etiam damnatis sepe interveneramus. Et sollicitabamus amicos nostros, quasi de eorum fide dubitantes, Anselmum scilicet Havelebergensem venerabilem episcopum et Arnoldum maioris aecclesiae in Colonia prepositum, regiae curiae cancellarium, quos á iuventute nostra summa dilectione sumus amplexi et diligenti studio cum cottidiano karitatis incremento venerati; atque, ut nobis assisterent et animum principis ab hac intentione revocarent, magna precum instancia rogabamus. Siquidem disputandi et refragandi ausum ultra voti nostri et responsi accepti stabilitatem nobis illud exhibebat, quod fratres nostri sub quodam interpositae conditionis pendulo consilium dederant, ut tunc sequeremur vocationem, si nullum vicium sive dolus in actione vel narratione subesset. Quid multis moramur, cum universa, quae dicta sunt, nec temporis nec ępistolae brevitas possit comprehendere? In eas angustias quadam rerum necessitate detrusi sumus, ut, si recedendum foret, offensam et indignationem regiam incurreremus et Corbeiensem aecclesiam sub magnae confusionis et ruinae articulo relinqueremus. Turbati ergo et inopes facti totius consilii, cum maxima lacrimarum et singultuum interruptione defensionem causae nostrae reliquimus, domni regis arbitrio rei summam et terminum committentes, ea tamen providentiae ratione considerata, ut tunc regia mansuetudo cogeretur a proposito declinare, cum nos et honorem nostrum ac famam suae fidei tradidissemus. Verum ipse, in sui promissi stabilitate perseverans et tamquam de suae voluntatis processu adepto triumphans, vocatis Corbeiensibus nobisque tacentibus, nos more sollemni publice de abbatia Corbeiensi investivit[2]. Induimus ibidem quandam firmioris animi constantiam, personam prius et rem omnem

1146 Dec. 11 … Dec. 12

1. Dec. 11. 2. Wibaldum die 12 Decęmbris 1146 in villa Weinheim investitum esse, liquet ex Notis Stabulensibus supra p. 75.

1146 Dec. 12 iacturae subicere statuentes, quam Corbeiensem aecclesiam nostro consilio et auxilio contra predicti Heinrici impetus nudare.

Dec. 18 Dimissi ergo á regia curia, pervenimus Corbeiam 15 Kal. Ianuarii; ubi mirabili omnium favore suscepti fuimus.

1147 Ian. 5 Nunciatum est nobis Goslariae Nonis Ianuarii, quod idem Heinricus ab Urbe esset reversus, confecto negocio. Nos tamen, Spiritu sancto roborante, processimus ad res aecclesiae obtinendas; et contra spem humani iudicii tam personas, quae illi fidelius adheserant, quam possessiones, quas ipse alienaverat, absque maioris difficultatis obstaculo recepimus. Heae vero sunt possessiones, quas liberali manu post depositionem suam donaverat: in Cropensteden viginti mansus; in Nortlandia curtem integram Loningen, curtem integram Buochorn; in curte Visbich duos mansus; in curte Ioten unum mansum; in curte Werleten unum mansum; in curte Mettesthorp unum mansum, et alia quaedam. Quae universa nos Deo propicio recuperavimus.

Set rumor, quem acceperamus de illius restitucione, vanus fuit; quoniam usque adeo nihil egit, ut á sede apostolica absque formata epistola redierit nec litteras commendaticias nec recepti sacerdotalis officii et absolutionis suae ab excommunicationis vinculo testimonium referret. Quid vero de epistolis á domno papa accipiendis, precipue ab his, qui ad ipsum venientes negotium habent, sacra canonum auctoritas decernat, vestra melius eruditio novit.

Cunctis itaque dissensionibus Corbeiensis aecclesiae tam intus quam foris per Dei misericordiam sopitis omnibusque difficultatibus complanatis, missi fuimus a domno rege cum Wormaciensi[1] et Havelebergensi[a] episcopis obviam domno papae Eugenio ingredienti Galliam Comatam. Cui occurrimus in oppido Divionis 3 Kal. Aprilis anno Domini 1147. Cui cum suggestum esset, quod nos aecclesia Corbeiensis in abbatem elegisset, discretione apostolica et providentiae singularis cautela edoctus, nullas aecclesiae Corbeiensi sive in privilegiis sive in epistolis sub nomine nostro litteras dirigere voluit, nisi prius de tota

(Margin: Mart. — beside "cultatibus complanatis"; Mart. 30 — beside "vionis 3 Kal. Aprilis")

a. Havebergensi *c.*

1. Buccone.

electionis serie et sinceritate plenius cognovisset; arbitratus etiam, 1147 Mart. 30
personarum translationem de aecclesia ad aecclesiam, vel quod una persona in altera aecclesia pastoris in altera visitatoris officium obtineat, ad suae moderationis gubernacula pertinere. Fuimus tamen ab ipso liberaliter et honorifice habiti, non solum pro reverentia regiae maiestatis, cuius legatione fungebamur, set etiam pro privatae dilectionis gratia, qua nos iam pridem cognitos pie amplexari dignatus fuerat. Tunc etiam iniunxit nobis in virtute obedientiae et in remissione peccatorum nostrorum, ut ad debellandos christiani nominis hostes ac Dei aecclesiae vastatores trans Albim super paganos militaremus; cum tamen sciret, hoc nequaquam á nobis posse fieri, nisi ex Corbeiensis aecclesiae expensa et milicia.

Misit ergo Corbeiensis aecclesia communi consilio et nostro assensu duos ex fratribus suis, Waltherum scilicet monasterii priorem et Reinherum prepositum de Eresburch, viros sane probati testimonii et honestae conversationis set neque profundi sermonis neque disertioris, armatos quidem non arte set veritate, non facundia set innocentia. Hii nunquam curiam Romanam prius intraverant, et pervenerunt ad domnum papam apud Iun. 10
Sanctum Dyonisium in territorio Parisiensi[1]. Decima postmodum die[2] absoluti sunt in civitate Meldis, confirmata prius in celebri conventu nostra in Corbeiensi aecclesia electione et ordinatione sub die 10 Kal. Iulii. Siquidem reverendus ac pius pater no- Iun. 22
stram parvitatem publica laudatione prosequi dignatus est nosque amplissimis verbis apud ignotos commendavit, mandans legatis et per ipsos omnibus, ut nos tanquam patrem et dominum diligerent atque honorarent atque, cum ipsis tanto studio et labore expetiti tantopere placuissemus, ne tunc displicere inciperemus, cum de religione reformanda et possessionibus recolligendis agere temptaremus, set tam[a] ad ordinis reparationem quam ad fundorum restaurationem communi et consilio et auxilio

a. tam *addiderunt Martene et Durand.*

1. die 10 Iunii. V. supra ep. 46 p. 123. 2. immo decimo die post diem 13 Iunii; vide ibid. p. 124.

1147 Iun. 22 fulciremur. Intellexerat namque vir subtilis ingenii, nos neque in optinenda neque in conservanda huius prelationis dignitate cum aliquo ambitionis nevo laborare, set stetisse pro innocentia et fama nostra et pro quibusdam rebus nostris, quas ad incrementum cenobii Corbeiensis non modico sumptu inchoaveramus.

Nondum reversis legatis, intraveramus cum armata milicia et exercitu christianorum principum terram Leuticiorum, transmisso Albi flumine. Et eramus in obsidione castri Dimin sub vexillo Crucifixi, cum ecce iam sepe dictus Heinricus parvo quidem armatorum[a] numero set multum armato animo Corbeiam accessit, missisque legatis suis, aecclesiam de fide et iuramento suo ammonuit et, ut ipsum tamquam proprium dominum reciperent, postulavit. Verum illi recte fidei et iurisiurandi non immemores, monasterium armis et propugnaculis, quae usque hodie extant, muniunt et vim vi repellere iure gentium moliuntur.

Ian. — Iun. Fecerat et antea simile quiddam in monasterio de Aldesleve; ubi ab Hillino eiusdem monasterii abbate, qui de Corbeiensi congregatione illic assumptus fuerat[1], qui á multis vir discretus et litteratus putabatur, hospicio post reditum ab Urbe receptus, ipso annuente, in stacionibus[2] festis cum virga pastorali insignitus processit. Cuius prevaricationis premium presumptori consiliario transgressor ipse reddidit, in eo videlicet, quod, eodem abbate absente, sedem suam et abbatiam in capitulo invasit; set á Fritherico eiusdem loci advocato paulo post circumseptus, fuga et pedibus poenam evasit. Predictus abbas, contemptor sane canonum et apostolicae sedis, relicta monasterii et fratrum suorum cura, Iherosolymam profectus est, armatam
1148 militiam[3] sequens; ubi etiam in mari submersus est[4]. Cuius
Mart. 14 obitu nunciato, prefatus Heinricus abbatiam[5] sine canonica electione obtinere voluit atque, ut per nos á marchione Adelberto

a. armotorum *cod.*

1. de Hillino abbate Aldeslevensi „apud Corbeiam impetrato" cf. Annal. Pegav. 1109 (Mon. SS. XVI. p. 250), et Catalog. abbat. Corb. supra p. 70 n. 8. 2. processionibus. 3. Bernhardi comitis de Plozeka. V. Annal. Pegav. l. l. 4. d. 14 Mart. (1148). V. Annal. Pegav. l. l. et Calendar. Pegav. ap. Mencken II. 124. 5. Aldeslevensem.

induceretur, efficere laboravit. Extat epistola[1], in qua persuasioni 1148
eius et quorundam virorum non obscuri nominis respondimus.

Reversi ab expeditione Sclavica in nativitate beatae Mariae 1147 Sept. 8
— quam etsi peccatis exigentibus non efficaciter set tamen obedienter complevimus, ad quam nos traxerat et christianae salutis intuitus et specialis monasterii nostri causa, pro recipienda videlicet regione quadam, quae á Theutonicis Ruiana, á Sclavis autem Rana dicitur, quae Corbeiensi monasterio imperiali dono collata est á Lothario caesare — invenimus aecclesiam assultu predicti hominis turbatam, plus dolentes ac metuentes de fraude ac perfidia eorum, qui consilium et adiutorium illi impenderant, quam de ipsius temeritate.

Anno preterito fuimus Treveri in curia domni papae. Unde 1148 Ian. Febr.
cum gratia et apostolicae benedictionis roboratione revertentes, accepimus litteras ad Corbeiensem aecclesiam plenas favoris et bonae spei, in quibus continetur, ut Corbeienses nos tamquam boni et humiles filii diligerent et honorarent, atque ut pastori suo condignam nobis reverentiam et obedientiam impendentes, ad recuperandas et retinendas possessiones et bona Corbeiensis aecclesiae viriliter assisterent[2]. Non profuit tam frequens sua depositio, tam crebra nostra confirmatio, tam perseverans apostolicae auctoritatis[a] iussio; seminatur terra mendaciis, seminatur scandalis, et, ut mos est gentis, prius hominem falsa delatione suffocant, quam ipse sese appeti intelligat.

Venimus ad synodum Remensem, quae celebrata est me- Mart. 21
diante quadragesima, ubi domnus papa, paci et tranquillitati Corbeiensis aecclesiae providere volens, sentenciam, quam venerabilis pater noster bonae memoriae Thomas, presbiter cardinalis et apostolicae sedis legatus, in Heinricum, quondam monasterii eiusdem abbatem, verbis dedit, verbis et scripto confirmavit[3]. Apr. 5

Sententia[4] vero predicti cardinalis et legati, quam apud nos 1146 Mart. 21
scriptam et imagine ipsius obsignatam habemus, haec fuit: *Nos*

a. actoritatis *cod.*

1. V. ep. 136 supra p. 211 sq. 2. V. ep. 76 supra p. 151. 3. V. ep. 84 supra p. 158 dat. 1148 Apr. 5. 4. lata Paderbornae d. 21 Mart. 1146. V. supra p. 232.

1146 Mart. 21 inquit *communicato consilio episcopi Patherburnensis*[1] *et aliorum, qui presentes aderant, pro inutilitate personae et symoniae confessione et inobedientia et caeteris eum de abbatia et de sacerdotio deposuimus, monachos ab obedientia, et omnes, qui iuraverant sibi fidelitatem, á debito iuramenti absolventes. Quodsi, visis vel auditis his litteris, in abbatia consistere pertinaciter voluerit et aecclesiam in personis vel bonis suis per se vel per aliquam submissam personam ledere molitus fuerit á proxima dominica palmarum*[2], *eum excommunicamus.* Viderit de absolutione sua, viderit de restitucione sacerdotalis officii. Haec in eum prolata in iudicio et scripta sub sigillo fuerunt. Set videte, qualiter tociens tam acerbe ammonitus resipuerit.

1148 Iunio Venit in mense Iunio Giseke[3] in domum sororis suae abbatissae[4], quae nec sacrum virginis velamen per consecrationem episcopi suscepit nec benedictionem ad abbatiae regimen á pontifice accepit, cum tamen iam antea duas abbatias, videlicet Eskenewege[5] et Kaminate, per violentiam occupaverit preter illam[6], quam modo tenet. Et habuit consilium cum ministerialibus nostris numero quatuor, qui soli de omnibus laicis ad depositionem ipsius maxime sunt adnisi; reconciliatus est eis in osculo pacis, utinam propter eum, qui est karitas. Set inventus est dolus in ore ipsorum, quoniam eorum quidam spe cuiusdam turpis commertii et ipsum vocavit et ipse illuc venit. Cuius rei relatione nec vestras aures sanctissimas decet gravari nec nostram professionem nec stilum contaminari; radicem conveniendi et arborem consilii nos de fructibus plane cognovimus. Recedentes enim ab eodem colloquio, coeperunt paulatim et occulte per extremae conditionis et fortunae personas in vulgus spargere: quod nequaquam essemus ultra redituri; dominum illum, cui reconciliati erant, abbatiam sive iure sive iniuria recepturum. Atque interim maledicta et incredibilia probra de persona et conversatione nostra in populum spargebant. Procedebat eorum audacia;

1. Bernhardi. 2. 1146 Mart. 24. 3. V. supra p. 223 n. 6. 4. Iudithae. 5. Eschwege, a Cassela inter orientem et meridiem. 6. Gesekensem.

et incipiebant grassari in suos compares et, proiecta nominis nostri ac potestatis reverentia, predis eos et rapinis incessebant[a]. Induxerunt preterea intra muros atrii monasterii nostri genus[b] hominum desperatorum, predones videlicet ac latrones et quosdam proscriptos, de quibus publica querimonia clamabat, quod vias et itinera obsiderent et latrociniis omnia permiscerent. Commovebant clandestinis consiliis corda quorundam fratrum in ordine suo dissolutorum. 1148

Quod malum usque adeo invaluit, ut post reditum nostrum, quem hac necessitate ante prefinitum et oportunum tempus acceleravimus, tres de iunioribus fratribus in anniversario die obitus Oct. 8 predecessoris nostri abbatis Heinrici pro eo nobiscum orare multociens ammoniti detrectarent, eo quod dominum suum deposuisset et in sede eius sedisset contra canones. Pro qua rebellione et contemptu tanquam inobedientes et temerarii de monasterio communi omnium iudicio sunt proiecti. Quae actio aliis singularibus litteris tota conscripta est[1]. Hoc venenum de conflatorio predicti conventiculi fluxisse non dubitatur.

Crevit cottidie simultas et nocivis augmentis in tantum provecta est, ut illi ipsi, de quibus dictum est, nos per submissos latrones trucidare temptaverint 4 Kal. Ianuarii. Quo nequiciae Dec. 29 conatu frustrati, effracto stabulo nostro, quatuor equos abduxerunt, tres gladiis confoderunt[2]. Hoc factum in ore omnium cum maledictione versatur et nos anxietate ac sollicitudine implevit.

Perpendat nunc, reverende pater, ac iudicet vestra prudentia de vestra peticione super illius fratris in claustrum nostrum receptione, qui tam mobilis et convertibilis animi est, qui consuevit pravorum magis quam prudentium acquiescere consiliis. Hoc est ignem in sinu recondere. Audistis nunc, quae mala nobis fecerit, intelligite nunc, quae nos ei bona contulimus.

Fuerat in obsequio suo iuvenis quidam, filius fratris sui, nomine Cuonradus, qui ad nos reversus est, nondum deterso 1147 Ian. sudore itineris Romani. Eum nos non solum clementer verum

a. incessabant *c*. b. gn̄s *c*.

1. V. ep. 126 supra p. 200 sq. 2. V. ep. 149 supra p. 230 sq.

1147-1148 etiam familiariter atque in cibo et potu et somno tanquam custodem corporis habuimus, quem etiam honore, possessione et honesto matrimonio sublimavimus. Puerum quendam reliquerat Corbeiae, filium sororis suae, illo nativitatis ordine genitum, de quo leges et patrum instituta decernunt, ut in ergastulis monasteriorum sic concepti retrudantur, quem ipse in monasterio collocare nequiverat; set nos eum intuitu divinae retributionis tonsoratum et vestimentis regulae indutum collegio fratrum aggre-
1148 gavimus. Quidam ex eis, quibus nuper reconciliatus est, cui frequenter legatos dirigit, gravi eum ignominiae cauterio adusserat, quasdam edes prope monasterium destruendo et inhabitantes in eis ab ingressu monasterii arcendo; quam notam nos, humanitatis verecundia suadente, abolere festinavimus. Hunc locum erubescentes atque cunctantes attingimus propter illud apostoli: *Considerans te ipsum, ne et tu tempteris*[1]; et: *Qui stat, videat ne cadat*[2]. Illud vero, quod licet munus fuerit, non tamen á nobis beneficium reputatur, pretereundum putamus, videlicet
Dec. 29 quod á nobis vestitus fuit cunctis duplicibus eadem die, qua á summissis latronibus vitam fere cum caballis amisimus. Propterea detestanda est ambicio, quae mentis oculum caecat, quae religionis intuitum tenebrat, quae Dei timorem et hominum reverentiam annullat. O altitudo divini consilii! O profundum iustissimae providentiae! O investigabiles viae Dei! Dum honorem conscii fragilitatis reicimus, consilio divino capimur; cum ad quietem diu desideratam et corpore et animo tendimus, aeternae providentiae iudicio labores inextricabiles et anxios incidimus, et in hac via Domini, cum amamus, odium recipimus, cum miseremur, affligimur. Accusatores quidam et testes atque cooperatores depositionis hominis illius elisum recolligunt, odia incendunt, armant iras, presumptionem roborant, non quia eum diligunt, set quia ipsi inquieti sunt.

Quod autem vestra eruditio scripsit, ut iam sepe nominatum fratrem in claustrum professionis suae benignę recipiamus et paterna consolatione contricionem eius sublevando foveamus, quan-

1. Galat. 6, 1. 2. 1 Corinth. 10, 12.

dam iuris rationem pretendere videtur. Set inbecillitati nostrae 1149
nequaquam iustum sive legitimum aut regulare creditur, ut ad tutelam redeat, de qua semel fuit emancipatus — emancipationem vero intelligimus abbatis promotionem — quia capite diminutus non potest fieri legitime tutor*. Sicut ergo á dignitate alicuius prelationis depositus, iure cogi non potest, ut ibi nolens habitet, ubi prefuit, sic nobis videtur aecclesiam cogi non posse, ut depositum suum, non dicimus alat, set in suae habitationis penetralia cum formidine futuri scandali recipiat, nisi forte quis suae depositionis sentenciam pacienter ferat et, reversus cum adversariis in concordiam, in electionis consensu illum arroget, quem postea patrem et tutorem absque contradictionis obstaculo habere valeat. Ille vester duabus electionibus, quae post depositionem suam canonicae institutionis ordine cęlebrate sunt, nec interfuit nec acquievit, set potius contradixit, et usque hodie clamare non cessat, se fuisse circumventum et vi oppressum, cum tamen et confessio eius et accusatorum attestatio et operis ipsius inrefragabilis evidentia iuste damnatum manifeste ostendant. Consulat sibi, provideat quieti suae, attendat paci fraternae. Non est ei tutum, non est ei honestum, non est ei pacificum, in domo una inter personas esse, quae agente Dei iudicio sua accusatione ac testificatione eum deposuerunt, nisi forte in animo ipsius, soliditate humilitatis fundato, mundanae altitudinis desiderium penitus excoctum sit.

* *In margine leguntur haec:* Ex libro digestorum primo[1]. Modestinus libro 1 pandectarum: Inviti filii naturales vel emancipati non rediguntur in patriam potestatem.

Item ex eodem[2]. Ulpianus libro 14 ad Sabinum: Qui liberatus est patria potestate, postea in potestatem honeste reverti non potest, nisi adoptione.

Item ex eodem[3]. Papianus libro 36 questionum: In omni iure, finita patris potestate, nullum ex primo retinetur vestigium. Denique et patria dignitas quesita per adoptionem, finita ea, deponitur.

1. Dig. I t. 6. l. 11. 2. Dig. I t. 7. l. 12. 3. Dig. I t. 7. l. 13.

1148 Apr. 5 Preterea excellentiam vestram latere nolumus, quod in litteris, quas domnus papa Eugenius depositionem illius confirmans scripsit, statuisse dinoscitur, ut, si idem Heinricus pacem monasterii Corbeiensis perturbare presumpserit et bis tercioque commonitus non resipuerit, non solum ibi ulterius prelationis non habebit officium, set ne postmodum ibi inter subditos maneat, prohibuisse[1]. Iunio Cum a conventu illo malignantium, qui apud Giseke ut supra[2] dictum est fuit habitus, reverteretur, habuit hospicium pro foribus monasterii in domo cuiusdam laici sibi antea familiaris, ubi a quibusdam iuvenibus nova cupientibus visitatus fuit; et antelucanis horis in aecclesiam vocatus et salutatus fuit. Unde egrediens mane, invenit operarios in muro novarum edium, quas erigere inchoavimus, hortatusque eos ad studium operis, promisit, á se ipso condignam retributionem accepturos, ipsum quoque camerarium nostrum, cui hanc sollicitudinem iniuncxeramus. Verba haec erant inepti hominis; set, ut scitis, populus coepit ea exaggerare et suspicione ac metu omnia implere, ita ut etiam viri, quos maioris oportuit esse consilii, in offensionem sint adducti. Pro qua re ammonuimus eum per venerabiles patres et coabbates nostros, per abbatem videlicet de Renichusen[3], per abbatem de Northeim[4], per abbatem de Sancto Godehardo[5], per abbatem de Gravenkirch, per abbatem de Flietorp, per prepositum de Richenberch[6]. Sic firmatam credimus sentenciam domni papae, ne idem dominus de caetero sit habitator vel dominus Corbeiensis monasterii.

1149 Haec, pater amantissime, vobis scribere dignum iudicavimus, prolixiora fortasse, quam vestris occupationibus seu valitudini conveniat; set eo animo factum est, ut totus rerum ordo vobis plenius innotescat et nostra parvitas apud vestram discretionem in eo, quod peticionem vestram tanta necessitas exaudiri non patitur, placidam excusationem inveniat. Quod vero plurali numero scribimus, non venit ex elatione cordis et pompa verborum, neque ut ex tumida dictione oratio fiat crassior aut ex

1. V. ep. 84 supra p. 158. 2. p. 246. 3. Reinhardum. 4. Wizelinum. 5. Fridericum. 6. Gerhardum.

producta positione numerosior, set ex nostra, id est monachorum, 1149
consuetudine hoc facimus, qui nihil dicunt singulare aut proprium, nisi: *Mea culpa peccavi.* Superfluam fortasse set tamen officiosam operam assumimus, videlicet Minervam docere artes, in silvam ferre ligna, mittere aquas in flumina, iuvare lumen solis accensis facibus. Non doleatis, karissime pater, quod hoc non habetis, quod habent cymices et vermiculi[1], quoniam hoc habetis, quod multi homines non habent; non, inquam, tristemini, quod non habetis illud, ex quo Deum nemo vidit umquam, quoniam illud habetis, ex quo beati sunt, qui Deum videbunt. Iudicia Domini abyssus multa[2] et ó altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius[3]. Tyrannis et aecclesiarum subversoribus dat incolumitatem et omnium rerum affluentiam, religiosis et eruditis episcopis corporeorum subtrahit visionem oculorum, ne gregem suum oculis carnis videant et officium altaris implere valeant. Patitur et apostolus aliquid, quod non vult, propter quod ter Dominum deprecatur; set dicitur ei: *Sufficit tibi gratia mea*[4], et ad revelationum humiliandam superbiam monitor quidam humanae imbecillitatis apponitur[5] in similitudinem triumphantium, quibus in curru retro comes adherebat, per singulas acclamationes civium dicens: *Hominem te memento.* Valete.

---

151. *Corbeienses Bernhardo episcopo Hildesheimensi respondent, Heinricum I quondam suum abbatem quamobrem in monasterium recipere abnuant.* (M. 132.)

Domino et patri sanctissimo Bernhardo, venerabili episcopo 1149
sanctae Hildenesheimensis aecclesiae, conventus aecclesiae Corbeiensis devotae orationis instantiam et debitam karitatis perseverantiam.

Venit ad nos venerabilis abbas Sancti Godehardi[6], homo in nostro monasterio ex longo iam tempore dilectus et familia-

1. Oculorum enim lumina amiserat Bernhardus episcopus. V. Chron. Hildesh. (Mon. SS. VII. 856). 2. Ps. 35, 7. 3. Rom. 11, 33. 4. 2 Cor. 12, 9. 5. V. 2 Cor. 12, 7. 6. Fridericus.

1149 ris, afferens parvitati nostrae litteras[1] vestrae sanctitatis, quae hoc deprecabantur, ut domnum Heinricum quondam aecclesiae nostrae abbatem ad nos reconciliaremus et volentem conversari inter nos non repelleremus. Quod vero tunc in presentiarum vestrae paternitati respondere distulimus, causa erat, quod in hoc verbo magna anxietate tenebamur, nec in re tam difficili, quae scandalum aecclesiae nostrae gignere poterat, inconsultis universis fratribus, qui tunc plerique aberant, quicquam statuere congruum arbitrabamur. Quid autem nunc in consilio inveneri-mus, vestrae celsitudini per unanimitatis nostrae litteras aperimus, hoc principio postulantes, ne indignetur nobis dominus noster, quod peticioni vestrae satisfacere non possumus.

Homo enim iste, pro quo interpellatis, magnam aecclesiae
1143 nostrae afflictionem intulit: primo quidem cum á fratre suo comite Sifrido ad dignitatem abbatiae violenter est intrusus[2]; deinde cum in prelatione positus aecclesiae inutilis fuit et damno-
1146 sus; postmodo etiam cum, ex Dei iudicio depositus, ecclesiam nostram multis et magnis iniuriis, in quantum potuit, est persecutus.

Siquidem, ut apud excellentiam vestram excusabiles esse valeamus, violentam intrusionem eius in abbatiam paucis vobis exponemus, in quibus tam vera loquemur, quam visa et experta
1143 dolemus. Cum dominus noster piae memorie Adelbero abbas
Mai. 29 viam universae carnis ingressus esset[3], idem domnus Heinricus erat apud nos adhuc in annis adolescentiae, et nuper absolutus de subiugo claustralis custodiae. Hic aspiravit ad dignitatem abbatiae, quam etiam adeptus est, fratre suo comite Sifrido cooperante. Misit namque idem comes ipso articulo temporis, quo abbas senior decesserat, secretos nuntios ad Moguntinum archiepiscopum[4]. Et cum hoc ignoraremus, callide egit, ut electionem, quam de consuetudine monasterii eadem die celebrare de-
Iun. 1 bueramus, per triduum differremus. Peracto triduo, venerunt legati domni Moguntini, cum litteris ipsius missi ad nos. Lit-

1. V. supra epp. 134 et 135. 2. anno 1143. 3. 1143 Mai. 29.
4. Heinricum I 1142—1153.

terae autem continebant peticionem et suasionem archiepiscopi 1143 Iun. 1
de eligendo in abbatem fratre comitis, postremo etiam comminationem quandam, si peticioni eius in eadem persona non preberemus assensum: *Si* inquit *eum non elegeritis et sinistri aliquid ex hoc provenerit, neque iniquitas mea neque peccatum meum.* Legati preterea ipsius quaedam immania loquebantur, comminantes, si alius[a] electus foret, dominum suum archiepiscopum, ne consecraretur, prohibiturum, denique in conspectu domni papae eum nobis adversaturum. Venit ergo dies, cum, facta secundum aecclesiae consuetudinem sollemni invocatione Spiritus sancti, ad eligendum patrem et pastorem animarum nostrarum in capitulo consedimus. Comes vero supra nominatus de promovendo fratre suo sollicitus erat. Unde et ambiendo singillatim omnes, qui desiderium suum promovere poterant, per se et per secretos nuncios conveniebat, et alium quidem suasionibus[b], alium terroribus ad electionem sollicitabat. Nam et preposito nostro per familiares nuntios sub diligenti interminatione ita pollicitus est, quod, si ęlectionem fratris sui[c] in aliquo impediret, omni honore eum in aecclesia nostra prorsus nudaret. Cum igitur de voluntate comitis in publicum dictum fuisset, et quidam de fratribus repleti spiritu Dei resisterent et causas contradictionis suae multas et convenientes redderent — sive quod predictus Heinricus, quem eligere cogebantur, infra annos esset; sive quod pene illiteratus huius dignitatis officium verbo et doctrina minime amministrare sufficeret; sive quod, inops consilii et totius prudentiae, neque se ipsum neque rem tam grandem gubernare vel regere prevaleret; sive quia libertas et ordo regularis electionis in nostra aecclesia per eum cassata videretur, qui propter timorem fratris magis quam respectu Dei et communis utilitatis assumeretur — cum tales, inquam, excusationis causae exponerentur, comes, qui cum armata manu nobiscum in capitulo sedebat, adversus eos, qui huiusmodi loquebantur, multo furore et ira magna efferebatur. Quibus et

a. alius *addiderunt Martene et Durand.* b. alium suasionibus *iterum add. c.* c. suis *c.*

1143 Iunio postmodo satis innotuit, quid tunc in eos moliebatur. Novissime, cum in electione consensus fieri nullatenus potuisset, gravis sentencia nobis proposita est, quod, si hanc denominatam personam non eligeremus, corpus venerandi patris nostri Adelberonis abbatis, beati utique senis et cuius memoria in pace est apud nos, eici ex aecclesia ad contumeliam nostram cito aspiceremus. Pollicebatur nichilominus idem comes, si frater suus eligeretur, multo adiutorio se aecclesiae affuturum et tam in persona sua quam in rebus se fideliter et devotę serviturum. — Quod qualiter expleverit, rerum exitus comprobavit, cum, facto abbate eodem fratre suo, assidue cum uxore sua et maxima multitudine super eum et aecclesiam incumbebat nec prius eum deserebat, quam annonam, de qua toto anno victurus erat, sic prorsus consumpserat, quod nec unius mensae panem residuum ei dimittebat. — Non itaque tam inducti his promissionibus, quippe quas vanas ac falsas suspicabamur, quam superati terroribus ac minis eius, quem solum principem et dominum super nos aspiciebamus, maxime ne contumelia aecclesiae fieret in defuncto patre nostro, ita coacti fratrem eius elegimus — non ausi dimittere, quod voluntatis eius esse perspeximus — non tamen communiter; quia predicti fratres in contradictione sua persistiterunt et, cum, á domno rege multum[a] etiam invito ac fratris precibus constricto investitus, de Fulda rediret, illi susceptioni eius se subduxerunt, et quod electioni eius, quae secundum Deum facta non erat, consentire noluerunt. Unde et eosdem, qui erant numero quatuor, nobis inconsultis, comes et novus abbas exiliaverunt, cum quidam ex eis, satis eruditi[b] et honeste apud nos conversati, multum á nobis fuerint dilecti nec sine magno dolore sint a conventu nostro subtracti. Quendam vero ex eis, qui presentiam domni papae interpellaverat, postmodo idem domnus Heinricus cępit et in vincula coniecit et fame ac siti, frigore ac nuditate intolerabiliter afflixit et per tres menses carceri mancipavit. Talem introitum habuit in abbatiam.

Quam inutilis autem fuerit in aecclesia nostra tempore

a. multo *c*. b. eruti *c*.

prelationis suae et quam stulte omnia egerit, uno exemplo demonstrari sufficiet: quod, cum fratris sui beneficium liberum ad aecclesiam redisset, de quo multum res nostrae augmentari[a] poterant, absque omni et sua et nostra utilitate de manu eius excidit. Et hanc honestam oportunitatem benefaciendi, quam quasi dormienti Deus obtulerat, prorsus neglexit, et ne aliquis successorum suorum utilitatem inde consequatur, aliquarum[b] rerum intricatione effecit. 1143-1146

Qualiter denique per domnum Thomam, cardinalem presbiterum, apostolicae sedis legatum, depositus sit — accusatus et convictus de symonia, de violenta intrusione, de inutilitate personae, de inobedientia — quia vestrae discretioni incognitum esse non credimus, ob fastidium prolixitatis hic inserere supersedemus. 1146 Mart. 21

Quoniam igitur per misericordiam Dei de persona eius aecclesia nostra liberata est, gratias agimus Deo; et quod de caetero neque dominus neque habitator loci nostri sit, sponsione in perpetuum valitura firmavimus. Neque enim propterea depositioni eius consentientes fuimus, quod denuo eum nobis preponere voluerimus. Scimus autem, quod, nisi affectaret restitutionem dignitatis suae, nequaquam tantopere quereret ibi subesse, ubi aliquando prefuit, precipue cum in principio sedi apostolicae rebellaverit et, tot conatuum suorum amputatis capitibus, cottidie trigeminis assultibus resurgere attemptaverit. Non ergo inter nos eum esse volumus, qui, si oportunitas acciderit, iterum nobis dominari concupiscit.

Litteras etiam domni papae, confirmantes depositionem eius, presenti[c] anno habuimus, in quibus hoc demandavit, quod, 1148 si Corbeiensem aecclesiam fatigare presumpserit et semel ac bis terciove commonitus non resipuerit, non solum prelationis dignitatem, de qua depositus est, in Corbeiensi monasterio non habebit, set nec inter subditos postmodum habitabit[1].

Fatigantem igitur aecclesiam nostram per venerabiles et religiosas personas dominus noster abbas ex communi consilio

a. aumentari *c.* b. quarum *c.* c. *immo* praecedenti. *V. supra p.* 245.

1. V. ep. 84 supra p. 158.

1149 capituli nostri iam plus quam tercio commonuit; nec tamen de fatigatione nostra post commonitionem cessavit. Ex mandato ergo domni papae astricti, eum in consortio nostro recipere non presumimus, quoniam incidere in manus domni papae et similes inobedienti existere per nostram inobedientiam formidamus. Obsecramus itaque paternitatem vestram, ne dure accipiatis, quod in receptione eius vestrae peticioni annuere non valemus, quia causas impossibilitatis nostrae, quanto potuimus brevius, vestrae discretioni ostendimus; quas secundum insitam vobis prudentiam considerando, in gratia vestra nos excusatos habeatis, quoniam, excepta hac peticione quam nulli mortalium concedimus, nos ad omnem vestram pro posse nostro promptos et devotos famulos invenietis. Valete in Domino.

Heae litterae in communi fratrum conventu recitatae sunt et omnium testimonio approbatae. Hii aütem fratres presentes aderant: Waltherus prior, Erminoldus, Ingrammus, Engelgerus, Thidericus, Heremannus, Adelbertus prepositus, Adolfus, Conradus, Elvingus, Metfridus, Ysico, Thegenhardus, Heinricus, Bruno, Abraham, Marquardus, Bruningus, Eico, Liudolfus, Lampertus, Ekkehardus, Heinricus, Adelbertus, Heinricus, Adelbertus, Wernherus, Outhelricus, Arnoldus, Reimarus, Fridericus, Unarchus, Wernherus, Ruopertus, Harthmannus, Saxo, Adelbertus, Reinherus.

---

152. *Wibaldus inter Reinherum praepositum Eresburgensem et Elvericum comitem de Horhusen litem de decimis quibusdam dirimit.* (M. 133.)

1149? In nomine sanctae et individuae trinitatis. Wiboldus Dei gratia Corbeiensis aecclesiae abbas omnibus presentibus et futuris in perpetuum.

Officium prelationis nostrae exposcere videtur, ut circa res aecclesiasticas et personas, quas Deo ordinante regendas et procurandas suscepimus, circumspecta providentia invigilemus, ne vel in rebus suis aecclesia nobis commissa detrimentum patiatur neu subditi nostri propter res aecclesiae ex aliqua scis-

matis occasione, ut plerumque fieri solet, disturbentur, quia 1149?
profecto, sicut iram Dei meretur qui seminat inter fratres discordiam, sic nos gratiam a Deo accepturos speramus, cum seminamus inter fratres concordiam. Noverit igitur universitas fidelium nostrorum, qualiter dilectum filium nostrum Reinherum prepositum de Eresburg et ministerialem nostrum Elvericum comitem de Horhusen ad pacem et concordiam revocavimus pro pacto decimarum de Nien et Keflike, que pertinent ad custodiam Corbeiensis aecclesiae. Has siquidem decimas cum omni tempore custos Corbeiensis libere habuisset in manu sua et venderet vel exponeret, cui volebat, Elvericus tempore domni Heinrici 1146
senioris[a] predecessoris nostri hoc obtinuit, ut easdem decimas dimidias uno tantum anno redimeret. Quo concesso, sequenti 1147
anno multis precibus a nobis et a custode item redemptionem earundem decimarum impetravit, nec de pacto quicquam adhuc quesivit. Tercio nihilominus anno, in pacto redemptionis eas se 1148
a domno Heinrico predecessore nostro recepisse, affirmabat. Cui cum contradiceremus et pactum esse negaremus, nobis reclamantibus, iudiciario ordine ex iure comparium suorum pactum suum in eisdem decimis asserere volebat, set quia hoc fieri prohibuimus, quasi iusticiam suam ei auferremus, diu[1] multumque nobis molestus erat. Denique cum in determinanda hac causa nullam viam invenire possemus, ut pax et concordia inter eum et prepositum de Eresburch haberetur, huiusmodi tandem consilio litem diremimus. Ex consilio fidelium nostrorum redemptionem earundem decimarum inter ipsos divisimus, ut medietatem unam prepositus de Eresburg, alteram medietatem Elvericus annuatim usque ad finem tantum vitae suae redimat, hac conditione, ut in vigilia sancti Iacobi[2] uterque eorum custodi Corbeiensi 30 solidos pro decimis per[b] proprios nuncios transmittant; post finem vero vitae Elverici medietas decimarum ad manum custodis Corbeiensis libera redeat. Ut autem haec constitutio tam

a. sen̄ *eadem manu scriptum est super* Heinrici. b. ꝑ *c.*

1. Itaque non constat, num a. 1148 an a. 1149 data haec tabula sit. Cf. Erhardi Regesta Westphaliae II. 25 n. 1725. 2. Iuli. 24.

1149? Elverico quam preposito Eresburgensi atque custodi Corbeiensi rata et inviolabilis permaneat, cartam hanc in testimonium factae rei conscribi et sigillo beati Viti precepimus signari. Testes autem huius actionis hi fuerunt[a].

153. *Wibaldus B. praeposito scribit, se non mentitum esse sed mendacium dixisse. Indutias petit.* (M. 134.)

1149 Frater Wibaldus Dei gratia id quod est in ecclesia catholica dilecto fratri et amico suo B. preposito salutem et benedictionem.

Cuiusdam sapientis[1] verba sunt haec: *Inter mendacium dicere et mentiri distat. Qui mentitur, ipse non fallitur, alterum fallere conatur; qui mendacium dicit, ipse fallitur.* Item hoc addidit: *Qui mentitur* inquit *fallit, quantum in se; at qui mendacium dicit, non fallit, quantum in se est.* Item hoc quoque super eadem re dicit: *Vir bonus* inquit *prestare debet, ne mentiatur; prudens, ne mendacium dicat.* Et nos, frater karissime, nequaquam mentiti sumus, set mendacium dicere coegit non inprudentia, set necessitas. Itaque longiores adhuc inducias petimus, ut neque mentiti fuisse neque mendacium dixisse comprobemur.

154. *Thiewinus episcopus S. Rufinae et Guido cancellarius papalis Henricum episcopum Mindensem monent, ut de ecclesia Kaminatensi, ubi sacra fieri vetuerit, cum Corbeiensibus transigat*[b]. (M. 135.)

1149 Thiewinus Sanctae Rufinae episcopus et Guido sanctae Romanae ecclesiae diaconus cardinalis[2] et cancellarius venerabili fratri Henrico Mindensi episcopo salutem.

Fratres Corbeiensis monasterii nobis conquesti sunt, quod, cum ad domnum papam perrexissent et apud eum aliquamdiu moram fecissent, in Kaminatensi[c] aecclesia, in qua ipsi religionem reformare ceperunt, divina prohibueris officia celebrari. Quia igi-

a. *desunt testium nomina.* b. *haec epistola in codice bis legitur,* 1. *fol.* 15*v* — 16 *et* 2. *fol.* 50*v*. c. Caminatensi 1, Kaminatensi 2.

1. P. Nigidii ap. Gellium XI, 11, unde totus locus iste: „verba sunt haec — ne mendacium dicat“ ad litteram desumptus est. 2. SS. Cosmae et Damiani.

tur officio tuo nequaquam expedit, ut servos Dei et in bono 1149
proposito perdurantes contra iusticiam debeas molestare, dilectioni tuae mandamus, quatinus cum predictis fratribus ita componas, ut non habeant, unde apud sedem apostolicam iuste conqueri valeant.

---

155. *Wibaldus Stabulensibus, se de morte quorundam monachorum dolere, scribit. Ne quis eorum praestationes monasterii vindicet, interdicit. De iniuria sibi illata addit.* (M. 136.)

Frater W(ibaldus) Dei gratia id quod est in aecclesia ca- 1149
tholica R(oberto) venerabili decano et ceteris in Christo dilectis fratribus, Stabulensis ecclesiae filiis, benedictionem et vitam usque in seculum.

Luctuosas iam á longo tempore litteras á vestra parte accepimus, non equidem vestro vitio, qui semper et optare nobis et annunciare prospera consuevistis et quaecunque fuerunt acerbiora usque in extremum necessitatis articulum celare, set quod manus Dei supra monasterium nostrum est extenta, evocando ad se et subtrahendo nobis fratres nostros, rebus utique divinis maxime utiles ac necessarios. Nos tristamur, fratres, atque lugemus, illos nobis esse ademptos, qui orabant pro populo et pro civitate nostra, intenti iugiter corde et voce ad sui conditoris amorem et laudem, sectantes humiliter omnem obedientiam, diligentes veraciter nostram personam; set laetatur in coelis Christus cum angelis, factos eos esse ex ipsius gratiae dono gloriosae civitatis suae municipes. Domine Iesu, indulge nobis, quia ploramus eos, quos tu recipis; non tibi invidemus quod habes, set de acie nostra fortissimos bellatores subtractos dolemus, licet apud te iam nos familiarius adiuvent, de se nunc securi, set de nobis solliciti. Flevisti et tu, Domine, Lazarum; set quia fortassis resuscitabas iterum huius vitae passurum erumnas, qui mortuus fuerat ad quietem, lacrimatus es tamen ex humano et amico affectu quocunque. Et nos fundimus lacrimas non desperationis set dilectionis, non odii set desiderii, non quia ad te transierunt, set quia á nobis recesserunt. Ve-

1149 rum sicut quatuor illi fratres G. S. A. W., sancto et catholico fine decedentes, spei et fiduciae plenos ad sequendum se nos provocaverunt, ita hic extremus frater E., vir quidem castigatae vitae et totus in lege Dei sui die ac nocte, in quadam parte minus cautus, suo improviso transitu nos non absque gravis offendiculi scrupulo conturbavit. Siquidem, ut nostis, portionem quandam amministrationis ei commiseramus, de qua monasterii prestationibus servire deberet, in qua tenacitatis culpa seductus est, ut plura relinqueret, quam eius saluti expediret. De quibus omnibus vobis in commune mandando precipimus, ne quis vestrum eas tanquam proprias seu communes vel quasi ex testamento delegatas vendicare presumat; set salva et integra omnia ad nutum decani serventur, donec, vobis divina opitulante gratia presentialiter redditi, quid de his agendum sit, sollicite una vobiscum inquiramus. Recordetur eruditio vestra de preda Ihericho anathemati et ignibus devota et de periculo Achar, qui de eodem anathemate furtim subduxit[1], non quo creatura Dei inanimata et insensibilis et ad usum hominis instituta premium mereatur vel poenam, set quo earum excidio hominum sit inobedientia vindicanda et avaricia cohibenda.

Rumor de nobis nuper acceptus, qui vos de salute nostra sollicitos conturbavit, ex parte verus est et ex parte falsus. Damno enim aliquanto et ingenti iniuria affecti sumus, Deo propicio rerum humanarum vicem dispensante et tumorem superbiae, qui de munerum suorum mirabili collatione nasci poterat, quadam interiectae amaritudinis temperantia reprimente, ut veraciter illud cantici canticorum[a] dicere possimus: *Fasciculus mirrae dilectus meus mihi*[2]. Verum quod á paucis latronibus desperatis commissum est[3], tanto ulciscendi studio á ceteris omnibus, qui fidem suam et devotionem servare desiderant, expiatur, ut valde divinam offensam reformidemus, nullum interim honoris vel salutis periculum sustinentes. Potens autem est Deus, de his omnibus nos clementer eripere et ad vos tempore accepto reducere.

a. canticorum canticorum *c*.

1. Cf. Iosue 7, 1. 2. Cant. 1, 12. 3. 1148 Dec. 29. V. ep. 149 p. 230.

156. *Wibaldus Bernhardum episcopum Paderbornensem de Thiderico comite Huxarensi in gratiam revocando consulit.* (M. 137.)

Reverendo patri suo et domino B(ernhardo) sanctae Pather- 1149
bornensis aecclesiae venerabili episcopo frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, dilectionem filii et obedientiam servi.

Multas debemus et multas referimus sanctitati vestrae gratias, quod a longis retro temporibus nos paterno affectu diligere et honorare dignatus estis; quod maxime nunc experti sumus, quando acceptae tam evidentis calumniae amaritudo nos acerbius pulsavit. Siquidem et laborem et expensam non solum equanimiter set etiam hilariter pertulistis et in dando consilio tanta fuistis moderatione usus, ut cauta et circumspecta vestrae discretionis regula paucis possit esse imitabilis. Quamobrem de amico facti vobis amicissimi, finem rei nostrae vestro examini committendum iudicavimus, ut eam partem consilii sine dubitationis angustia tenendam arbitremur, quae nobis á vestrae pietatis et fidei sollercia proponetur. Thidericus comes de Huxara vult se, ut verbis eius utamur, in nostra misericordia dare et ad nostram satisfactionem et reconciliationem sic accedere, quemadmodum dictaverint compares sui, videlicet ministeriales Corbeiensis aecclesiae, qui a nobis ex nostra optione fuerint electi et ex nomine designati. Et quoniam turbati sumus et moti sicut ebrius, et si qua in nobis fuit sapientia, devorata est[1], cogitque nos rerum necessitas[a] quaedam dissimulare quaedam tolerare, ne forte frangatur vas, dum rubiginem eradere cupimus, tamen nichil animo sequendum statuimus, nisi quod vestrae diligentiae complacuisse senserimus. Propterea causam hanc distulimus tractare ac de ipsa respondere usque ad proximam feriam secundam[2], quatinus, vestrae discretionis consilio premuniti, tucius ac melius quae agenda erunt perficere possimus. Nec vero litterarum nostrarum baiulum verbum, quod portat vel accipit, in-

a. necesitas *c*.

1. Ps. 106, 27. 2. Febr. 7? Cf. infra ep. 165.

1149 telligere volumus, quoniam ex illis est; set per epistolam vestram de omnibus certificari volumus.

---

157. *Bernhardus episcopus Paderbornensis Wibaldo rescribit, ut in Thiderico comite sibi reconciliando cautionem adhibeat.* (M. 138.)

1149 B(ernhardus) Dei misericordia Patherbornensium pusillus famulus dilecto fratri W(ibaldo) venerabili sancte Corbeiensis aecclesiae abbati cum omni karitatis obsequio orationes in Domino.

Affectum dilectionis, quem, ex quo vos novimus, circa vos habere coepimus, inviolatum conservare satagimus, ita ut nec personae meae nec rebus pro honore vestro confirmando et voluntate promovenda parcamus; cupimusque vobis in omnibus proficere, si quid Deus annuit sollerter nos deliberando providere. Unde in presentis causae compositione hoc vestrae discretioni fideliter suggerimus, ne sine vestrorum fidelium tam amicorum quam hominum consilio quicquam faciatis; quatinus, si forte quod absit tale quid posthac emerserit, ad assistendum vobis paratos eos, sicut nunc erant, inveniatis. Fatemur quidem, quia multa tolerare vel dissimulare rerum nos cogit necessitas; set sicut pro evitando vulnere graviori interdum sapientis est usque ad vivum putrida non resecare, ita nonnunquam, si non ab imo plage sanitas exsurgit, gravior tortura succedit. Ergo, ut premissum est, discretam sollicitudinem vestram premuniendo cohortamur, ne sine gravis testimonii confirmatione ullam admittatis compositionem. Tutius enim esse putamus apertos habere inimicos, quam occultos laeta fronte pacem mentientes:

Quo semel est imbuta, recens[a] servabit odorem
Testa diu[1].

a. imbuta. r. s. u. b. o. d. r. t. d. *c.*
1. Hor. Ep. I. 2, 69. 70.

---

158. *Anselmus episcopus Havelbergensis Wibaldum de litterarum cessatione reprehendit. Se die 13 Februarii in Italiam profecturum esse, significat.* (M. 141.)

Carissimo fratri et speciali amico W(ibaldo) abbati A(nselmus) pauper Christi se. 1149

Quidam sapiens dixit, breves rationes habendas esse cum amicis; set tu nec longas nec breves iam dudum mecum habuisti, nec una saltem littera me salutasti, presertim cum tibi, non mihi copia sit legatorum. Quid est hoc? ubi es? quo periisti? quid mihi et tibi? quare me dimisisti?

Wisera, curre retro, currat tamen Havala recte.

Ego tamen tuam absentiam semper habeo presentem, sive velis sive nolis. Quodsi velis, mecum est voluntas tua; quodsi nolis, consequenter verum est, absente tua absentia te ipsum presentem esse, et itidem tua voluntas mecum est. Ego ad domnum papam in proximo iturus sum; si quid mandare volueris, per me tuum sicut per te ipsum facere poteris. In dominica *Esto mihi*[1] movebo. Cancellarius te plurimum diligit; quod ut certius scias, litteras[2], quas nuper mihi misit, tibi mitto; quas cum legeris, mihi remitte.

---

159. *Wibaldus Anselmo episcopo Havelbergensi intercapedinem scribendi excusat. Romae et papam et cancellarium salutari vult. Adonem abbatem Rosenfeldensem commendat.* (M. 142.)

Reverendo patri suo A(nselmo) pauperis civitatis et modici 1149 cleri Haveleberch venerabili episcopo frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, se ipsum.

Arguitis nostram, ut vos estimatis, negligentiam verbis quidem de intimo karitatis sacrario depromptis, eo quod vos tanto temporis emenso spacio nec viderimus nec salutaverimus, presertim cum nobis non desit legatorum copia. Set absit á nobis, pater karissime, illa lethea oblivio, illa non puerilis set stultissima negligentia, quae ab animo nostro avellat vestri cum intima dilectione memoriam. Scriptum est: *Ubi est thesaurus*

1. 1149 Febr. 13. 2. v. epp. 121 et 122 supra p. 195. 196.

1149 *tuus, ibi est et cor tuum*[1]. Vos utique et paucissimi de perfectorum numero, quos divinae largitatis bonitas nobis absque ulla meritorum prerogativa, absque ulla similitudinis coherentia dedit amicos, estis thesaurus noster, de quo semper haurimus et non minuitur, de quo fures nihil possunt excerpere, quem rubigo et tinea non possunt corrumpere. Credite nobis, episcope, si totum mundum haberemus, et vos ac vestri similes, qui paucissimi esse possunt, amicos non haberemus, pauperes essemus. Vestri ergo semper memores et per incrementa fortius in amorem accensi, expectavimus temporis oportunitatem, quando desiderata iam diu presentia vestra perfrui possemus et longo colloquio effundere fluctus animae nostrae, quibus cottidie turbamur et movemur sicut ebrius[2]. Siquidem, pater amantissime, habebamus prius uxorem et lippam et infoecundam et preterea macram[3]; haec vero posterior[4], cuius matrimonio copulati sumus, pinguior quidem est, set non minus lippa et sterilis quam altera, et preterea contumacior, nova quaerens et sua quiete dolens.

Utinam, bone Iesu, mihi dares illam Abacuc prophetae translationem, ut, cum venerit Anselmus episcopus Romam ad illum nostrum cancellarium, tam bene nostri memorem, possemus utrisque animae nostrae archana patefacere et eorum consilio et consolatione solidari; nam utrobique divisi, lupum tenemus
1148 per aures[5]. Miseramus Romam pro intimanda domno papae
Nov. Fuldensi electione[6], cui ex ipsius mandato interfueramus. Re-
Dec. 30 liquit nuncius noster[7] 3 Kal. Ianuarii domnum papam sanum et incolumem apud Viterbum, et nostrum cancellarium G(uidonem) plenum iocunditatis et bonae spei. Qui nobis affectum, quem in nostra parvitate concepit et quem in litteris vestris tociens cum desiderio prodit, epistola prolixiore scripta manifestavit; quem nos tantum diligimus, quantum possumus et intelligimus, non quia nos adiuvat, set quia nos diligit, non quia potens est, set

1. Matth. 6, 21. 2. Ps. 106, 27. 3. abbatiam Stabulensem. 4. abbatia Corbeiensis. 5. Cf. Terent. Phorm. III 2, 21, Sueton. Tiber. c. 25. 6. 1148 Nov. V. ep. 138 supra p. 215. 7. Ludovicus. V. ep. 160 infra p. 266.

quia bonus. Domnus quoque papa sua humanitate et clementia nos fecit veraciter suos, ita ut karitas foras miserit timorem. Quem ex nostro nomine intime salutabitis, immensas ei gratias pro universis beneficiis nostrae parvitati collatis referentes. Dicite nostro communi amico cancellario, quod, si nunquam de caetero Romanam aecclesiam et Urbem videremus, si remotissimam heremum habitaremus, sui tamen quodam singulari modo essemus, et ea, quae nobis per litteras suas mandavit, usque ad calcem diligenter observabimus. 1149

Misimus ad pedes pietatis vestrae abbatem Herseveldensem[1]. Qui quoniam vim patitur, respondete vos pro illo, quia nescit, quid dicat inimicis suis; tanta est hominum temeritas et vesania. Summa peticionis nostrae pro eodem abbate haec est, ut ei officium suum apud domnum papam recuperetis — quod, si vultis, et potestis — deinde, ut apud domnum Bremensem[2], quod vobis facile est, obtineatis, ut eum in abbatia sua restituat et causam suam canonico fine terminet. Quicquid huic feceritis, mihi feceritis. Videte, quam immemores vestri simus. Non est dictum: *fuerimus*, quod de preterito et futuro dicitur; set: *simus*, quod est de presenti, hoc est de aeternitate.

Meditati fueramus questionem de creatione angelorum non ignobilem; quam eruditioni vestrae scribere statueramus, ut respondendi necessitate studium vestrum excitaremus. Idemtidem inquisitionem vestram sive ratiocinationes et argumenta de illa vestra positiva iusticia poscere a vobis volebamus, ut nos quoque vel conferendo vel opponendo vel consentiendo vigilaremus.

Utinam liceat nobis, vos ab Urbe revertentes ulnis verae caritatis amplexatum deosculari, ac de statu sacrosanctae matris nostrae Romanae ecclesiae nec non de regni nostri habitudine et de tocius mundi qualitate secretius vobiscum ac diutius conferre. Fere enim solus estis aut inter paucissimos unus, qui de his aliquam meditandi viam ingredi et ambulare noveritis.

1. Adonem abbatem Harsefeldensem sive Rosenfeldensem (dioec. Bremensis). Cf. ep. 161 infra. 2. Hartwicum archiepiscopum.

160. *Wibaldus Guidoni cancellario papali de salute sibi duabus ad Anselmum episcopum Havelbergensem epistolis ascripta gratias agit. Commendat Hartwicum electum Bremensem et Hartwicum praepositum in Italiam euntem.* (M. 113.)

1149 Reverendo patri suo et domino Guidoni sanctae Romanae ecclesiae cardinali diacono[1], apostolicae sedis cancellario, frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, se ipsum.

Non ab re hanc possessionem[2] vestrae sublimitati offerimus, quam ita memoriter et affectuose tenetis, ut, licet vos orbis terrarum cura sollicitet et responsa ecclesiae catholicae detineant, non tamen exiguitatis nostrae sitis inmemores. Quod binae epistolae ad episcopum Anselmum[3] á vobis missae satis patefecerunt, in quibus subscriptam salutationem ad nostram personam piae recordationis affectu subiunxistis. Accepimus litteras vestras, quas nobis per puerum nostrum Ludovicum[4] transmisistis, plurimum ex eis gavisi, quod domnus papa et vos nobis tanquam fideli servo suo aliquid inponere voluistis, in quo studium ac devotio nostra circa Romanae ecclesiae obsequium appareat. Causam Bremensis electi[5], quem eidem ecclesiae plurimum posse proficere non diffidimus, vestrae clementiae suppliciter commendamus. Lator presentium, prepositus[6] Harthvicus, vir prudens et litteratus et in terra sua sublimiter natus, nostrae parvitati á longo tempore notus et dilectus est. Quem dignum credimus, ut ei gratiam vestram cum benivolentia exhibeatis et in suis peticionibus eum misericorditer exaudiatis.

---

161. *Wibaldus Hartwicum I electum Bremensem rogat, ut Adonem expulsum abbatem Rosenfeldensem restituat. Addit de bonis Kaminatensibus deque litteris ad cancellarium papalem missis.* (M. 152.)

1149 Reverentissimo patri suo et domino H(artwico) sanctae Bremensis aecclesiae venerabili archiepiscopo electo frater W(ibaldus)

1. SS. Cosmae et Damiani. 2. sui ipsius (Wibaldi). 3. Havelbergensem. V. epp. 121 et 122 supra p. 195. 196. 4. quem die 30 Dec. 1148 Viterbo profectum esse, docet ep. 159 supra p. 264. 5. Hartwici I. 6. Hamburgensis.

Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, ungento ungi, quod 1149
de capite descendit in barbam, barbam Aaron[1].

Veniens ad nos venerabilis frater noster A(do) Herseveldensis[2] abbas, multis fratribus et coabbatibus nostris, qui Corbeiae convenerant, lacrimabiliter conquestus est, quod a monachis suis multis sit iniuriis affectus et tandem de monasterio suo per ipsorum violentiam expulsus; quod monasterium nunc a laico et illiterato, qui abbati suo hanc invidiam conflavit, contra sacrae regulae auctoritatem regatur. Quam querimoniam cum ad pedes vestrae celsitudinis iam frequenter retulerit, non solum non est in sua necessitate adiutus, set etiam adversarii sui tanto sunt presumptionis spiritu animati, ut de ipso ad vicinas aecclesias quaedam convicia et probra conscribant — contemptores regulae, quae precipit: honorari abbates á monachis, etiam si ipsi, quod absit, aliter agant, nec absque ipsorum consensu et voluntate epistolas dare vel accipere[3] — atque ignari canonum, qui huiusmodi scripturas sub magna districtione interdicunt et auctoribus earum gravissime animadversionis poenas inponunt. Vacant ocio, et ideo vociferantur[4], videntes festucam in oculo abbatis et trabem in suo non considerantes[5]. Reprehendunt abbatem, quod insolentiam et temerariam loquacitatem monachi sui una alapa represserit. Quod et nos laudandum non putamus, cum potuerit haec presumptio vehementius hora et disciplina regulari ad multorum correctionem vindicari. Set abbatis intemperantiam tanto accusationis pondere exaggerant, ipsi pacientiae et humilitatis atque obedientiae inmemores, et in quo ipsum reprehendunt, se ipsos iudicant, non reducentes ad memoriam, quod omnium monachorum pater et dux Benedictus inquietum monachum virga percusserit[6], nec sequentes Libertini monachi exemplum, de quo in primo dialogorum beati Gregorii[7] legitur, quod, cum ab abbate suo per gravem iracundiam scabello subpedaneo esset percussus tumentemque ac lividam faciem haberet, non solum pacienter tulit, set et querentibus, unde sibi accidisset, tanta verborum

1. Ps. 132, 2. 2. s. Rosenfeldensis. 3. V. regulae S. Benedicti c. 7 et c. 54 p. 16 et 32. 4. Exod. 5, 8. 5. Luc. 6, 41. 6. V. S. Greg. dial. II c. 4, opp. ed. Bened. II p. 221. 7. cap. 2, opp. II p. 160.

1149 moderatione respondit, ut nec patris proderet vicium nec falsitatis incurreret peccatum. Proinde nos ac per nos omnes fere tocius Saxoniae abbates vestram clementiam humiliter inploramus, ut, quia scandalum hoc in principio vestrae ad regimen aecclesiasticum promotionis pullulare et erumpere presumpsit, tanto id discretionis zelo corrigatis, ut aecclesia Dei gaudeat, se de vestra scientia nobilitate ac potentia invenisse solatium, et in diebus vestri sacerdotii omnis presumptio conculcetur et iusticia et veritas accipiat incrementum. Scienti legem loquimur. Expulsi aut expoliati rebus suis vocari ad causam nec iudicari possunt, quoniam non est privilegium, quo expoliari possint iam nudati; cuncta vero, quae eis ablata sunt, potestati eorum legibus redintegrentur, et postmodo non sub angusti temporis spacio ad causam dicendam vocentur, set tantum temporis spacium eis plenam omnium rerum suarum facultatem habentibus indulgeatur, quantum expoliati vel expulsi esse videntur[1]. Quod vero dicitur, quia propter bonum pacis sit amotus, ne forte vehementius in eum sevirent monachi, avertat Deus hanc pacem et hoc bonum ab aecclesia sua, ut prelati propter hoc fugiant, ne subditi eorum insaniant. Quin pocius illi proiciendi sunt et longe extra fines relegandi, qui, abiecta propriae professionis regula, sacrorum canonum institutis contra patres armantur et, dum de uno ipsius excessu conqueruntur, scandalis mundum implere non verentur. Mittite Corbeiam illos ferocissimos viros — qui adversus abbates suos prius agunt fustibus quam rationibus, ante pugnis quam verbis, et tunc primum infamare per scripta incipiunt, cum de tota congregatione et tota abbatia expulerint — ut sciant prophetam esse in Israel[2]. Vestra igitur discretio, vestra pietas, quod per canones factura est, faciet per misericordiam ac, restituto abbate in rerum ac possessionis suae integritate, ad pacem, si fieri potest, cuncta revocabit, vel certe[a] iudicii examine universa pensabit. Benedictus Deus, qui dedit vobis, in partibus illis omnia posse, quaecunque inspiraverit vobis velle; atque ideo bonum

a. c̄te *cod.*

1. Cf. Decret. Gratiani P. 2. c. 2. q. 2; et c. 3. q. 1. 2. 4 Reg. 5, 8.

est, ut subveniatis oppresso, ne forte, desertus a misericordia et iusticia, suppremi iudicis clementiam cogatur inplorare. 1149

De rebus vero Kaminatensis aecclesiae vestram benignitatem iterum atque iterum rogamus, ut, quod vestro predecessori A(dalberto) bonae memoriae archiepiscopo a domno papa tam verbis quam litteris[1] iniunctum est, vos in parrochianos vestros, qui etiam vestri ministeriales et homines sunt, prosequi non dedignemini.

Scripsimus pro causa vestra domno cancellario[2], petente preposito vestro H(artwico); in quibus litteris nostrae circa vos devotionis affectus satis apparuit.

---

162. *Wibaldus Friderico abbati S. Godehardi Hildesheimensi scribit, se, in Lotharingiam vocatum, Saxoniae abbatum conventus participem non fore. Adonem, expulsum abbatem Rosenfeldensem, commendat.* (M. 150.)

Reverendo patri suo F(riderico) venerabili abbati ecclesiae beati Godehardi frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium. 1149

Letati sumus in his, quae dicta sunt nobis, quod karissimi patres et domini nostri, abbates videlicet Saxoniae, convenire pariter disponunt et de his rebus pressius et studiosius tractare et ordinare, quae ad vitae nostrae correctionem et monasteriorum nostrorum disciplinam pertinere noscuntur. Cui sancto conventui nos, omnium extremi famuli, gratanti animo interesse desideraremus et eorum aspectu atque colloquio diu desiderato perfrui, nisi quod, quibusdam curis interpellantibus, versus partes Lotharingiae nunc avocamur. Aderit vobis Spiritus sanctus; et nos, vobiscum mente consistentes, ad effectum perducere curabimus, quaecunque ad decorem domus Dei eodem mediatore et auctore ordinaveritis. Inter caetera illi malo fortius occurrendum erit, quod Herseveldenses[3] monachi fratrem nostrum, abbatem suum[4], de claustro et de abbatia sua expulerunt; et nullo in eum iudiciariae actionis ordine celebrato, prius exulare et

1. V. ep. 83 supra p. 157. 2. papali Guidoni. V. ep. 160 supra p. 266. 3. s. Rosenfeldenses. 4. Adonem.

1149 mendicare compellitur, quam delictum vel crimen suum cognoscere. Et quoniam vos misericordem esse non ignoramus, eo fiducialius benignitatem vestram rogamus, ut eum nostra et omnium confratrum nostrorum vice domno Bremensi archiepiscopo[1] presentetis, quatinus cum eo aut misericordiam agat aut iudicium iuxta canonum tramitem exerceat. Orate pro nobis et commendate nos attente fratribus vestris.

---

163. *Wibaldus Hartwico I archiepiscopo Bremensi scribit, archiepiscopatum Bremensem a sese minime expetitum esse. De ecclesiae Kaminatensis possessionibus addit.* (M. 148.)

1149 Reverendo domno H(artwico) venerabili Bremensis[a] aecclesiae archiepiscopo frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Clericus noster Heinricus de Kaminata, qui[b] quasdam petitiones nostras ad vestram sublimitatem á nobis missus pertulit, inde reversus narravit, quod adversum nos graviter essetis commotus et coram multis grandem de nobis querimoniam fecissetis, insuper et minas in nos et nostra intentassetis. Quod nos credere nullatenus potuimus, quoniam conscientia nostra veraciter nobis attestatur, quod nec in verbo nec in opere contra personam et dignitatem vestram scienter quicquam egimus. Et quia lex nostra non iudicat quemquam, nisi prius audiatur, ex eo discretio vestra providere debuit, ut, quoniam non exiguo amiciciae vinculo devincti eramus, prius interrogaretis et postmodo iudicaretis. Siquidem, ut industria vestra bene recordatur, duo pacta inter nos contracta sunt, alterum divinum et alterum humanum. Et humanum quidem secundum iura et institutiones humanas solvi et immutari potest, ut videlicet, qui hactenus noster homo et tanquam miles per hominagium fuistis, nunc dominus et pater noster fieri incipiatis. At vero contractus divini conventio valet in aeternum, propter illum, qui in lege sua mandavit, ne assumamus nomen eius in vanum[2]; propter illum,

a. Bremensi *c.* b. qui *addidi.*

1. Hartwico I. 2. Exod. 20, 7.

qui iuravit et non penitebit eum[1]; unde et David: *Iuravi* inquit 1149
et statui custodire[2]. Recordamini quod, postquam ad archiepiscopatus culmen ascendistis, litteras prudentiae vestrae transmisimus, in quibus vos intimo affectu de quibusdam premonere ac premunire studuimus; in quibus si audire consilium nostrum placuisset, hodie Bremensis aecclesia et vos pace meliori potiremini. Set indignamini nobis, ut fertur, quod, cum de electione Bremensis archiepiscopi, vacante tunc sede, ageretur, in nostram personam omnium fere vota se inclinaverunt. Nos in aecclesia Bremensi nullum novimus preter personam vestram et equivocum vestrum, Harthvigum prepositum[3], et Erfonem prepositum[4] et Albertum canonicum. Ceterorum nomina et facies ignoramus. Civitatem ipsam nunquam nisi semel intravimus, et sero inclinata iam die venimus et mane facto egressi sumus. Quando predecessor vester bone memorie Albero archiepiscopus obiit[5] et vos ei successistis, nos eramus in Stabulensi monasterio, quod a Brema itinere dierum septem distat, omnium rerum quae ibi agebantur ignari. A nobis nulla persona sollicitata est, nulla submissa. Nos in talem disceptationis aleam non libenter incidimus, ubi tam de natalibus quam de moribus subtilissime disputatur et frequentissime erratur. Atque infirmitatis nostrae et humilitatis bene conscii, ad tantam rem et tam reverendam oportune gerendam nequaquam accedere presumeremus, precipue cum eadem ecclesia, prius domina gentium et princeps provinciarum, tanquam vidua facta sit sub tributo[6]; ad cuius contriciones sanandas si vestra eruditio prudentia nobilitas et fortitudo non sufficiunt, desperandum potius ei erit quam de alicuius hominis adiutorio confidendum. Abiecto itaque á vestri pectoris sinceritate tocius suspicionis rancore et depulsa omni detractorum fallacia, nos, qui in veritate vos diligimus, redamate, quoniam in eo qui veritas est vobis loquimur, quod contra vos in aecclesia Romana[a] nec litteras nec sermonem aliquem direximus, immo ad vestrae dignitatis provectum modis omnibus sub-

a. *sic cod.*

1. Ps. 109, 4. 2. Ps. 118, 106. 3. Hamburgensem. 4. S. Willehadi Bremensem. 5. 1148 Aug. 25. 6. Thren. 1, 1.

1149 venire parati sumus. Vestram vero discretionem intime rogamus, ut, sicut domnus papa vestro predecessori scripsit[1], nobis de parrochianis et ministerialibus vestris, qui bona Kaminatensis aecclesiae invaserunt, iusticiam faciatis, quibus nichil prorsus dedimus vel concessimus vel datum recognoscimus. Commendamus vestrae pietati latorem presentium.

---

164. *Wibaldus Heinricum abbatem Fuldensem et Hersfeldensem ac Fuldenses hortatur, ut expulsos monachos resumant.* (M. 144.)

1149 Reverentissimo patri et amico suo H(einrico) venerabili Fuldensi et Hersveldensi abbati et omnibus Fuldensis aecclesiae filiis, tam monachis quam laicis, frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Filii et fratres vestri Lampertus et Dudo et alii quidam nostram parvitatem vel per se vel per nuntios suos sepenumero adierunt, orantes attentius, ut ad pacem et reconciliationem vestram et ad regressum monasterii sui, de quo se iniuste pulsos conqueruntur, viam per nostrae peticionis intercessionem aperiremus. Quod nos karitatis intuitu, licet inviti, tandem assumentes, omnium et singulorum pedibus animo advoluti, suppliciter deprecamur, ut misereamini fratrum vestrorum et, quia propriae actionis vicio de aecclesia nec egressi nec proiecti sunt, set quaedam communis discordia, quam esse firmiter sopitam oportet, de vestro eos collegio proturbavit, ipsos cum bona venia in congregatione recipiatis et sicut filios et fratres vestros benigna karitate foveatis. Omnium fratrum nostrorum circa nos positorum sentencia et peticio eadem est, timentium, ne forte scandalum aliquod gravius inde valeat oboriri, si non fuerimus in hoc á vobis exauditi.

---

165. *De Theoderico comite Huxarensi cum Wibaldo in gratiam reverso.* (M. 145.)

1149 Febr. 8 Anno Domini 1149, prelationis autem domni Wiboldi abbatis in Corbeiensi aecclesia tertio, Theodericus comes villae[2]

1. V. ep. 83 supra p. 157. 2. Huxarensis.

a Reinhero de Porta interpellatus est de duello; qui hoc imponebat ei, quod ex consilio eius equi domini sui abbatis sublati atque enecati fuerint[1], idque singulari certamine contra eum se asserturum proposuit. Cum ergo pro huiusmodi perfidiae suspicione tam a domno abbate quam ab omnibus pene comministerialibus suis Theodericus execrabilis et odiosus haberetur, volens se expurgare de imposita sibi perfidia, paratum se et promptum ad duellum contra R(einherum) dicebat. Prudentiores vero condomestici eorum, considerantes, non absque communi turpitudine comparium suorum inter duos coequales suos huiusmodi pugnam posse committi, domnum abbatem obnixis precibus rogabant, quatinus satisfactionem Th(eoderici) reciperet, qui ad gratiam ipsius redire et pro obiecto sibi crimine sive per iusticiam sive per misericordiam satisfacere paratus esset. Huic ergo peticioni domnus abbas non abnuens, elegit ex ministerialibus suis: octo, videlicet Karolum senem, Elvericum comitem[2], Heinricum de Rikh . . .[a], Heinricum de Liutmarsen[b], Godescalcum de Godelovessen[c], Bunonem, Udonem, Reimmarum; quos huius reconciliationis consiliarios constituit, ut, quicquid isti secundum honestatem ipsius et aecclesiae in consilio invenirent, ipse sequeretur; hocque eis se facturum promisit. Exponens itaque eis causas, pro quibus in gratia sua Th(eodericus) non esset, reliquit eis, qualiter secundum honestatem suam et aecclesiae, communicato inter se consilio, reconciliationem ordinarent, hoc premonito, ut Reinherum de hac reconciliatione non exciperent. Prenominati igitur octo, diu inter se habito consilio, in hoc tandem consenserunt: ut domnus abbas sua auctoritate et imperio duellum inter R(einherum) et Th(eodericum) eximeret; ac Th(eodericus) in sacris reliquiis beati[d] Viti iuramento comprobaret, se innocentem esse de his, que R(einherus) ipsi obiecerat et pro quibus eum ad pugnam vocaverat; et hoc iuramentum absque contradictione R(einheri) fieret; sicque per domnum abbatem tam de hac causa quam de aliis, si que inter eos essent, in presenti

1149 Febr. 8

a. Rikħ. *c. an* Rikhersen? b. Liutm̄. *c.* c. Godelovess̄. *c.* d. baeati *c.*

1. d. 29 Dec. 1148. V. ep. 149 supra p. 230. 2. de Horhusen.

1149 Febr. 8 reconciliarentur; iuramentum deinde Th(eodericus) in eisdem reliquiis prestaret, quod absque et voluntate atque conscientia sua domnus abbas equos suos perdidisset; postmodum iuraret, quod cum domno Heinrico post depositionem eius reconciliationem nullam fecerit; duodecim preterea obsides de propinquis suis domno abbati daret, quod nunquam deinceps contra domnum abbatem vel facto vel consilio scienter ageret, quod si huius sponsionis prevaricator aliquando existeret, hos duodecim obsides eque ut domnum abbatem inimicos et adversarios haberet. Hoc ergo consilium domnus abbas, quemadmodum promiserat, secutus est. Th(eodericus) primum iuramentum explevit, quod ad R(einherum) pertinuit; secundum et tertium iuramentum, que ad domnum abbatem pertinebant, pro misericordia abbas sponte etiam non rogatus ei remisit, pugnam utrisque interdixit, deinde ipsos ad invicem reconciliavit. Dedit consequenter Th(eodericus) obsides fidei sue duodecim ex propinquis suis, hos videlicet: Frithericum dapiferum, Bunonem, Godescalcum de Godelovessen, Reimmarum, Conradum de Amelungessen[a], Liuddagum, Heinricum fratres, Bertoldum, Elvericum comitem, Godefridum de Munekhusen et duos, qui presentes non erant, quos in brevi se adducturum promisit, Wernonem de Iesikhe, Helmwigum de Godolumen. Decem igitur, qui presentes erant, data fide et propria manu in manum abbatis, singillatim una eademque sententia promiserunt: quod, si Theodericus fidem suam contra eum violaret, se inimicos et adversarios, nisi gratiam eius sine ipsorum interventu reciperet, iugiter habiturus esset. His ergo fideiussoribus sub hac conditione receptis, domnus abbas Theoderico gratiam suam reddidit, et in osculo pacis eum recepit. Acta sunt haec Corbeiae 6 Idus Februarii, presentibus fratribus nostris senioribus et presentibus nobilibus pueris hominibus aecclesiae, Adelberto comite de Everstein, Widikindo de Sualemberch; erat etiam presens Florentius, filius comitis Sifridi de Erteneburch, coram ministerialibus aecclesiae multis.

a. Amel̄. *c.*

166. *Manegoldus canonicus Paderbornensis Wibaldi doctrinam virtutemque laudat.* (M. 146.)

Domino W(ibaldo) venerabili Corbeiensium abbati M(anegoldus) suus, in omnibus negociis utraque manu uti pro dextra. 1149

Quociens Mercurii et Philologiae coniugium, tanta cura Virtutis et Apollinis quesitum et omni conventu[a] deorum comprobatum[1], considero, dum inter alia septem Nimpharum adventum perpendo et singularum proprietates attendo, amplexus tam desiderabilis coniugii non carnalibus brachiis exhibitos vobis attribuo, dum tocius philosophiae florem, dum et divinitatis et septem liberalium artium et omnium pedissequarum[2] scientiam apud vos et armarium studio invenio aptissimum. Preter hanc specialem industriam predicatur de vobis accidens, vobis inseparabile et proprię proprium, scilicet morum excellens ingenuitas. Quos cum phisici secundum qualitates complexionum[b] probent diversificari, facile probari potest, vos optima complexione temperari. Vos igitur, qui non estis dealbatus in pariete[3], set niger in corporis superficie, mira virtutum, scientiae et morum claritate fulgetis in pectore. Quorum omnium si, quantum scirem, probationes exequerer, favorabili[c] aura aures vestras liniendo, de vicio adulationis et yperbole notari[d] timerem et epistolaris compendii metam excederem. Si igitur aliquid perfectum natura in humanis adinventionibus expolivisset, vobis profecto plenaria non deesset perfectio; cum tamen nichil emendatione dignum vel in vobis vel in domo vel in familia, nichil omnino vel in contento vel in continente, quod modo cum artificiosa surgit dispositione, corrigendum invenerim, nisi quiddam contra ortographiam in superliminari australis ianuae[4], quod non ex ignorantia non ex negligentia, set ex aliqua, quam nostis, factum est industria. Propter haec omnia ultra quam dici vel credi potest mihi de-

a. convent⁹ *c.* b. completionum *cod.* c. favorali *c.* d. votari *c.*

1. V. Martiani Capellae Satirarum librum 1 et 2, qui inscribuntur: „De nuptiis Philologiae et Mercurii“ (ed. Kopp p. 1—252). 2. artium. 3. Act. apost. 23, 3. 4. Tres litteras vocales enim in U u i baldi nominis initio positas improbavit Manegoldus; cui de hac re in epistola 167 infra p. 287 respondit Wibaldus.

1149 siderabilis est vestrae iocunditatis presentia, non ideo tantum, quia[a] multiplici ferculorum genere corpus meum nuper pavistis, set quia gratioribus condimentis, mansuetudine scilicet et hilaritate, animum meum recreastis.

Multi de mundo docuerunt ore rotundo;
Ad[b] quid sit factus[1], quo tempore factus et unde,
Nobis auctorum scriptis aperitur abunde.
E[c] quorum numeris qui dicunt, omnia veris
Grata temperię primos ortus habuisse,
Ortus rebus eos aptos patet attribuisse.
Lex[d] veris talis, veris complexio talis:
Dum constricta gelu nequit arida fructificare,
Ver[e] calidum, set et humectum, solet hanc animare.
Sic fit fecundus redivivo germine mundus[2].

Abbas, haec in te complexio mira notatur;
Illa per effectus in tę regnare probatur.
Illa tuum fructus ad tam pulchros cor aravit,
Hec in corde tuo virtutem fructificavit,
Quae pulchros mores commendat, et auget honores.
Ergo tua quis miretur de prosperitate,
Virtus in tanta tibi cum faveat probitate.

---

167. *Wibaldus ad Manegoldi canonici Paderbornensis blanditias rescribit.* (M. 147.)

1149 Wibaldus Dei gratia Corbeiensis aecclesiae procurator dilecto fratri et amico suo M(anegoldo)[f], maioris aecclesiae in Patherburna canonico et scolae magistro, legere[g] ut intelligat, intelligere ut sapiat, sapere ut provideat, providere ut vivat.

Delectatus sum, frater, litteris tuis, non quia me laudas, set quod te studere intelligo; non quia me effers preconiis, set quia me diligis. Nulla enim laudatio sine amore fieri potest;

a. quam *c.* b. Id *c.* c. Et *c.* d. Rex *c.* e. Per *c.* f. *in margine alia manu s. XII. scriptum est* Manegoldo. g. legē *c.*

1. sc. mundus. 2. Decem horum versuum principiis Manegoldi nomen formari liquet.

nam yronia, et quicquid intorte vel oblique dicitur, laudatio non 1149
est. Originem suam á fonte amoris laudatio habet; inde est, quod etiam viciis amicorum plerumque delectamur. Discipuli magistrorum sentencias tuentur, non quia verae sunt, set quod auctores amant; scola adversus scolam debachatur, odio vel amore magistrorum; et clamore defendunt, quod ratione non possunt. Beatus Augustinus dicit: *Qui nos diligunt, querunt, quae bona de nobis laudent; qui nos non diligunt, querunt, quae mala de nobis loquantur.* Ita verum est, quod probatio dilectionis exhibitio est operis; est enim laudatio quoddam opus. Non igitur, quia a te sum laudatus, presertim in re falsa, quoniam laudis tuae titulos in me nec sentio nec recognosco, rescribere indoli tuae temptavi; set, ut dilectionem fortius inflammarem et studia in te accenderem, furatus sum publicis actionibus nocturnas horas, in quibus tibi responderem. Contra morem meum facio, ut singulari numero loquar, qui cum monachis nostris pluraliter dicere consuevimus[1]; set scribo scolastico et philosophiae vias ingredienti, qui de ipsis studiorum suorum penetralibus laudationis meae ornamenta depromsit.

Set quid loquar vel quid ammonebo, cum dici nichil possit, quin iam dictum siet? Negat Cicero, si duplicetur sibi etas, habiturum se tempus, quo legat liricos, eodem loco dialecticos. Putas fortassis dictum, quia vir gravis et serius et philosophiae disciplinis explanandis deditus haec tamquam levia et inepta proiecerit. Set libri eius non solum sententiis set et verbis ipsorum referti sunt. Tanta ante ipsum conscripserant poetae, tragici, comici, lirici, dialectici ac sophistae, ut taceam de philosophia et liberalium artium preceptoribus; rusticas quoque res, agriculturam videlicet et architectonicam, suo iam tempore non pauci in libris ediderant. Quanti sua aetate et post illum fuere philosophi et poetae! Lege Tranquillum, lege Cornelium Nepotem et alios quosdam gentiles de viris illustribus; tanta esse scripta intelliges, quae vix á quoquam studiosissimo legi possint. Ad nostros veniam christianae religionis philosophos.

1. Cf. ep. 150 supra p. 250. 251.

1149 Inspice aecclesiasticam hystoriam Eusebii et aliam ecclesiasticam, quae vocatur Tripertita; revolve libros Ieronimi[a] presbiteri, Ysidori episcopi, Gennadii abbatis de viris illustribus, et videbis, quos duces habuerit aecclesia post apostolos, et intelliges, quod omnia, que dici possunt, ab illis summis philosophis preoccupata sunt, ut nichil iam possit dici novum. Ne errandi quidem locus relictus est novus. Erratum est á multis, et errores ipsorum á melioribus redarguti et confutati sunt. Illi ipsi, qui ob ignominiosam gloriam heretici contendunt fieri, non nova inveniunt, set vetera replicant, et superfluas verborum novitates, quas apostolus devitandas precipit[1], quae multorum sunt correctione antiquatae, tamquam propria ratiocinacione inventas in contentionem adducunt. Quid loquar de caeteris viris doctissimis, qui post predictos in aecclesia Dei scribendo et disserendo preclara ingenii sui monimenta reliquerunt? Bedam dico et Ambrosium Aupertum[2], Heimonem[3], Rabanum, Iohannem Scottum et multos preterea, quorum opera legimus; nec non illos, quos vidimus: Anselmum Laudunensem[4], Wilhelmum Parisiensem[5], Albricum Remensem[6], Hugonem Parisiensem[7] et alios plurimos, quorum doctrina et scriptis mundus impletus est; quos nos, desidiae et avariciae dediti, sub ceca oblivionis nocte latere sinimus, nullo ipsos vel eorum opera illustrantes eloquio. Num igitur ad te scribens, nova possum cudere? Nequaquam. Erit tamen aliquid; quoniam, si de veterum fuerint decerpta pomeriis, nova videbuntur alibi insita; et in eo nova erunt, quod tibi scripta sunt, cui antea scripta non sunt.

a. Ieromini *c*.

1. 1 Timoth. 6, 24. 2. de Ambrosio Autperto cf. Hist. liter. IV. 141. 3. episcopum Halberstatensem (840—853), de quo v. Bähr Gesch. der Röm. Liter. im Karol. Zeitalter p. 408. 4. Anselmus decanus Laudunensis, qui theologiam Lauduni professus ab ineunte saeculo XII, obiit 15 Iulii 1117. V. Auctarium Laudunense, Mon. Germ. SS. VI. 445. Cf. Hist. litér. X. 170 sq. 5. Wilhelmus de Campellis, archidiaconus Parisiensis, qui a. 1113 factus episcopus Catalaunensis, obiit d. 18 Ian. 1121. V. Simeon. Dunelm. ap. Twysden Hist. Angl. SS. 243. 6. qui Remis fuit usque ad a. 1136, quo quidem anno factus archiepiscopus Bituricensis, obiit a. 1141. V. Hist. litér. XII. 72 sq. 7. abbas de S. Victore Parisiensis, qui obiit d. 11 Febr. 1141; de quo v. Hist. litér. XII. 1 sq.

Nunc itaque ad litterarum tuarum lineas responsurus, primo 1149
gratum habeo et laudo, quod de arte tua meae laudationis sumpsisti exordium, iuxta illud Flacci:

Quod medicorum est,
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri[1].

Set vide, ne erraverit iudicium tuum, quod in me scientiam et facundiam predicasti, quae illo Marciani Capellae multiplici et enigmatico epithalamio[2] figurantur. Artes quae dicuntur liberales et cetera, quae de medicina vel agricultura scribuntur, ab optimis preceptoribus accepi; divinarum expositionem litterarum á catholicis et doctissimis viris minus quam deceret studiose audivi; multorum tractatus et commentarios tam in divina quam in seculari litteratura perlegi. Set vaga et multiplex lectio quantum affert voluptatis, tantum aufert utilitatis. Phisico loquor. Cacostomacha sunt plura et diversa fercula, et onerant valitudinem pocius quam reficiunt. Ad consuetos et simplices cibos remittuntur, qui peregrinis et variis egrotare ceperunt. Prodigus filius cupiebat ventrem suum implere de siliquis, quas porci comedebant[3], quia iuxta psalmistam oblitus erat comedere panem suum[4]. Multiplex lectio et summis labris degustata mulcet animum, non pascit; delectat, non instruit. Est quedam avaricia in scientia, unde et primi parentes temptati sunt: *Eritis* inquit *sicut dii scientes bonum et malum*[5]. Multa discuntur non propter studium set propter curiositatem, non ut simus meliores set superbiores. Scientia enim inflat, caritas edificat[6]. Legitime igitur utendum ea[7], quae iuxta apostolum destruetur, ut illam[8] teneamus, quae nunquam excidit[9].

Neque hoc dico, ut te a studio legendi meditandi scribendi ac declamandi deterream. In quorum curriculo nunc maxime versor, illud assequi summopere desiderans, ut ea, quae lego, memoriae tenaciori commendem; et in hoc me exercere soleo, ut post lectum aliquod cuiuspiam nodosae questionis volumen,

1. Hor. ep. II. 1, 115. 116. 2. v. supra p. 275 n. 1. 3. Luc. 15, 16. 4. Ps. 101, 5. 5. Gen. 3, 5. 6. 1 Cor. 8, 1. 7. scientia. 8. caritatem. 9. 1 Cor. 13, 8.

1149 locos et argumenta et disputandi vias et conclusionum laqueos amoto libro memoriter replicem.

Ad industriae et studii exempla sequenda proponuntur nobis: Cato[1], qui sextum et octogesimum agens annum, ab inimicis capitali crimine accusatus, causam suam egit; neque aut memoriam eius quisquam tardiorem aut firmitatem lateris ulla ex parte quassatam aut os hesitatione impeditum animadvertit; Grecas litteras in senectute didicit[1]. Terentius Varro[2], Publius Crassus[3], Marcus Cicero, Iulius Cesar inter studiosos Latinorum tenuerunt principatum. De Grecis vero Demostenes[4] inter oratores maximus, Pitagoras philosophus[5], Plato[6] patriam Athenas preceptorem Socratem sortitus, et locum et hominem doctrinae fertilissimum[6], Democritus[7] phisicus, Carneades[8] laboriosus et diuturnus sapientiae miles, qui cum Chrisippo disputaturus elleboro se ante purgabat[8]; Anaxagoras[9] qui, cum é diutina peregrinatione studiorum patriam repetisset possessionesque desertas vidisset, *Non essem* inquit *ego salvus, nisi iste perissent*[9]; Socrates[10], cuius supra meminimus, qui etate provectus fidibus tractandis cepit operam dare[10]; Sophocles[11] et Symonides[12] poetae. Inperatores vero industrii: Temistocles[a][13] qui omnium civium suorum nomina memoria comprehendit[13], Cyrus[14] qui cunctorum militum suorum nomina, Mitridates qui duarum et viginti gentium, quae sub regno eius erant, linguas ediscendo, ille ut sine monitore exercitum salutaret, hic ut eos, quibus imperabat, sine interprete alloqui posset[14]. Longa series, annotare de singulis memorabilia et texere illustrium virorum et operum indicem.

a. Temosticles *cod.*

1. „Cato — didicit" ex Valerii Maximi libr. 8, 7. 1. 2. ex eiusdem ibr. 8, 7. 3. 3. ex eiusdem libr. 8, 7. 6. 4. ex eiusdem libr. 8, 7 extern. 1. 5. ex eiusdem libr. 8, 7 extern. 2. 6. „Plato — fertilissimum" ex eiusdem libr. 8, 7 extern. 3. 7. ex eiusdem libr. 8, 7 extern. 4. 8. „Carneades — purgabat" ex eiusdem libr. 8, 7 extern. 5. 9. „Anaxagoras — perissent" ex eiusdem libr. 8, 7 extern. 6. 10. „Socrates — dare" ex eiusdem libr. 8, 7 extern. 8. 11. ex eiusdem libr. 8, 7 extern. 12. 12. ex eiusdem libr. 8, 7 extern. 13. 13. „Temistocles — comprehendit" ex eiusdem libr. 8, 7 extern. 15. 14. „Cyrus — alloqui posset" ex eiusdem libr. 8, 7 extern. 16.

Set ne forte reprehendere et arguere incipias, me monachum 1149
et iam canescere incipientem talia vel lectitare vel cogitare, scias, quod ego haec castra ingredior non tanquam desertor et transfuga, set sicut explorator[1] et spoliorum cupidus, si forte Madianiten rapere possim, quam pilis erasis et unguibus desectis legitimo mihi valeam copulare matrimonio[2].

Set veniam ad nostros, quorum ingenia et studia mirari et laudare possumus, equare et imitari non possumus: Cyprianus martyr et pontifex, Lactantius, Hylarius Pictaviensis, Ambrosius Mediolanensis, Ieronimus[a] Effrateus, Augustinus Ypponensis[b], Leo Magnus urbis Romanae episcopus et alii quam plures precipui et clari viri, ingenio facili copioso suavi et, quae sermonis maxima est virtus, aperto, ut discernere non queas, utrumne ornatiores in eloquendo an feliciores in explicando an potentiores in persuadendo fuerint.

Hii tamen cum in una et eadem fidei catholicae regula formati fuerint, quaedam scripserunt non solum diversa set etiam repugnantia. Sicut Lactancius qui, Iudaicam secutus novitatem, mille annorum fabulam introduxit, in quibus post resurrectionem ait Dominum in carne cum sanctis regnaturum. Cyprianus contraria sentit de rebaptizandis his, qui baptizati sunt ab hereticis; set errorem suum sanguine expiavit. Ambrosius et Ieronimus[a] de digamia sacerdotum opposita loquuntur, et suam quisque sententiam fortissima et tanquam insolubili scripturarum auctoritate tuetur. Augustinus et Ieronimus de eo, quod Paulus Petro in faciem restitit, variis et dissonantibus scriptis longa contentione dissenserunt. Non ergo mirum, si philosophi[c] gentium, doctrina litterarum mirabiles cogitando ac disputando veritatis inquisitores set tamen inveniendi effectum minime assequentes, inter se et contra se discordaverunt, si phisici contra logicos et logici contra ethicos digladiati sunt. Set in phisicis ac logicis disceptationibus et contrarietatibus venia concedi poterat, quia, sive aliquid dicebant, nichil proderant;

a. Ierominus *c*. b. Ypponenssis *c*. c. philophi *c*.

1. Cf. Senecae ep. I. 2, 4. 2. Cf. Deuter. 21, 12. 13.

1149 sive delirabant, nichil nocebant. In moralibus vero nullus discidio, nullus errori locus est; unum sentire omnes oportet ipsamque philosophiam uno quasi ore precipere, quia, si quid fuerit erratum, vita omnis evertitur. In illa priori parte, ut periculi minus, ita plus difficultatis est, quod obscura rerum ratio cogit diversa et varia sentire. In hac, sicut plus periculi est, ita minus difficultatis, quod usus ipse rerum et cottidiana experimenta possunt docere, quid sit melius et verius. Conclamant igitur adversum se scolae: Epicurus contra Stoicum, Stoicus contra Peripatheticum, Peripatheticus adversus Achademicum; et pro magistrorum acumine et inventis tota discipulorum turba decertat, et suis quisque munimentis preceptorum sensa et dicta tuetur et multiplicat. Atque in uno, quod est summum ac principale, in quo totius sapientiae cardo versatur, quantum dissenserint, adverte. Epicurus summum bonum in voluptate animi esse censet; Aristippus in voluptate corporis; Callipho et Inomachus[a] Cyrenaici honestatem cum voluptate iunxerunt; Diodorus in privatione doloris summum bonum ponit; Ieronimus[b] in non dolendo; Peripathetici autem in bonis animi et corporis et fortunae summum bonum fatentur; Hebilli[c] summum bonum est scientia, Zenonis cum natura congruenter vivere; quorundam Stoicorum virtutem sequi; Aristotiles in honestate ac virtute summum bonum commendavit. Heae sunt fere omnes omnium sententiae. In tanta diversitate quem sequeremur? cui crederemus? cum par esset omnium auctoritas, nisi venisset ille qui dixit: *Ego sum via, veritas et vita*[1]; et: *Creditis in Deum, et in me credite*[2].

Haec tam longo ambitu ad hoc dicta sunt, ut recte scribere, distincte legere, apte pronunciare, predicamenta et sedes argumenti nosse, persuadere dictione, numerorum vim et naturam intelligere, armoniam et intervalla discernere, abacho et gnomone et astrolabio precellere, complexiones et graduum conexiones iudicare, parum vel nichil valere scias[d], si non cogno-

a. *sic pro* Dinomachus. b. Ierominus *c.* c. *sic pro* Herilli. d. scias *addiderunt Martene et Durand.*

1. Iohan. 14, 6. 2. Iohan. 14, 1.

scatur, si non ametur Deus. Quem si cognoverimus, si amando 1149
secuti fuerimus et sequendo ad ipsum pervenerimus, cum omnia sciente omnia sciemus. Ibi rusticus et illiteratus et acute inveniet et subtiliter iudicabit et copiose disseret. Et haec est vera discendi via, quae ad esse ducit, quoniam quidem omne animal non esse formidat. Te igitur moneo, te hortor, ut legas et non negligas; legas libros et non negligas mores. Intellectus bonus omnibus facientibus eum[1]. Servus, sciens voluntatem domini sui et non faciens, plagis vapulabit[a] multis[2]. Potentes potenter tormenta patientur[3].

Argutias et sophisticas conclusiunculas, quas Gualidicas a Gualone quodam vocant, nec exercebis superbe nec contemnes penitus. Haec huiusmodi sunt: *Quod non perdidisti, habes; cornua autem non perdidisti, cornua ergo habes;* item: *Mus sillaba est; mus autem caseum rodit; sillaba ergo caseum rodit;* et controversim acutior illa collectio: *Mus sillaba est; sillaba autem caseum non rodit; mus ergo caseum non rodit.*[4]

Mirabatur dominus noster C(onradus) rex ea, quae á litteratis vafrę dicebantur; et, probari non posse, hominem esse asinum, aiebat. Iocundi eramus in convivio, et plerique nobiscum non illiterati. Dicebam ei, hoc in rerum natura non posse effici; set ex concessione indeterminata, nascens á vero mendatium, falsa conclusione astringi. Cum non intelligeret, ridiculo eum sophismate adorsus sum: *Unum* inquam *habetis oculum?* Quod cum dedisset, subieci: *Duos* inquam *oculos habetis?* Quod cum absolute annuisset, *Unus* inquam *et duo tres sunt; tres igitur oculos habetis.* Captus verbi cavillatione iurabat, se tantum duos habere. Multis tamen et his similibus determinare doctus, iocundam vitam dicebat habere litteratos.

Ceterum fac, ut haec exsolvere non possimus, quod periculum aut quod incommodum nobis inminet! De iusticia, de pietate, de frugalitate, de pudicitia utraque — et illa, cui alieni corporis abstinentia est, et hac, cui sui cura est — disputatio

a. vapul' *c.*

1. Ps. 110, 10. 2. Cf. Luc. 12, 47. 48. 3. Sap. 6, 7.

1149 neglecta dispendium parit, non aurae popularis amisso disputationis[a] preconio, set vitae pocius atque morum detrimento.

Porro quod eloquentiae mihi portionem aliquam tribuisti, iudicium tuum amore illectum est ac deceptum. Est enim res nec parvi temporis nec exigui studii nec modicae exercitationis, scire vim et naturam animorum, excitare pigros, sistere currentes et tanquam habenis quibusdam potentibus circumflectere. Licet enim natura sit habilis et ad recipiendas quascunque formas mollis atque tractabilis, quamvis eruditor diligenter et copiose tradat, tamen, si frequentis usus actio desit, quae longe a claustris monachorum seclusa est, lumen á tenebris suffocatur, ignis á cinere non alitur set extinguitur. Oportet oratorem et vinci et vincere, ut noverit se et suos et scuto protegere et gladio ferire. Lege Quintilianum de institutione oratoria, qui ab utero matris susceptum infantem limare incipit[1] et formare in oratoris perfecti substantiam. Haec vis atque potentia longius á nostra etate recessit. Quoniam omnis iurisdictio[b] aut est aecclesiastica vel secularis. Et in foro quidem ius dicunt laici illitterati, optima interdum natura prediti; set tamen in populo Germaniae rara declamandi consuetudo breviter et quasi per quedam puncta significandi potius quam explanandi usum fecit. Altera iuris pars, quae canonica vocatur, a viris litterarum doctissimis amministratur, quibus in ore est lex Dei, ex qua audiunt: *Nolite iudicare, ut non iudicemini*[2], per quam discunt, quod apud christianos miser est, non qui patitur, set qui facit iniuriam. In illo summi legislatoris edicto legunt: *Sit sermo vester: Est, est; Non, non; quod autem his amplius est, a malo est*[3]. Et unus eximiae illius curiae orator dicit: *Amputa obprobrium meum, quod suspicatus sum*[4]. Si ergo nec suspicione nec coniectura nec occasione aliquid vel ad probandum[c] vel ad non probandum assumitur, restat simplex constitutio causae: *Fecisti?* »*Feci*« vel »*Non feci*«[5]. Ipsi gentilium di-

a. disputatione *c.* b. iurisditio *c.* c. vel approbandum *c.*

1. L. I, 1. 2. Matth. 7, 1. 3. Matth. 5, 37. 4. Ps. 118, 39. 5. Cf. Ciceron. de inventione l. I. 8, 10.

serti in suis diffinitionibus statuerunt, quod aliter[1] censor loqui 1149
debet, aliter rethor. Rethori concessum est, sententiis uti falsis, audacibus, subdolis, captiosis, si veri similes modo sint et possint[a] ad movendos[b] animos hominum qualicunque astu irrepere. Preterea turpe esse putant rethori, si quid in mala causa destitutum atque inpropugnatum[c] relinquat[1]. Non ergo[2] decet sanctum virum, fide et gravitate preditum, apud christianorum aures tale quid dicere, quod verum non esse sibi atque omnibus videatur[2]. Qui in causa canonica diserte agit, suae pocius gloriae quam ipsius rei deservire putatur. Ariopagitae, castigatissimi Greciae et Athenarum iudices, neque proemiis nec epilogis quemquam uti permittebant, set simplici et minime colorata narratione; sic omnia pene rethorices precepta quassabantur. Est tamen interdum in aecclesia quedam rerum oportunitas, in qua dicendi artificium inreprehensibiliter exercetur, et maxime in predicandi officio. In cuius gratiae principatu, meo quidem iudicio, ponitur vir nostrorum temporum valde illustris B(ernhardus) Clarevallensis abbas. Oratorem eum non immerito dixerim, qui á rethoribus[3] diffinitur: *Vir bonus dicendi peritus.* Siquidem vir ille bonus, longo heremi squalore et ieiuniis ac pallore confectus et in quandam spiritualis formae tenuitatem redactus, prius persuadet visus quam auditus. Optima ei á Deo concessa est natura[d], eruditio summa, industria incomparabilis, exercicium ingens, pronunciatio aperta, gestus corporis ad omnem dicendi modum accommodatus. Non igitur mirum, si potenti tantarum rerum virtute excitat dormientes, immo, ut plus dicam, mortuos, et Domino cooperante et sermonem confirmante alterat homines et ad iugum Dei trahit captivos, qui fuerant in curribus Pharaonis. Hunc tu vere dixisses eloquentem, qui non destruit

a. posst̄ *c.* b. medendos *c.* c. inpugnatum *c.* d. *super* natura *iterum positum est* ei.

1. ex Gellii libr. I. 6, 4 desumpta sunt omnia haec: „aliter censor — inpropugnatum relinquat". 2. „Non ergo — videatur" scripsit Wibaldus imitando Gellii (I. 6, 5) locum hunc: „Sed enim Metellum, inquit, sanctum virum, illa gravitate et fide praeditum, — apud populum Romanum loquentem, nihil decuit aliud dicere, quam quod verum esse sibi atque omnibus videbatur". 3. a M. Catone ap. Quiutilian. XII. 1, 1.

1149 opere, quod predicat ore, qui non est intus Nero, foris Cato. Quem si aspicias, doceris; si audias, instrueris; si sequare, perficeris. Et tu si gloria dicendi tangeris, elige unum quem sequaris, cuius eloquentia tuus animus permulcetur. Maximorum oratorum concors sententia est, ornatius et copiosius dici posse imitando eloquentes, quam artis precepta sectando. Set de his hactenus, ut scias quod nesciam.

Laudasti mores meos, non veritatis sed benivolentiae ductus testimonio. Set si in cordis mei, quod pravum est et inscrutabile[1], domicilia fuisses introductus et audires in iudicio mentis meae, quando pro tribunali sedet ratio, cogitationum inter se accusantium gravissimos clamores et acerbas questiones, ubi nec tonsura nec habitus nec pallor nec macies potest ferre suffragium, videres animal horribile et omni monstro deformius. Ibi accusator tam forti quam veraci argumentatione intendit, ibi defensor aut nullus est aut confitetur. Set cave dixeris mores rectos á natura profectos, quia omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum[2].

Licet enim, estate conceptus, vere natus fuerim, quae tempora secundum phisichos tuos optimae sunt complexionis, tamen gratia Dei sum id quod sum et cottidie ipso adiuvante contendo fieri melior. Non est igitur genesis meae et parentum meorum derivationis, qualiter vivam, set divinae gratiae, quae et prevenit et adiuvat, cui vocanti quin immo trahenti recalcitrare et reniti quasi ingratus non debeo. Uterinos[3] certe habeo, in quibus Deus tantam suae bonitatis non est dignatus exercere potentiam.

Effers domum nostram[4] preconiis. Quae quidem multo melior est, quam dignus sim, set inordinatior quam velim. Tanta est enim huius temporis contumacia, tanta disciplinae profligatio, ut non accipere nedum sentire castigationem velit ulla familia, et fallit sepe illa tanto tempore laudata sententia: *ut pater familias, ita et domus eius.* Ceterum familia nostra arcior non

1. Ierem. 17, 9. 2. Iacob. 1, 17. 3. E Wibaldi uterinis (quos hic de impietate quadam reprehendit) non novimus nisi Erchembertum (v. ep. 18 p. 99; et Wibaldi tab. ap. Martene Coll. II. 116) et Erlembaldum, postea abbatem Stabulensem (v. Ianssen Wibald p. 7). 4. Corbeiensem.

est familia primi parentis Adae, in qua frater fratris sanguine 1149
parricidali terram inebriavit; nec angustior familia Noe in arca, in qua fuit filius, qui, derisa postmodum nuditate patris, filiorum propaginem in ipsa stirpe maledicto subiugavit; neque numerosior familia Salemonis, in qua fuit Adaht Idumeus[1] sui domini persecutor. Nonne in domo illius, a quo omnis sapientia est, fuit inter duodecim apostolos unus Iudas proditor[2]? Nos vero interdum ut homines erramus, aliquando negligimus aut victi rerum necessitate tacemus.

Erant habitacula Corbeiensis abbatis angusta et ruinosa; nos ereximus nova et fortia et quae suam multitudinem possint capere, Tullianum illud pro foribus et pre oculis habentes: *Non domo dominus, set domino domus honestanda est*[3]. Inscriptum est nomen meum in superliminari australis ianuae cum numero, quotus sim in cathalogo abbatum Corbeiensium; quod feci, non ut evacuarem spem, que reposita est in sinu meo, set ut docerem posteros, ne essent avari sive profusi vel ociosi. Scriptum est ibi Grecis litteris illud de templo Apollinis: *Scito te ipsum.*

Causaris, quod in principio nominis mei tres vocales contra recte scribendi rationem coniunctae sint; quarum duae insertae pro consonantibus ponuntur et nomen trissillabum efficiunt[4]. Tu putas, regulariter id non posse fieri; et postulas, ut prima nominis littera V vel separata vim vocalis[5], vel iuncta sequenti et eidem vim consonantis obtineat[6], et nomen tetrasillabum fiat. Verum scolastice: Si possunt in nomine proprio vel appellativo duae consonantes ante vocalem iungi, sicut *gnato, Gneius, spiro, flores, fluctus,* cur duae vocales loco consonantium positae conglutinari et conflari non possint? Set ut me questione tua liberem, et vel iratus vel placatus a me recedas, Latinis regulis barbara nomina stringi non possunt; et nos Germanici sumus, non Galli Comati, qui in talibus nominibus G pro V anteriori ponunt[7].

Haec, frater dilectissime, pro tuae amicitiae intuitu et pro accendendis forcius studiis tuis contra rigorem instituti nostri

1. 3 Reg. 11, 14—25. 2. de Wibaldi proditoribus v. ep. 149 supra p. 230. 3. Cic. de Off. I. 39, 139. 4. sic: Wibaldus. 5. ut legatur Uvibaldus. 6. ut legatur Vuibaldus. 7. sic: Guibaldus.

1149 iocundius ad te scripta sunt. Non timeo reprehensores, quia caritas benigna est, paciens est, omnia credit, omnia sustinet[1].

Habui in memoria, dum haec scriberem, quiddam, quod in libris eorum, qui facta vel dicta memorabilia conscripserunt, invenitur. Augusto Cesari procedenti e palatio Greculus quidam importune solebat occurrere[a], porrigens ei laudum suarum quaedam epigramata. Offensus imperator hominis frequenti adulatione et intempestiva, ut erat litterarum amator et Grece sciens, aliquando prevenit Grecum, et epigramma, quod ipse in laudem eius conscripserat, ad legendum ipsi porrexit. Quo decurso, Grecus exclamat, ingenium domini laudibus effert, demissaque in peram manu, assem, quem solum habebat, tulit: *Tene* inquiens *imperator, non secundum tuam set secundum meam fortunam.* Qua volubilitate ingenii exhilaratus princeps, largiori eum munere ditavit[2]. Ego exemplum sequens, pro binis laudationum tuarum scedulis[3] plenam epistolam tibi remitto, inter curas et multiplices labores duarum noctium lugubratiunculis effusam.

---

168. *Wibaldus B. facto abbati S. Michaelis gratulatur.* (M. 151.)

1149 Reverendo patri B. venerabili abbati aecclesiae sancti Michaelis frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Gratulamur plurimum et aecclesiae vestrae et personae; aecclesiae, cui Deus salutare provisionis amminiculum prestare dignatus est, personae, quod eam preordinatio congruis honorum provectibus sublimavit; quoniam et inhabilis persona loci sublimitate dehonestatur et aecclesia personae humilitate gravatur. Set cum haec persona illustrat aecclesiam et ecclesia ornat personam, dulcis armonia est et salutaris utique rei simphonia. Vestrae familiaritati artius inherere desideramus et totum studiose perficere, quicquid vestrae bonitati de nobis complacuerit.

---

a. occurere *c.*

1. 1 Corinth. 13, 4. 7. 2. De hac narratiuncula cf. Macrobii Saturnal. II. 4, 31. 3. quarum schedularum altera Manegoldi epistolam, altera versus continuisse videtur. V. supra p. 275 et 276.

169. *Corbeienses Wibaldum interrogant, Herimanno puero in ecclesiam Kaminatensem de tecto praecipitato et mortuo, num ibidem sacra procurare liceat.* (M. 153.)

Karissimo domino suo et patri Wibaldo Corbeiensi abbati 1149
fratres Corbeienses debitam obedientiam et devotam orationum[a] perseverantiam.

Quod de aliquo tristis rei casu vestram paternitatem conturbare debemus, supra modum ipsi dolemus. Set quia congruum est, ut omnia vestrae scientiae nuda et aperta sint, non absque magno cordis gemitu, quod pro peccatis nostris nuper apud Kaminatam accidit ex permissione Dei, vestrae prudentiae
notum facimus. Duodecimo Kal. May quidam de pueris nostris Apr. 20
scolaribus Herimannus, cognatus fratris nostri Her(imanni) senioris, cum alio puerulo super tectum ecclesiae Kaminatensis, quod noviter tegitur, ascenderat fratribus nostris nescientibus, et accidente casu de suppremo fastigio tecti per laquear in pavimentum decidit et statim ibidem expiravit, et mortuus elatus est. Locus autem ruinae in aquilonari abside fuit iuxta altare sancti Dyonisii; ubi cum diligenter quesitum esset, inveniri non potuit, quod aecclesia sanguine illius polluta sit. Corpus defuncti ad novale apud Sanctam Mariam sepultum est. Fratres Kaminatenses postea divinum officium in aecclesia non celebraverunt. Super hac re mandatum vestrum expectamus. Nec hoc lateat discretionem vestram, quod apud Kaminatam in turri singularis ecclesiae dedicatio est; ubi si liceat divina celebrari, prudentia vestra discernat.

---

170. *Wibaldus Corbeienses de Heinrici pueri obitu consolatur. Mandat, adeant episcopum Mindensem, ut expiet ecclesiam Kaminatensem.* (M. 154.)

Wibaldus Dei gratia Corbeiensis abbas dilectis in Christo 1149
fratribus et filiis Corbeiensibus benedictionem et vitam usque Mai.
in seculum.

Mestos vos esse et afflictos animo super interitu pueri vestri et fratris H(erimanni), litterae vestrae ad nos transmissae pate-

a. orat̄ *cod.*

1149 Mai. fecerunt. Set si recordemini, quod ipsum caput nostrum, ipsum creatorem et redemptorem nostrum, ipsum mundi tocius et omnium rerum dominum princeps invidiae diabolus de pinnaculo templi precipitare noxia persuasione voluit; si scriptum recolitis, quod omnes, qui pie volunt in Christo vivere, persecutionem patiuntur; si memoria tenetis, quod, cum immundus spiritus á sua fuerit habitatione expulsus, revertitur, assumptis secum septem nequioribus se[1]; facile poteritis contemnere oblatrantis vulgi vana iudicia et, solidata in Deum spe certissima, ad emundationem et restaurationem Kaminatensis ecclesiae studiosius intendere. Succurrere debuit dolori vestro et animi molestias detergere, quod de sacratissimo patre nostro Benedicto legitur[2], quod, cum in arce Casinensis castri idolum Apollinis contrivisset et, ara subversa lucisque succisis, oratoria beatorum Iohannis et Martini construxisset, demon, eiusdem loci habitator, cepit in virum sanctissimum horrendis vocibus infremere et fratres ipsius tum saxi pondere tum phantastico coquinae incendio multis fatigationibus illudere tum etiam pueruli monachi contricione nec non senioris cuiusdam, in quem ingressus erat, vexatione eos á loci purgatione et á sancta ibidem conversatione detestabili artis suae ludibrio deterrere. Non itaque vos deterreant aniles fabulae, set, confidentes de misericordia Dei et ipsius protectione, firmate in Kaminatensi ecclesia religionem, que ante nostrum ibidem adventum prorsus deperierat, purgate et locum et animas á demonum contubernio et observate diligenter ipsorum versutias. Sane sumptis litteris nostris, quas ad vos destinavimus, presentiam domini et patris nostri Mindensis episcopi[3] adibitis, et super reconciliatione eiusdem ecclesiae, quam pollutam fratris nostri casu et morte iudicat, misericordiam ipsius implorate. Ad quam legationem peragendam nos prepositum A(delbertum) et camerarium R. designamus. Quodsi turris Kaminatensis ecclesiae seorsum á cetero corpore templi alia Kalendarum die dedicata fuit, fratres nostri secure poterunt in ea divina celebrare mysteria.

1. Matth. 12, 45. 2. in S. Greg. dial. II c. 8—11, opp. ed. Bened. II 229—233. 3. Heinrici.

171. *Wibaldus Heinricum episcopum Mindensem rogat, ut in ecclesia Kaminatensi sacra procurare concedat.* (M. 155.)

Reverendo patri suo et domino H(einrico) venerabili Mindensis ecclesiae episcopo frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium. 1149 Mai.

Fratres nostri, dum iuxta mandatum domni papae et domni regis ad restaurationem Kaminatensis ecclesiae laborant, ab inimico totius salutis temptati et exacerbati fuerunt. Nam quidam puer monachus de culmine templi, cui tunc retegendo insistebant, lapsus, in pavimento ecclesiae collisus expiravit, nullo tamen cruore effuso. Unde advoluti animo pedibus vestrae sanctitatis rogamus, ut pro reverentia domni papae et pro honore domni regis et regni iuxta discretionem vobis á Deo concessam provideatis, ne locus ille divinis pro hoc officiis privetur. Dolemus valde, quod desiderato et totiens expetito colloquio vestro frui non potuimus, cum vobis in veritate servire et vos honorare parati simus.

---

172. *Wibaldus Malmundariensibus praecipit, ut Liebertum, rei monachicae desertorem, aversentur.* (M. 156.)

Frater W(ibaldus) Dei gratia Stabulensis aecclesiae servus dilectis in Christo fratribus et filiis Malmundariensibus monachis benedictionem et vitam usque in seculum. 1149

Venientem ad nos fratrem quondam nostrum Liebertum benigne, prout licuit, recepimus. Quem cum coram fratribus de[a] his, quibus nos et ecclesiam sepius offenderat, paterne satis pro tempore et re increpavissemus, iniunximus ei pro pena, si tamen pena dici possit, ut nobiscum apud Stabulaus more fraterno maneret, donec, inspecta eius humilitate, quid agendum esset, Deo auctore videremus. Non solum non acquievit, set in furiam et in eam, qua arrepticii feruntur, vesaniam conversus, cultellos et arma, quibus se et nos interimeret, querere, desperationis verba ore sacrilego promere, symbolo, id est *Credo in Deum,* derogare et, quod numquam amplius Deum invocaret, seviens

a. et *c.*

1149 et se ipsum dilanians, dicere incepit. Huius igitur desperati hominis, et ante altare beati Remacli propter aecclesiam violandam se occidere attemptantis incendiumque monasterio minitantis, insaniam non ferentes, fratres nostri nos, qui data sententia conventum exieramus, adierunt, nostrum super tam detestabili homine consilium non sine dolore et lacrimis flagitantes. Nos, captato cum prioribus nostris consilio, facto tabulae sonitu[1] quippe iam missa maior cantata erat, capitulum intravimus. Quesivimus ab eo, utrum post rebellionis eius acceptam iniuriam obediens nobis et sanctae regulae vellet esse. Cum persisteret dicendo, se personam suam velle modis omnibus á nobis alienare, nos ei optionem proposuimus, ut aut iuxta monachorum instituta nobis obediret aut, deposito religionis habitu, á nobis et a monasterio suo, nunquam reversurus, recederet. Et hoc quidem fecimus secundum duritiam cordis eius, metuentes, ne forte in profundum desperationis et in suae necis appetitum mergeretur, malentes, eum utcunque vivere quam vitam inpenitenti animo finire. Ipse vero, nichil cunctatus set quasi gaudens, quippe quem nequam spiritus iam mente invaserat, abiecto monachili habitu, hylaris et ridens exivit, cum nos in maximo merore pro ipsius animae interitu dimitteret. Et nos quidem, de nostris peccatis iram Dei plurimum metuentes et nichil in hoc mundo temere iudicantes, pio tamen et catholico sensu nos intelligere credimus, quod ob blasphemiam, quam in Deum semper habuit, et ob invidiam[a] et maledicta[b] atque probra, quibus sanctissimum confessorem Christi atque pontificem Remaclum insectatus est, et propter fraternum odium et semina scandali, quae inter[c] duo loca, Stabulaus videlicet et Malmundarium, singulari caritatis glutino coniuncta, spargere non cessavit, in hanc mentis cecitatem et pertinaciae laqueum prolapsus est; sicut de Iuda traditore legimus, qui, post venditum Dominum abiens, laqueo se suspendit. De quo universitati vestrae mandamus et in virtute sancti Spiritus

a. invidiam *in litura manus posterior scripsit.* b. maledita *cod.* c. inter duo loca *in litura manu alia.*

1. i. e. tabula malleo pulsata.

per verbum sacrae obedientie precipimus, ut eum neque colloquio neque consilio neque auxilio intus sive foris foveatis, sed ipsum tamquam Christianae communionis extorrem et totius obedientie ac religionis eversorem devitare ac persequi cum omni veritate et instantia studeatis. 1149

---

173. *Wibaldus Waltario monacho, cellae Eresburgensis presbytero, sacris, quibus perverse usus sit, ad tempus interdicit.* (M. 157.)

W(ibaldus) Dei gratia Corbeiensis abbas fratri Waltario, 1149
concipere spiritum timoris Domini, parturire humilitatem, parere obedientiam.

Multa sepe et gravia de tua conversatione ad nos referuntur tam á fratribus, cum quibus habitas, quam á laicis honestis; qui dolent, nomen Dei propter te blasphemari inter seculares nostramque personam ledi et Corbeiense monasterium infamari et totum monachorum ordinem per te vilem fieri. Super quo frequenter á nobis affectione paterna commonitus, resipiscere nequaquam voluisti, set, retribuens mala pro bonis, sterilitatem animae nostrae[1], maledicta et execrationes tuis correctoribus rependis. Audivimus enim de te rem insaniae iunctam, immo vero sacrilegio et detestatione plenam, quod videlicet, cotidiano desperationis furore accensus, missam de sancta trinitate sine intermissione celebres sub hoc cecatae mentis proposito, ut tam nostra persona quam tuus prepositus per hoc tam in temporali[a] prosperitate quam in corporum nostrorum valitudine acerbius ledamur. O hominem omni lacrimarum imbre deflendum, qui de fide perfidiam facit, de pietate sacrilegium, de religione ydolatriam. Summa illa et gloriosa atque ineffabilis trinitas, á quibus digne et laudabiliter invocatur, ad se ipsam obtinendam et habendam invocatur, ut eius visione perfruantur, qui invocant nomen eius, et ab illa inter mundi huius adversa et prospera gubernentur, á qua se recognoscunt conditos et á morte sempi-

a. temprali *c*.

1. Ps. 34, 12: „Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animae meae“.

1149 terna per Iesum Christum liberatos. Hoc nomen invocetur super nos, quod non perdit innoxios nec salvat nocentes; invocetur, inquam, non obdurati cordis et infidelis oris alloquio set innocentiae et puritatis obsequio. Preterea non dissimilem impietatis errorem incurrisse argueris, in eo scilicet, quod mercatorem quendam, secularibus tibi et prohibitis commerciis socium et amicum, anathematizaveris. Soles enim, tractatis recenter vivificis sacramentis, extra aecclesiam in cimiterium fratrum exire, ut inde possis oppidum Horenhusen, quod in valle situm est, despicere et, contemplata domo tui sodalis, ipsum et uxorem ac liberos excommunicare. Quis te constituit principem populi? Cum ad presbiterii gradum ascendisti, potestatem accepisti consecrandi corpus et sanguinem Domini, non potestatem ligandi atque solvendi. Hanc potestatem accepit aecclesia catholica cum beato Petro, set non est diffusa in omnes, qui sacerdotali officio funguntur, set eis tantum collata, qui ad curae spiritualis amministrationem eliguntur. Nonne cum talia agis, Balaam prophetae recordaris, qui ad maledicendum populo Dei ascendit in montem, et cecatus avariciae tenebris, tociens prohibitus, dum pertinaciter maledicere desiderat, copiosae benedictionis munus cum gratia prophetae[a] contulit? Sic benedicitis, cum maledicere putatis; et convertitur in vos maledictio, et transit ad proximum benedictio. Vidimus in quibusdam illud psalmistae impletum: *Priusquam humiliarer, ego deliqui*[1]; et quos lascivientis lubricum carnis evertebat, facti subiectiores et ad omnem obsequii et patientiae cultum promptiores, recompensabant modeste serviendo et mores aliorum sustinendo, quicquid dispendii lapsu carnis commiserant. Tu non audis David dicentem: *Nolite fieri sicut equus et mulus*[2]. Set peccatum tuum ut Sodoma predicas et non abscondis[3] et, quod pessimum est, mentiendo iurando et detestando fratrum animos offendis. Diceris etiam quosdam caracteres habere, et illos ad quedam prestigia et diabolicas incantationes atque usus improbos conscribere, quibus ne gentilium

a. ꝓphñę *c.*

1. Ps. 118, 67. 2. Ps. 31, 9. 3. Isai. 3, 9.

quidem ullus doctus et honestus fidem accommodare voluit. Cum 1149
ad cognoscendum haec et alia quedam, super quibus in te et nos tota clamat provincia, secundum priorem monasterii nostri, fratrem videlicet Isiconem, Ersborch misissemus, fratres omnes tam illiterati quam litterati, sorores Deo dicatae et reliqua cellae familia concors contra te tulerunt testimonium; set tu impudentia, qua omnes vincis, cunctis resistebas, non vera dicendo, set singulis conviciando. Et nunc, quoniam clamor tuus cotidie ascendit, per verbum sanctae obedientiae tibi precipimus, ut ab altaris et missae officio abstineas et ut de quatuor parietibus claustri passum pedis non exeas et cum laicis et secularibus personis colloquium per te vel per submissam personam non habeas, donec, obedientia et humilitate tua cognita, quid agendum sit, Deo auctore provideamus. Quodsi nostri mandati, quod ex communi fratrum sententia tibi[a] iniungimus, contemptor et prevaricator extiteris, scias pro certo, omnem cellae illius[1] habitationem et reditum ad nos vel monasterii nostri domicilia tibi[b] penitus interdici.

---

174. *Wibaldus Corbeiensibus significat, sese H. et A. ministerialibus Corbeiensibus gratiam delicti fecisse.* (M. 158.)

Frater W(ibaldus) Dei gratia Corbeiensis abbas dilectis in 1149
Christo fratribus et filiis Corbeiensibus monachis benedictionem et vitam usque in seculum.

Venientes ad nos Stabulaus ministeriales Corbeiensis ecclesiae H. et A., qui, ut nostis, equos nostros apud Corbeiam furati fuerant[2], se more gentis suae evaginatis gladiis in maximo populi conventu nostrae misericordiae dediderunt et nobis vitae necisque suae potestatem tradiderunt. Qua humilitate et insolito ensium spectaculo nec non labore longioris viae, super ipsos miserando, permoti Stabulenses nostri tam fratres, qui omnes in ecclesia presentes aderant, quam ministeriales ecclesiae nostrae, quorum maxima pars alia de causa ad nos ea die convenerat, cum ingenti precum instantia apud nos licet invitos et

a. tibi *addidi.* b. tibi *addidi.*

1. Eresburgensis. 2. 1148 Dec. 29. V. ep. 149 supra p. 230.

1149 renitentes effecerunt, ut eos in gratiam reciperemus et tam de eorum peccato quam de pena et satisfactione ex consilio et sententia vestra et ministerialium Corbeiensis ecclesiae diffiniremus. Eapropter scripsimus domino nostro Patherburnensi episcopo[1], ut eos ab excommunicationis vinculo, quo innodati erant, sub predictae conditionis firmitate absolvat, et usque ad reditum nostrum ad vos pacem eos in terra habere permittat.

---

175. *Geraldus abbas S. Petri Solemniacensis Wibaldo scribit de suis angustiis per sanctum Remaclum sublatis.* (M. 159.)

1149 Karissimo nostro et cum omni reverentia nominando G(uibaldo) domno abbati Sancti Remacli de Arduenna G(eraldus) suus, abbas Sancti Petri Sollemniaci[2], de virtute in virtutem, videre Deum deorum in Syon[3].

Ante omnia vobis karissimi petimus, quatinus communi patri nostro sancto Remaclo gratias agere et preces pariter fundere, ut filii domestici, pro nobis fratribus vestris dignemini. Gratias inquam, quia nos, opitulante Deo, de magnis tribulationibus pius[a] pater erutos in magna pace ad presens constituit; preces etiam nichilhominus fundere queso, quatinus, sicut actenus bene consuevit, patrocinari nos usque in aeternum non desinat. De vestris autem necessitatibus scire volumus, quomodo erga vos pius pater et patronus operetur et opituletur. Valete, fratres et domini.

---

176. *Wibaldus Geraldo abbati Solemniacensi officiose respondet. Petit, ut quatuor cuniculos sibi mittat.* (M. 160.)

1149 Reverendo patri suo et domino G(eraldo) sanctae Sollemniacensis aecclesiae venerabili abbati et fratribus ibidem Deo militantibus frater Guibaldus Dei gratia ecclesiae beati Remacli servus, quae est in Stabulaus, salutem in eo, qui mandat salutes Iacob[4].

Literae vestrae ad nos per pueros vestros perlatae vestrae prosperitatis et sospitatis indices fuerunt; quae tanto nos propensiore gaudio repleverunt, quanto[b] per ipsas fuimus certiores,

a. pus *c.* b. quato *c.*

1. Bernhardo. 2. dioec. Lemovicensis. 3. Ps. 83, 8. 4. Ps. 43, 5.

quod fides vestra, quae per dilectionem operatur, firmissime tenet 1149
et nullatenus dubitat, omne datum optimum et omne donum perfectum desursum esse et á patre luminum descendere[1]. Levastis siquidem oculos vestros in montes, unde venit auxilium vobis[2], quando religiose de communis patris et patroni nostri, sanctissimi videlicet confessoris Christi Remacli, meritis cogitantes, eius patrocinio estis assecuti, quod communia peccata prepedire videbantur. Et licet eruditio vestra et devotio abunde intelligat, eisdem studiis conservandam esse prosperitatem, quibus eam adepti estis, tamen nostra sollicitudo non arbitratur esse otiosum, si et vos filiali et intimo affectu commoneamus et vos in id ipsum supplicibus votis adiuvemus. Nam vestra prosperitas nostra est; et in tantum sunt nobis omnia vobiscum communia, ut nichil alienum, nichil segregatum iudicemus, nisi quantum intervallis locorum, quibus valde invidemus, spacio longiore distamus. Et quoniam de nostrarum rerum habitudine pia vos animi anxietas permovet, sciat vestra sinceritas, quod in labore hominum sumus et cum hominibus flagellamur[3], quia, tantarum et tam remotarum rerum procuratores, numquam vel raro absque vexatione tempus preterire possumus. Ceterum res nostras Deo propitio per merita et intercessionem venerandi pastoris et patroni nostri Remacli moderante, summa rerum salva est, licet de partibus aliquantulum depereat; nosque in persona sani et incolumes sumus et vestri in veritate amatores. Remittetis nobis circa tempus autumnale cecum vestrum latorem presentium, cui etiam ductorem viae prebebitis; et per ipsum nobis quatuor cuniculos, duos videlicet mares et duas feminas, mittetis.

---

177. *Wibaldus Hartberto episcopo Traiectensi de ecclesia Linwardensi scribit.* (M. 161.)

Reverendo patri suo et domino H(artberto) venerabili sanctae 1149
Traiectensis aecclesiae episcopo frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

1. Iacob. 1, 17. 2. Ps. 120, 1. 3. Ps. 72, 5.

1149 Sicut vestrae celsitudini iam antea suggessimus, clericis, qui aecclesiam de Linward tenuerunt, et prebendam et beneficium abiudicari fecimus propter tria capitula, quorum singula poterant esse peremptoria. Primo, quod donum altaris et curam animarum á vobis suscipere neglexerunt; unde et eadem aecclesia, quae est Corbeiensis aecclesiae possessio, in ius vobis proprietarium adiudicata est, set per gratiam et misericordiam vestram nobis et monasterio nostro omni cum integritate restituta. Secundo, quod censum, ex antiquo iure debitum, iam per biennium solvere neglexerunt. Tercio, quod, decurso iam nostrae prelationis apud Corbeiam trium fere[1] annorum spacio, neque ad nos venerunt nec debitam nobis reverentiam et honorem exibuerunt. Quae cum ita sint, misimus ad pedes vestrae sanctitatis Corbeiensis aecclesiae camerarium sub tali discretae moderationis mandato, ut, quoniam personam vobis exiberi, quae curam eiusdem aecclesiae susciperet, precepistis, si favor vester circa aliquam personam inclinatur, eam vobis ex nostra parte, salvo iure nostro et censu aecclesiae, presentare debeat; quae quidem persona, licet sola curam accipiat, tamen in quarta parte prebendae á nobis ordinabitur. Quod si etiam de tribus reliquis prebendis vestrae discretioni placuerit, ut aliqua persona vobis grata investiatur, etiam in hoc vestrae voluntati libenter obtemperabimus. Si vero nulla de amicis vestris ordinandis vobis voluntas extat, personam, quam ei ex nomine designavimus, vobis presentabit. Ad cumulandum quoque beneficium, quod nobis liberaliter impendistis, et ad promerendum cumulatius nostrae servitutis augmentum, quod bono inchoastis principio, fine optimo terminetis, et nos de amico vobis amicissimum efficiatis.

---

178. *Heinricus archiepiscopus Moguntinus Wibaldo scribit, in synodo Erfordiensi quae acta sint.* (M. 121.)

1149 H(einricus) Dei gratia Maguntinae sedis humilis minister W(ibaldo) speciali amico suo, Corbeiensis aecclesiae venerabili

1. itaque ante d. 20 Oct. 1149 scripta haec epistola est. Cf. supra ep. 141 p. 223 n. 2.

abbati, dilectionis et benignitatis ad omnia devotam et promtam exhibitionem. 1149

Fideli ammonitioni et pie devocioni vestrae, quam in profectione nostra ad domnum papam nobis exhibuistis, non solum gratias referimus, verum etiam suo loco et tempore condigna operis exhibitione respondere parati sumus. Iuxta peticionem autem legati vestri actionem quorundam negociorum, quae ex precepto domni pape presentibus suffraganeis nostris Erfordie[a] tractavimus et terminavimus, vobis innotescere curamus. Primum capitulum erat de quodam abbate de Burgilin[1], qui querimoniam habebat adversus comitem Sizonem[2], quod quedam bona aecclesiae suae violenter tulisset et pertinaciter teneret; quam a domno papa nobis iniunctam consilio et auxilio fratrum nostrorum, utrimque facta pace et concordia, terminavimus. Secundum erat de comite H., qui uxorem suam dimiserat et aliam superduxerat. Huius negotii talis erat actio. Domnus Hildeneshemensis episcopus[3] asserebat, quod inter ipsum et priorem, quam pro uxore habebat, propter cognationem canonica facta erat separatio; set, quod de incestu, quem cum nepte sua commiserat, penitentiam suscepisset vel peregisset, non affirmabat. Unde fratribus nostris decernentibus, quod ante peractam penitentiam matrimonium contrahere nec posset nec deberet, Maguntiam ad sinodum nostram in proxima feria secunda post ascensionem Domini[4] ad satisfactionem eum vocavimus. Preterea Heresveldensem[b] abbatem[5], quia, inconsulta aecclesia nostra et absque verbo nostro Fuldensem suscipiens abbatiam, ab obedientia nostra se alienavit, fratribus nostris sanctientibus vocavimus. Preter haec multa erant, quae singula longum esset enumerare; set haec vos magis scire coniecimus desiderare.

---

179. *Conradus III rex Wibaldo significat, se die 29 m. Maii Ratisbonam pervenisse.* (M. 162.)

C(onradus) Dei gratia Romanorum rex augustus W(ibaldo) 1149 Mai.

a. Erfodie *c.* b. Hereveldensem *c.*

1. prope Ienam, dioec. Cicensis. 2. III de Kevernburg. 3. Bernhardus. 4. 1149 Mai. 16. 5. Heinricum.

1149 Mai. dilecto suo venerabili Chorbegensis aecclesiae abbati gratiam suam et omne bonum.

Quia inter universos regni nostri principes nullus est repertus, qui fidelis[a] vel nobis vel filio nostro pro posse tuo[a] post discessum nostrum astiterit, specialiter fidelitati tuae tam factis quam verbis grates referre intendimus. Scire itaque te volumus, sanos et bene valentes in octava pentecostes[1] Ratisbonam pervenisse, quia id maxime te desiderare cognovimus.

---

180. *Wibaldus Conradum III regem in Germaniam reversum ad res celeriter gerendas hortatur. Heinricum episcopum Mindensem de iniuriis sibi illatis accusat.* (M. 163.)

1149 Iun. Inclito triumphatori á Deo coronato et exaltato serenissimo domino suo C(onrado) Romanorum imperatori augusto frater W(ibaldus) Dei et vestra gratia id quod est in aecclesia catholica, salutem in eo, qui dat salutem regibus[2].

Sicut infidelium mentes de insperato adventu vestro nimium consternatae sunt, ita fidelium vestrorum animi tanto coelestis muneris beneficio plurimum sunt exhilarati. In quorum numero nostra parvitas non inmerito aggregata tanto exultat gaudio, ut cum patriarcha Iacob dicere possimus: *Sufficit mihi, vadam et videbo dominum meum*[3]. Et nos quidem, qui semper animo et oratione atque fide vobiscum fuimus, iam in ipso imperii vestri ingressu corporali presentia vobis occurrissemus, nisi rapinae et incendia cotidianis pressuris Lotharingiam et precipue miseram Arduennam afflictarent; in qua miseriarum dimicatione tanquam in acie succinctos acerba necessitas nos stare compellit. Et quoniam desideranti vos et iam fere labenti patriae divina pietas sanum et incolumem restituit, porrigite salutarem dexteram oppressis, sublevate pupillos, defendite viduas, subvenite catholicae aecclesiae, quod tanto nunc potentius atque efficatius complere poteritis, quanto excellentiam vestram coelestis maiestas mirabilibus et inopinatis triumphis per incredibiles labores

a. *sic cod.*

1. 1149 Mai. 29. 2. Ps. 143, 10. 3. Gen. 45, 28.

et extrema pericula sua clementi protectione provexit. Virtus 1149
vestra et industria, per Dei potentiam alte, terribilem vos inimicis effecerunt; unde et mora abicienda est, et dum cuncta pavent, utendum est ratione temporis, et curvanda sunt, quae iam flecti ceperunt, et ante corda rebellium percellenda, quam convalescere á metu incipiant. Iun.

Conquerimur autem serenitati vestrae, quod Mindensis episcopus[1] plurimum nos gravat et hactenus impedivit de his rebus, quas Corbeiensi aecclesiae attribuistis, Kaminatam videlicet et Visbick. Et in Kaminata quidem, ubi fratres nostros iussu vestro ordinaveramus, divinum officium celebrari prohibuit; de cuius possessionibus mediam fere partem[a] amisimus. In loco vero Visibick nunquam intravimus, nec passum pedis de tota possessione ibi pertinente adhuc obtinuimus, prohibente hoc Mindensi episcopo et comite Adulfo de Scowenborch[2]; ubi etiam ipse Mindensis episcopus res monasterii per fratres Cappenbergenses ordinavit. Pro qua re Corbeienses, qui vobis de pecunia iuraverant, solvere, tota aecclesia reclamante, non potuerunt. Quantas vero adversitates et quantas expensas pro eisdem locis sustinuerimus, plenius suo tempore, vestrae clementiae genibus affusi, referemus. Et nunc, quantum vestra maiestas dignabitur et quantum nostra mediocritas sustinere valet, de statu vestro et regni nobis, fidelibus vestris, significare non abnuatis. Victorem vos et incolumem conservet omnipotens Dominus.

---

181. *Conradus III rex Wibaldum die 15 m. Augusti Francofurtum ad se venire iubet.* (M. 169.)

C(onradus) Dei gratia Romanorum rex W(ibaldo) Corbeiensi 1149
et Stabulensi abbati gratiam suam et omne bonum.

Certi sumus, quod, de numero fidelium nostrorum precipuus, inopinatum reditum nostrum summa cordis alacritate suscipias

a. parte *c.*

1. Heinricus. 2. V. Chronogr. Corbeiens. supra p. 55. 56. Cuius relationem si cum hoc epistolae istius loco contuleris, Heinrici episcopi Mindensis et Wibaldi controversiam intelliges iam mense Februario a. 1147 orsam esse.

1149 et prosperitati nostre tanquam specialis regni et noster amicus plurimum congaudeas. Quod autem in adventu nostro aecclesia et regnum in reformatione pacis proficiat, orationibus sanctae aecclesiae et tam consilio quam auxilio fidelium regni obtinere desideramus. Industriae igitur tuae mandando committimus, quatinus omni occasione postposita ad curiam, quam in assumptione sanctae Mariae[1] Frankenvort celebraturi sumus, venire non differas; ubi tam de privatis quam publicis negociis nostris familiari tecum consilio convenire intendimus. Quae Corbeiensi aecclesiae pro tua dilectione in abbatiis, Caminata videlicet et Visebacho, contulimus, ad usus eius Deo annuente conservabimus; certi, quod Corbeienses pecuniam, quam iuramenti assertione promiserant, indubitanter nobis persolvant.

---

182. *Heinricus regis notarius Wibaldo respondet, regem consilio eius usurum esse de legatis ad Romanos et papam mittendis, de expeditione in Italiam promovenda, de Agnete ducissa Poloniae restituenda.* (M. 170.)

1149 Domino suo W(ibaldo) Corbeiensi et Stabulensi abbati H(einricus)[2] suus servitium servi.

Sicut dignatio vestra mihi precepit, litteras vestras domno regi transmissas de verbo ad verbum fideliter ei interpretatus sum. Occasionem vero remanendi apud Stabulaus[a] etsi á domno rege vobis impetrare potuissem, temptare nolui, propterea quia, considerata negotiorum multiplicitate, tam regi quam vobis hoc damnosum esse animadverti. Secretum est, quod dico. Domnus rex legationem tam ad Romanos quam ad domnum papam consilio fidelium suorum ordinare intendit. In hoc consilio discretio vestra domno regi necessaria erit. De expeditione quoque in Italiam promovenda, et sorore sua ducissa[3] Poloniae restituenda rex consilium vestrum habere debet. Pro pace restauranda et confirmanda studiose rex et efficaciter laborat. Omnis homo debiti sui[b] ita persolvat, ut nichil omnino debiti sui semper existat.

---

a. Stabulans *c.* b. *sic cod.*

1. Aug. 15. 2. Conradi regis notarius. 3. Agnete.

183. *Wibaldus Heinrico episcopo Mindensi de litteris missis gratias agit. Rogat, ut litis suae componendae diem et locum statuat.* (M. 149.)

Reverendo patri suo et domino H(einrico) venerabili episcopo Mindensis ecclesiae frater Wib(aldus) Dei gratia id, quod est in ecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium. 1149

Gratias referimus vestrae celsitudini, quod per dilectum fratrem nostrum magistrum C. et per litteras vestrae dilectionis exiguitatem nostram visitastis. Quia enim de verbo, quod est inter nos, solliciti fuimus, et sinceram inter nos esse dilectionem quam alicuius discordiae nevum preoptaremus, proxime, sicut paternitas vestra recordatur, per fratrem nostrum C. litteras vestrae sinceritati dreximus, in quibus hoc vestrae excellentiae optulimus, ut, quoniam domini nostri episcopi Patherburnensis et Monasteriensis, maioribus forsitan causis impediti, ad nostrae causae compositionem venire distulerunt, nos vobis absque eis loco et tempore, quo vestrae dignationi complaceret, occurreremus. In hac peticione perseveramus, et ut diem et locum, quo vobis oportune et tute possimus occurrere, nobis designetis, instanter postulamus. Parati enim sumus, sicut á principio vestrae commonitionis loqui consuevimus, innocentiam nostram in facto nostro vobis ostendere, quam sicubi minus valemus demonstrare, tam vobis quam ecclesiae vestrae ad omnem iusticiam volumus satisfacere. Diem et locum, quo apte et secure possimus venire, in vestra ordinatione ponimus. Nam necessitatem et quas patimur angustias et partem periculorum nostrorum legatus vester occulata fide satis intellexit.

---

184. *Guido cardinalis, e Polonia reversus, Wibaldum in Saxoniam vocat.* (M. 165.)

G(uido) Dei gratia sanctae Romanae aecclesiae diaconus cardinalis[1] et apostolicae sedis legatus venerabili fratri W(ibaldo) abbati Stabulensi salutem et dilectionem. 1149 Mai. Iun.

Fraternitati vestrae presentibus scriptis notificare decre-

1. S. Mariae in porticu. V. ep. 121 supra p. 195 n. 4.

1149 Mai. Iun. vimus, quod, peracta legatione domni papae in Poloniam, ad partes Saxoniae devenimus, ibique pro complenda legatione eiusdem domini nostri de constitutione episcoporum in Leuticiam, seu etiam pro negocio ducis[a] ...., quod vobis non extat incognitum, moram necessario facimus. Quia vero in utroque negotio vestro auxilio seu consilio summopere indigemus, fraternitatem vestram attente rogamus atque ex parte domni papae et cancellarii[1] vobis mandamus, quatinus, his susceptis litteris, omni occasione ac dilatione postposita, ad nos veniatis, ut in predictis negotiis, sicut oportet et domnus papa confidit, assistere valeatis.

---

185. *Eugenius III papa Conradum III regem, Hierosolyma revertentem, de acceptis calamitatibus consolatur. Addit de legatis ad eum missis*[2]. (M. 164.)

1149 Iun. 23 Eugenius episcopus servus servorum Dei karissimo in Christo filio C(onrado) illustri Romanorum regi salutem et apostolicam benedictionem.

Cum in hoc mundo cuncta mutabilitatis ordo corrumpat, sicut nec prosperis elevari ita nec frangi adversis, confidentes de divina miseratione, debemus; quia Dei et hominum mediator admiranda dispensatione consuevit omnem filium quem recipit adversitatibus flagellare, ut, dum ipsum per amorem ad aeterna premia vocat, presens mundus eius animum per tribulationes quas ingerit a se ipso repellat, tantoque facilius ab huius seculi amore recedat, quanto magis impellitur dum vocatur. Quod in Israelitico populo Moyse vocante et Pharaone impellente[b] signatur. Moyses namque tunc ad vocandum missus est, cum Pharao duris eum operibus perurgebat, quatinus alter vocando pertraheret alter impelleret seviendo, ut plebs, in servitio turpiter fixa, vel provocata bonis vel impulsa molestiis moveretur. Hoc itaque rationis debito incitati, discretionem tuam commonemus

a. *Sequitur in cod.* lot^{s}is; *id est* loteris, *quae vox quid significet nescio.* b. impellente *addidi.*

1. papalis Guidonis. 2. Haec epistola invenitur etiam ap. Ottonem Frisingensem, Gest. Friderici I. c. 61.

et exhortamur in Domino, quatinus tribulationes, quas tibi et exercitui tuo omnipotens Deus irrogavit, patienter supportes, et in eo spem tuam constituas, qui quem vult permittit affligi et confidentes in se misericorditer liberare consuevit. Si enim patientiam et humilitatem in adversis perfecte tenueris, per desertum huius vitae sub protectione columpnae nubis et ignis, id est patientiae solatio et karitatis ardore, intrepidus perduceris. Quia igitur personam tuam vera in Domino caritate diligimus et de te valde confidimus, si post tuum reditum sine dilatione de his, que ad honorem sanctae aecclesiae et regni spectare noscuntur, tecum mutuis potuissemus tractare colloquiis, nobis utique gratum fuisset. Verum quia id nobis temporis qualitas denegavit et de tua sumus salute solliciti, quosdam de fratribus nostris, postquam te ad Lombardiae partes auctore Domino incolumem pervenisse accepimus — sicut per venerabiles fratres nostros Ar(twicum) Bremensem archiepiscopum et A(nselmum) Havelenbergensem episcopum tibi significavimus[a] — ad tuam serenitatem duximus destinandos, ut affectum et benivolentiam, quam erga te gerimus, tibi exponerent, et quod de te audire cupimus, ipsorum relatione nosceremus. Quibus dedimus in mandatis, ut tibi, tanquam karissimo filio nostro et catholico principi atque speciali sanctae Romanae aecclesiae defensori, ipsius aecclesiae statum et nostrum exponerent. Qui siquidem usque in Tusciam progressi, ex quo te ad Teutonicas partes pertransisse noverunt, longitudinem viae et difficultatem itineris propter aestatis intemperiem metuentes, ad nostram presentiam redierunt. Ceterum quia statum tuum et dilecti filii nostri Hen(rici) iunioris regis, quem post discessum tuum paterno affectu dileximus et in posterum actiones eius prosperari in Domino preoptamus, cognoscere cupimus, cum fratres[b] nostri propter aestatis fervorem laborem tanti itineris perficere non valerent, per fidelem nostrum F(ranconem) latorem presentium et apostolica scripta tuam excellentiam visitantes, nobilitatem tuam monemus et exhortamur in Domino, quatinus ea, que circa te et

1149 Iun. 23

a. sigcavimus *c*. b. fratris *c*.

1149 Iun. 23 ipsum geruntur, et statum regni per eundem F(ranconem) nobis studeas intimare; et hoc tempore devotionem, quam erga matrem tuam sanctam Romanam aecclesiam geris, ostendas, ut nostro respondere affectui congrue videaris et beati Petri apostolorum principis intercessionibus, cui te totum debes exponere, creatoris nostri largiorem debeas gratiam promereri. Data Tusculani 9[a] Kal. Iulii.

---

186. *Wibaldus Guidoni cardinali respondet, se ob Lotharingiae motus et Conradi regis praeceptum in Saxoniam ad eum non esse venturum.* (M. 166.)

1149 Iun. Reverendo patri suo et domino G(uidoni) venerabili sanctae Romanae aecclesiae diacono cardinali[1] apostolicae sedis legato frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Postquam de transitu vestro in Poloniam vera relatione comperimus[2], longo tempore apud Corbeiam in ea expectatione solliciti atque suspensi fuimus, ut in reditu vestro competenter vobis occurrere possemus et tam devotum quam debitum tum in persona tum in rebus obsequium pro reverentia domni papae et domni cancellarii et pro vestrae personae honorificentia cum omni fide et sinceritate exhiberemus. Set quoniam crebra mala, quae Lotharingiam et precipue Arduennam nostram assiduis predis atque rapinis et incendiis affligunt, nos illac transire compulerunt et nos cotidianis pressuris tanquam in acie dimicantes implicitos tenent, multum ex animo dolemus, quod ad vestrae iussionis mandatum vestre sublimitati occurrere tam longe positi non valemus, precipue cum vestris sollicitudinibus desit cooperator episcopus Anselmus[3], in cuius prudentia et fideli consilio plurimum posset inniti vestra discretio. Preterea dominus noster rex Romanorum Cuonradus, Ratisponam in octavis

a. 8 *ap. Ottonem Frising.*

1. S. Mariae in porticu. 2. anno 1148 post m. Septembr. V. ep. 121 supra p. 195. 3. Havelbergensis, qui tum in Italia erat. V. librum meum: Gesch. des deutschen Reiches unter Conrad III p. 279.

pentecostes perveniens, misit nobis legatos cum litteris, precipiens, ut in martirio apostolorum Petri et Pauli[1] sibi absque ullo dilationis impedimento presentiam nostram exhiberemus. Misimus vero ad vestrae excellentiae pedes procuratores nostros, quibus confidenter inperabitis, ut iuxta beneplacitum vestrum de rebus nostris vestris oportunitatibus subserviant. Vestra vero bonitas, sicut de vobis et de tota Romana aecclesia confidimus, necessarium eis patrocinium non denegabit. 1149 Iun.

---

187. *Conradus III rex Heinricum episcopum Mindensem hortatur, ut ecclesiam Kaminatensem expiet Wibaldumque vexare cesset.* (M. 167.)

C(onradus) Dei gratia Romanorum rex H(einrico) venerabili Mindensi episcopo gratiam suam et omne bonum. 1149

Perlata est ad nos querela fidelis nostri Corbeiensis abbatis, quod de duobus monasteriis in tuo episcopatu sitis, Kaminata videlicet et Visibich, quae nos Corbeiensi monasterio tam consilio quam iudicio principum contulimus, magnum impedimentum attuleris et, sepe multumque rogatus, aecclesiam, quae ruina cuiusdam pueri monachi polluta dicitur, reconciliare neglexeris. In quo discretio tua diligenter debet perpendere, quid sacerdotalis officii sollicitudo in huiusmodi casu debuit exhibere. Debuit enim eruditio tua intelligere, quod, de regalibus nostris sicut tua aecclesia sublimata et ditata est, ita et Corbeiensem aecclesiam de regni proprietate potuimus honorare. Proinde discretioni tuae per presentia scripta mandamus, ut de cetero á vexatione predicti Corbeiensis abbatis et rerum monasterii ipsius omnino, sicut nos diligis, abstineas et predictam aecclesiam reconciliare non differas. Nos enim intuitu divinae religionis et monitu ac peticione reverendi patris nostri papae Eugenii predicta loca divinis obsequiis mancipare studuimus, de quorum turpi et infamissima conversatione non solum eadem provincia set etiam regnum nostrum offendebatur; in qua sacri ordinis reformatione tuam plurimum decet cooperari moderationem.

1. Iuni. 29.

188. *Wibaldus Heinrico episcopo Mindensi de expianda ecclesia Kaminatensi iam Conradi regis intercessionem affert.* (M. 168.)

1149 Reverendo patri suo et domino H(einrico) venerabili sanctae Mindensis aecclesiae episcopo frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Frequenter excellentiam vestram per litteras et per nuncios rogavimus, ut aecclesiae de Kaminata reconciliationis officium, quo indigere dicitur, clementer inpenderetis; set, peccatis nostris facientibus, non solum impetrare rogata non potuimus, set etiam gravioribus responsis, ut accepimus, molestati fuimus. Nunc vero ad nostrae peticionis munimentum etiam domini nostri regis C(onradi) intercessionem[1] adiunximus, cum tamen nostris meritis pocius quam maiori patrocinio vellemus apud vestram celsitudinem niti. Volumus autem sanctitatem vestram non latere, quod Corbeiensis aecclesia per privilegia Romanorum pontificum hanc dignitatis prerogativam obtinuit, ut, si diocesanus episcopus, quod sui officii est, implere negaverit, ab alio catholico episcopo obtinere et libere uti possit. Nos vobis debitam reverentiam exhibuimus[a] et de cetero servire parati sumus.

---

189. *Wibaldus Petro abbati Cluniacensi significat, in synodo Leodiensi quomodo inter ecclesias de Nameka et de Marcha decretum sit.* (M. 171.)

1149 Reverendo[b] patri et domino P(etro) venerabili sanctae Cluniacensis aecclesiae abbati frater W(ibaldus) Dei gratia id quod est[c] in aecclesia catholica, salutem in eo, qui mandat salutes Iacob[2].

Recognoscentes, in omnibus nos filios vestros esse et servos, tam personis monasterii vestri quam rebus in omni negotio assistere consuevimus et, tanquam una de Cluniacensibus personis, cum veritate et iusticia res Cluniacenses pro nostra facultate defensare. Set de lite, quae fuit inter aecclesiam de Nameka et

a. exhuimus *c.* b. Reverdo *c.* c. est *om. c.*

1. sc. superiorem epistolam 187. 2. Ps. 43, 5.

aecclesiam de Marcha, aliter, quam se rei veritas habet, ad vos 1149
perlatum fuisse et vobis persuasum intelleximus. Propter quod verum ordinem vobis per nos breviter intimandum esse credidimus, ne vestrae religionis splendor ignotae et minus constantis causae defensione aliquod nubilum pateretur. Prepositus canonicorum ecclesiae beati Bartholomei apostoli[1] conquestus est in synodo Leodii[2], quendam liberum hominem nomine Berengerum in possessionem sui iuris irruisse, videlicet in partem quandam decimationis aecclesie de Marcha, et eam[a] violenter sibi usurpasse. Respondit ille, se per vim nichil egisse, set, quoniam advocatus esset ecclesiae de Namecha et eadem decimatio ad terminum ipsius ecclesiae pertineret, se iure defensionis decimationem tulisse. É contra prepositus asseverabat, quod predicta decimatio ad terminos ecclesiae de Marcha pertineret, et eam quiete possedisset, donec a predicto viro absque ullo iuris ordine interruptio esset illata; unde et restitui sibi cuncta in integrum postulabat. Auditis utrimque allegationibus, sententiam iudicii episcopus[3] pro more ecclesiae suae assessores interrogavit. Diu inter eos disputatum est, utrum restitui oporteret. Set nos, plurimum aequitatem cum iure considerantes et veritatem cum iudicio diligentes, hortabamur, ut, omisso restitutionis titulo, a circummanentibus de terminis et possessoribus cum quiete expresse quereretur. Probata est ab omnibus prolata sententia, quae agendi cavillationem penitus excludebat. Venerunt itaque ab utraque parte circummanentes, natu maiores, et prestitis de veritate dicenda sacramentis, per certos limites de utraque possessione ceperunt discernere. Fundus curtis de Namecha extenditur usque prope villam Marcham. Et idem advocatus ecclesiae de Namecha asseverabat, decimationem eiusdem terrae prefatae ecclesiae iure antiquo pertinere, set quendam presbiterum de Namecha antiquis temporibus cuidam sacerdoti de Marcha tradidisse pro eo, quod[b] quorundam parrochianorum suorum, qui

a. eam *addidi.* b. *sequitur litura.*

1. Leodiensis. 2. quae medio anno 1149 celebrata esse videtur. 3. Leodiensis, Heinricus II.

1149 ei viciniores erant, curam gereret. E contrario illi de Marcha asserebant, quod eandem decimationem inconcusse sine controversia bona fide possedissent, non iure mutui neque commodati, set proprietario et perseveranti longe ultra spacium triginta et unius annorum; quod idoneis testibus se probaturos promittebant. Relata est controversia ad synodum, et absque ullius personae reclamatione concordi sententia iudicatum est: quod, si prepositus ecclesiae sancti Bartholomei, qui possessor ab utraque parte cognoscebatur, licet ab altera male fidei possessor diceretur, legitimis testibus, qui per aetatem et intelligentiam de prescriptione temporis certum ferrent iudicium, probare posset, se quiete et canonice possedisse, magis ei probatio incumberet, quam ei, qui recenter in eandem possessionem irruisse non dubitabatur. Que sententia plus illis de Nameka quam illis de Marcha complacuit. Haec sunt, quae super hac causa et vidimus et audivimus; et ideo non possumus ea non loqui.

---

190. *Guido diaconus cardinalis S. Mariae in porticu Heinricum episcopum Mindensem de expianda ecclesia Kaminatensi hortatur.* (M. 173.)

1149 G(uido) sanctae Romanae aecclesiae cardinalis diaconus[1] apostolicae sedis legatus H(einrico) Mindensi episcopo salutem et dilectionem.

Venerabilis ac dilectus frater noster Corbeiensis abbas significavit nobis, aecclesiam Kaminatensem pro eo, quod quidam puer monachus de tecto in pavimentum corruens expiravit, pollutam esse, vosque eius reconciliationem, licet sepius interpellaverit, usque modo distulisse. Quia ergo eidem fratri nostro in peticionibus suis, cogente nos probitate sua, tanquam nobis assistere debemus, fraternitati vestrae attente rogando mandamus, quatinus purgationem seu reconciliationem predictae aecclesiae ulterius nullatenus differatis.

1. S. Mariae in porticu. Vid. epp. 121 et 184 supra p. 195 et 303.

---

191. *Conradus III rex Heinricum episcopum Mindensem die 25 Decembris Aquisgrani esse iubet, de ecclesiis Kaminatensi et Visbicensi causam dicturum*[1]. (M. 172.)

C(onradus) Dei gratia Romanorum rex H(einrico) Mindensi episcopo gratiam suam et omne bonum. 1149 Aug.

Meminimus, quod per alia scripta pontificalem sollicitudinem tuam ammonuimus, ut Kaminatensem aecclesiam, quam pollutam iudicasti pro casu et morte pueri monachi in resarciendo tecto laborantis, reconciliare ac purgare non differres. Et miramur, te non solum mandata nostra set officium tuum non implere. Satis diu patrocinatus es enormitati mulierum, quae ibidem habitaverant, et nimium contradixisti, ne divini cultus religio per nos ac nostros ibidem firmaretur. Tua etiam prudentia intelligat et iudicet, utrum abbatiam Visbike demutare et aliquibus personis absque nostro iussu attribuere debueris[a]. Pro his igitur et aliis, in quibus nos offendere nequaquam dubitasti, per presentia tibi scripta mandamus et sub optentu gratiae nostrae precipimus, ut in proxima nativitate Domini[2] presentiam tuam apud Aquisgrani nobis exhibeas, responsurus nobis iudicio principum de his, quae circa nos et mandata nostra neglexisse visus fueris. Caeterum si reconciliationem aecclesiae, de qua supra diximus, amplius differre temptaveris, quoniam privilegium meretur amittere, qui concessa abutitur potestate, nos eius purgationem ulterius dissimulare nequaquam valebimus.

---

192. *Bernhardus episcopus Paderbornensis et Wibaldus abbas Eugenio III papae de iniuria Zeizolfo praeposito Spirensi illata referunt.* (M. 174.)

Reverendo patri suo et domino E(ugenio) sanctae univer- 1149
salis aecclesiae summo et universali pontifici B(ernhardus), Dei gratia Patherburnensis aecclesiae humilis minister, et frater W(ibaldus) eadem gratia et vestra id quod est in aecclesia catholica, perseverantem cum omni devotione et obedientia famulatum.

a. debuer̄ *c.*

1. Hanc epistolam Francofurti m. Augusto 1149 datam esse, intelligimus ex ep. 200 infra p. 318. 2. 25. Dec. 1149.

1149 Aug. 15 Cum venissemus in oppidum Frankenvorth in assumptione beatae Mariae ad curiam incliti triumphatoris filii vestri C(onradi) serenissimi Romanorum regis, Z(eizolfus) prepositus Spirensis filius vester querelam suam exposuit, presente Moguntina et Wormatiensi aecclesia, nobis quoque audientibus, et habuit testimonium ab omnibus: quod, cum[a] a vestra sanctitate esset reversus — priusquam sudorem viae detergeret, priusquam ad episcopum Wormatiensem[1] et ad abbatem Eberacensem[2] mandata vestra perferret, quibus controversiam, quae in eum mota erat, audiendam determinandamque commiseratis — ab episcopo Spirensi[3] et canonicis eius in iudicium actus est, et per verbum sanctae obedientiae iussus est fratribus reddere infra quindecim dierum spacium, quicquid de prebenda ipsorum eis defuerat interim, dum versus Romam peregrinaretur. In perferendis itaque mandatis vestris cum predictum tempus effluxisset, quinto decimo tandem die cepit episcopus predictum prepositum Z(eizolfum) de inobedientia incusare, et super hoc canonicam pene sententiam a clericis postulare. Cum vero prefatus prepositus sensisset, se a canonicis iniquo odio pregravari et omnia aecclesiastica beneficia sibi preter morem et ordinem abiudicari, metropolitanum, Moguntinum videlicet archiepiscopum[4], apellavit; et sic ante datam sententiam, quam adversarius eius Gevehardus prima voce proferebat, se suaque in vestram tutelam commendans, ab eis exivit. Vocatus Spirensis episcopus a metropolitano suo, cum clericis suis Moguntiam venit; ubi cum iam sepe dictus Z(eizolfus) prepositus neque misericordiam neque iudicium invenire potuisset, vestram presentiam appellavit. Haec sunt, pater karissime, que veraciter audivimus[5], et quae pro oppressione fratris nostri pietati vestrae intimare curavimus, scientes procul dubio, quod in conspectu vestro misericordia superexaltat iudicium, et quod in nullo violari sacrorum canonum decreta patiamini.

a. cum *om. c.*

1. Bucconem. 2. Adamum. 3. Gunthero. 4. Heinricum. 5. Francofurti mense Augusto.

193. *Conradus III rex ab Eugenio III papa petit, ut Thiebaldo electo praeposito Xantensi hanc dignitatem conferat.* (M. 175.)

Litteris paternitatis vestrae, plenis piissimi affectus, plenis laeticiae et gratulationis, per aliam paginam et per alios nuncios plenius respondere decrevimus, et de nostro statu ac regni nobis a Deo concessi ordinatione pressius quaedam magnitudini vestrae intimare. Set fervente interim non ficte circa vos karitatis studio, beatitudinem vestram filiali ac sincera dilectione salutantes, obnixe rogamus, ut prima post reditum nostrum peticio apud vestram sinceritatem exauditionis aditum inveniat. Coloniensis archiepiscopus[1] ab officio episcopali a vestra equitate suspensus est; atque ideo ad vestrae manus ordinationem pertinere credimus, quicquid pontificalis et canonici iuris in episcopio suo esse dinoscitur. Et quoniam Xantenses clerici post obitum prepositi sui B(runonis) pari fere affectu et consona voce filium vestrum, nostrum scilicet dilectum cappellanum T(hiebaldum), in prepositum sibi elegerunt, exceptis paucissimis, quorum aetas et discretio in nullis habenda est, benignitatem vestram attente monendo rogamus, ut predictam preposituram pro nostre dilectionis intuitu prenominato clerico nostro conferre non abnuatis, quem aliquando, vacante tunc prepositura, absque ulla reclamatione elegerant Xantensis aecclesiae canonici. Eandem preposituram obtinuit quondam H. prepositus, prestante sibi bonae memoriae papa Innocentio[2], cum defuncto[3] Hugone archiepiscopo Coloniensis cathedra vacaret; quod etiam simili forma vestrae sanctitati licere et convenire non dubitamus. 1149 Aug.

---

194. *Wibaldus Guidoni cancellario papali scribit, agat, ut Thiebaldo praepositura Xantensis concedatur.* (M. 176.)

Reverendo patri suo et domino Gui(doni) sanctae Romanae aecclesiae cardinali diacono[4] apostolicae sedis cancellario frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, se ipsum et sua. 1149 Aug.

1. Arnoldus I. 2. II. 3. 1137 Iuni. 30. 4. SS. Cosmae et Damiani.

1149 Aug. Brevis nunc ad vos nobis sermo est; et haec instantis propositi summa: ut peticio domini nostri regis de prepositura Xantensi domno Thiebaldo concedenda exaudiatur. Sic et principi satis fiet, et peccatum inobedientis[1] poena principali punietur. David Philisteum in fronte percussit[2]; idem in psalmo dicit: *Imple facies eorum ignominia, et querent nomen tuum Domine*[3]. Nulla inde orietur commotio, set timor et tremor venient super nos[4]. Credimus, quod faciem vestram ante purificationem sanctae Mariae[5] videamus[6].

---

195. *Wibaldus Guidoni cancellario papali de legatione ad papam sibi iniuncta scribit. Regem »alteratum« rediisse. Litteras perferentem commendat.* (M. 196.)

1149 (Aug.) Reverendo patri suo et domino Guidoni sanctae Romanae ecclesiae cardinali diacono[7] apostolicae sedis cancellario frater Wibaldus Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, se ipsum.

Implevissemus manum vestram scedula maiore, quae de omni statu regni et de rebus, quae ad vos pertinent, plenius contineret, nisi quod á domino nostro rege nobis iniunctum est, ut legationem eius ad domnum papam cum aliis quibusdam perferamus[8]. Presentes itaque ista tutius et iocundius tractabimus,

Ante focum si frigus erit, si messis in umbra.

Set ne prorsus nunc sileamus, alteratum recepimus principem nostrum, et severitate gravem et iusticiae amatorem et in faciendo iudicio impigrum. Lator presentium non indignus est, quem pro nostra peticione honeste recipiatis et in suis propriis causis ac peticionibus benigne adiuvetis. Valete in Domino.

---

196. *Conradus III rex conventui Quedlinburgensi praecipit, ne sacra intermittant.* (M. 197.)

1149 Cuonradus Dei gratia Romanorum rex venerabili Quidelineburgensis ecclesiae conventui, baronibus et ministris eiusdem ecclesiae, gratiam suam et omne bonum.

1. Arnoldi I archiepiscopi Coloniensis. 2. 1 Reg. 17, 49. 3. Ps. 81, 17. 4. Ps. 54, 6. 5. 2 Febr. 1150. 6. De legatione Wibaldo iniuncta vide epp. 195 et 201. 7. SS. Cosmae et Damiani. 8. V. ep. 194.

Quod divina in aecclesia vestra cessant et vos á sepultura 1149
christianorum prohibemini[a], inconveniens nobis videtur, presertim cum sub regula disciplinae ecclesiastice et canonice vivatis ac communi refectorio et dormitorio contentae sitis. Nolumus igitur, ut pena iniuste et irregulariter viventium deinceps affligamini. Unde mandamus, ut divina in aecclesia Quideleburgensi cum omnibus, quae vobis debentur, canonice devote et sollemniter celebrentur.

---

197. *Eugenius III papa Conrado III regi respondet, se Thiebaldo praeposituram Xantensem ea lege asseruisse, ut eam, quam ante habuisset, praeposituram deponeret. Henrico regi salutem ascribit.* (M. 177.)

Eugenius episcopus servus servorum Dei karissimo in Christo 1149 Oct. 6
filio C(onrado) illustri Romanorum regi salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras excellentiae tuae debita benignitate recepimus, in quibus devotionem et affectum, quem erga matrem tuam sanctam Romanam aecclesiam et nos ipsos geris, plene cognovimus. Quibus etiam inspectis, plurimum laetificavit nos benignitatis tuae plena ingenti devotione responsio. Nos siquidem, te sicut specialem beati Petri filium et patronum caritatis brachiis amplexantes, personam tuam cupimus honorare et, quantum permittit iusticia, peticiones tuas admittere. Inde est quod, maiestatis tuae precibus inclinati, electioni, quam Xantenses clerici de dilecto filio nostro T(hiebaldo) cappellano tuo fecerunt, assensum prebuimus. Set quoniam sacrorum canonum et sanctae Romanae aecclesiae sanctionibus contraire non possumus nec debemus, oportet eum altera prepositura esse contentum et alteram, quam prius habebat[1], dimittere. Tua ergo, karissime fili, interest, ita matris tuae sanctae Romanae aecclesiae dilectioni et affectui respondere et regnum tibi a Deo commissum aequitatis iudicio gubernare, ut et ipsa speratum fructum tuae devotionis se recepisse laetetur et post temporale regnum merearis

a. prohibimini *c.*

1. praeposituram S. Severini Coloniensem. Cf. supra epp. 142 et 143.

1149 Oct. 6 recipere sempiternum. Dilectum filium nostrum Hen(ricum) iuniorem regem in Domino salutamus, et ut ipse aetate et sapientia apud Deum et homines proficiat, ipsum per quem reges regnant suppliciter exoramus. Data Tusculani 2 Nonas Octobris.

---

198. *Guido cancellarius papalis Wibaldo respondet, famam ferre de Conradi regis cum Emanuele Graecorum imperatore foedere contra ecclesiam Romanam icto. Monet, ut rei obluctetur.* (M. 214.)

1149 c. Oct. Karissimo et speciali amico suo W(ibaldo) Corbeiensi abbati Guido sanctae Romanae aecclesiae diaconus cardinalis[1] et cancellarius salutem et dilectionem.

Dubietatem, quae de statu tuo in nostro pectore versabatur, et nuncius tuus et transmissae nobis per eum litterae[2] abstulerunt. Optamus enim in Domino, ut cuncta semper tibi salubria, cuncta sint prospera, et ut superna clementia te in actionibus tuis celesti miserationis suae auxilio tueatur. Ad peragenda ea, pro quibus hac vice rogasti, domnum papam circa te benivolum sentientes, secure operam dedimus, sicut ex eius tibi litteris apparebit. Preterea tibi tanquam cauto et prudenti viro et in dilectione probato eloquimur. Certum est, quod post discessum domni C(onradi) Romanorum regis, nisi domnus papa specialiter et districte prohibuisset, adversus filium eius iuniorem regem guera mota fuisset et non modica orta turbatio. Nunc autem, sicut domno papae ac nobis significatum est et rumores etiam increverunt, pater ipsius rex C(onradus) mala pro bonis, quod Deus avertat, reddere nititur, et cum Constantinopolitano imperatore[3] sanctam Romanam aecclesiam, catholicorum omnium matrem, graviter si poterit affligere et infestare disponit. Sicut ergo eadem mater nostra et nos, ipsius alumni, de tuo circa eam fideli obsequio et officiosa fidelitate confidimus, ita ex parte domni papae ac nostra dilectionem tuam monemus, monendo rogamus et attentius exhortamur, ut modis quibus poteris, tanquam verus Christi athleta et in apostolorum principis

1. SS. Cosmae et Damiani. 2. ep. 195 supra p. 314. 3. Emanuele.

fide fundatus, efficere studeas, ne adversus apostolicam Romanam aecclesiam huiusmodi fluctus insurgant, vel, si forte aliquorum pravitate insurgere ceperint, cum aliis ecclesiae Dei fidelibus pro viribus et prudentia tibi á Deo collata compescas. Nec ista ideo scribimus, quod domnus papa vel nos de prefati regis constantia dubitare debeamus, set quia nostri desiderii est, ut affectum, quem tempore colloquii, quod cum eo habuimus, erga sedem apostolicam verbis ostendit, ita etiam abundantius operis exhibitione demonstret. 1149 c. Oct.

---

199. *Iohannes monachus Fritheselensis, ad regem iturus, a Wibaldo mandata rogat.* (M. 198.)

Domno W(ibaldo) sanctae Corbeiensis aecclesiae venerabili abbati frater I(ohannes) cum universo Fritheselensis cenobii[1] collegio, si quid valet ex animo et corde devotius. 1149 Oct. Nov.

Sicut diutina absentia vestra tristiciam, sic in pace reditus vester[2] omnibus nobis generavit leticiam. Nunc vero ad regem me iturum, vestra noverit excellentia; et si quod forte iniungere mihi placuerit negotium, per aliquem vestrum fidelem directum ad me quantocius noverim nuncium[a]. Sanctitatem vestram Deus omnipotens incolumem custodiat.

---

200. *Wibaldus Iohanni monacho Fritheselensi mandat, ut in curia regia rationibus suis consulat.* (M. 199.)

Frater Wibaldus Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, dilecto fratri et amico suo Iohanni et universo Fritheselensis ecclesiae conventui exiguas orationes et devotum servitium. 1149 Oct. Nov.

Memor esse debet dilectio tua, qualiter nos multum renitentes et amarissime flentes ad suscipiendum regimen Corbeiensis abbatiae instantissima persuasione compulisti; et post susceptionem, antequam panem cum Corbeiensibus gustaremus, studiosissimo consilio nos induxisti, ut pro optinendis aecclesiis de Ka-

a. *sic est in cod. corruptus locus.*

1. Fredesloh inter Corbeiam et Nordheim. 2. Corbeiam ex Stabulensi monasterio; ubi die 7 Sept. 1149 Wibaldum fuisse intelligimus ex ep. 201 infra p. 319 et 320.

1149 Oct. Nov. minata et de Visbick et de Hilduardenhusen laborem et impensam assumeremus. Presentasti etiam nobis tunc litteras amici nostri comitis Heremanni, quae, ut hoc ipsum faceremus, intente ammonebant. Te igitur omnium consiliorum[a] tam in curia domni regis quam etiam domi principe et auctore, simulque annitentibus cum maximo favore Corbeiensibus, sententiae vestrae cessimus contra iudicium animi nostri; quippe qui rem tam arduam tam difficilem tam presumptuosam aggredi formidabamus, non ignari nec inexperti, quanta impedimenta, quantae mutationes talibus rebus possent accidere. Et credimus, quod zelum Dei habueris et in hoc opere promovendo pronus ac vehemens fueris non solum pro delenda enormitate mulierum, quae ibi habitabant, set etiam pro augmento Corbeiensis ecclesiae. Verum in quantas miserias, in quantas vexationes animi et corporis, in quanta rerum nostrarum detrimenta per hoc consilium inciderimus, non solum tua intelligentia, quae rebus propinqua est, set etiam tota regni Theutonici universitas clamore super nos famosissimo cognovit. Et nunc, quoniam ad curiam domini nostri regis transire et nostra etiam negotia agere intendis, fidei ac bonitati tuae intenta devotione committimus, ut sic agas, quemadmodum decet virum religiosum et honestum, quatinus nobis noxia cuncta, Deo prestante, submoveas et ad omnia nobis profutura diligentiam adhibeas. Nos de gratia et misericordia domni regis absque ullo dubitationis scrupulo confidimus, et ab
Aug. ipso in curia sua Frankenevort cum magno honore habiti et cum magna hilaritate dimissi fuimus, iussi venire ad curiam, quae futura est Aquisgrani in proxima nativitate Domini[1], ut ibi de obtinenda aecclesia de Visbick mandatum ipsius accipiamus. Caeterum, frater karissime, nos laborem illum nequaquam assumere volumus, quia et thesauri ecclesiae nostrae exhausti sunt et tam Mindensis episcopus[2] quam omnes clerici[3] nobis in hoc amarissime contradicunt. Hoc quoque benignitati tuae, sicut de te confidimus, intimatum atque iniunctum esse

a. nostrorum *excidisse videtur.*

1. 1149 Dec. 25. Cf. ep. 191 p. 301. 2. Heinricus. 3. Mindenses.

volumus, ut, rediens Deo prosperante ad nos[1], nulli mortalium de causa nostra, nisi nobis, quidquam[a] patefacias. Quod propterea prudentiam tuam ammonere putavimus, quod illa impudentissima de Giseka[2] rumorem in populo sparsit, se id, quod fecit[3], auctoritate et iussu domni regis fecisse; quod nullus honestorum credere debet. Perduces vero tecum presentium latorem, qui familiaribus nostris de curia scripta nostra[4] perferat, et ad nos, quecunque inveneris, fideliter referat. 1149 Oct. Nov.

---

201. *Wibaldus a Conrado III rege petit, ut iniurias a Iuditha abbatissa Gisekensi sibi illatas tollat.* (M. 200.)

Inclito triumphatori á Deo coronato et exaltato, serenissimo domino suo C(onrado) Romanorum imperatori augusto frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, salutem in eo, qui dat salutem regibus[5]. 1149 Oct. Nov.

Postquam á vestra celsitudine mandatum accepimus, quatinus ordinatis rebus nostris ita expediti et parati essemus, ut legationem vestram ad domnum papam et ad urbem Romanam cum cancellario vestro[6] in brevi tempore perferremus, versus Stabulensem aecclesiam, quae assiduis predis et rapinis nimium ab improbis vexatur, properavimus, ut, qualicunque pace composita, ad Corbeiensem aecclesiam securius transire possemus. In quo temporis intervallo, videlicet in vigilia nativitatis sanctae Mariae, abbatissa illa de Giseka[7] in Kaminatensem aecclesiam armata manu introivit et, eiectis inde violenter fratribus Corbeiensibus, quos ad serviendum Deo ex vestro mandato ibidem ordinaveramus, prepositum monasterii in flumen iactari precepit ac turrim ecclesiae impositis armatis ac victualibus incastellavit. É contra Corbeienses tam liberi quam ministeriales, cum nostra presentia carerent neque nostro consilio uti possent, super eosdem malefactores irruerunt et, vim vi repellentes, eos de aecclesia et loco cum ignominia expulerunt et quosdam captos secum
(Aug. — beside "Postquam"; Sept. 7 — beside "In quo temporis")

a. quipquam *c.*

1. Corbeiam. 2. Iuditha abbatissa. 3. 1149 Sept. 7. V. ep. 201. 4. epp. 201 et 202. 5. Ps. 143, 10. 6. Arnoldo. 7. Iuditha.

1149 Sept. abduxerunt. Quod cum adhuc in Stabulensi monasterio positi cognovissemus, plurimum ex animo doluimus, maxime cum predicta femina et eius fautores per totam terram predicassent, id, quod factum erat, vestra gestum fuisse voluntate; quod nos et omnes honesti viri nequaquam credere potuimus. Siquidem, clementissime cesar, iussu vestro ac iudicio principum vestrorum, magnorum utique et multorum virorum, per privilegii vestri donationem, per auctoritatis vestrae litteras, Kaminatam per proprium legatum vestrum transmissas, Kaminatensem ecclesiam introivimus[1], et iuxta precepti vestri tenorem divinam ibi religionem, á multis inpediti, reformare inchoavimus. Illa vero, quae abbatissa dici nec debet nec potest, pro eo quod nec in sanctimonialem nec in abbatissam ab ullo episcopo velata vel consecrata fuit et professionis suae habitum tociens in nigrum et candidum mutat et abicit, anno fere integro antequam predictum locum intraremus per legatum domni papae deposita[2] et ab advocato et ministerialibus Kaminatensibus de loco turpiter proiecta[3], cum nollet obedire, fuit. Quapropter, genibus vestrae maiestatis animo advoluti, clementiam vestram humiliter inploramus, ut, memores non[a] parvi obsequii nostri et non parvae fidei nostrae, quam vobis et regno vestro indefesso studio exhibuimus, nos ab his iniuriis defensare ac protegere dignemini. Veniemus namque ad vos iuxta preceptum vestrum Aquisgrani in nativitate Domini[4], et si quid omissum est á Corbeiensibus, totum in gratia vestra remanebit.

---

202. *Wibaldus Heinricum regiae curiae notarium hortatur, ut sibi afflicto auxilium ferat.* (M. 201.)

1149 Oct. Nov. Frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, dilecto fratri et amico suo H(einrico) regiae curiae notario benedictionem et vitam usque in seculum.

Eruditioni tuae aliquotiens iniunximus, ut litteras nostras domino nostro regi transmissas ad verbum exponeres, quod

a. non *addidi.*

1. 1147 Febr.; v. Chronogr. Corbeiens. supra p. 55. 2. c. Mart. 1146. 3. d. 15 Iunii 1146. 4. 25 Dec. 1149.

quidem hactenus fecimus ad voluptatem, set nunc rogare cogimur 1149 Oct. Nov.
per necessitatem. Etenim quantas contumelias et in persona nostra et in rebus sustineamus, litterae, quas domno regi scripsimus, tuae dilectioni patenter indicabunt. Sane hoc plurimum cor nostrum urit et cogitationes nostras in dolorem accendit, quod ab emulis nostris iactatur, mala, quae nobis acciderunt, nutu ac voluntate domini nostri regis evenisse; ac fideles nostri super hoc coniecturam sumunt, quod absente domino nostro rege, cum regnum quodammodo claudicare putaretur, nichil tale presumptum fuit. Set recordari decet experientiam tuam et ad memoriam reducere domino nostro regi, qualiter ad primas litteras nostras, cum in eis ipsi revertenti devotio nostra occur- Iuni.
reret ac de impedimentis, quae nobis apud Kaminatam et Visbick acciderant, supplicem ei querelam optulissemus[1], respondere dignatus sit. Quae verba huiusmodi sunt: *Quae Corbeiensi ecclesiae pro tua dilectione in abbatiis, Kaminata videlicet et Visbick, contulimus, ad usus eius Deo annuente conservabimus; certi, quod Corbeienses pecuniam, quam iuramenti assertione promiserant, indubitanter nobis persolvant*[2]. In eisdem litteris nobis mandatum fuit, quatinus in assumptione sanctae Mariae[3] Frankenevort ad curiam veniremus, ubi tam de privatis quam de publicis regni negotiis regia celsitudo cum nostra parvitate familiari consilio convenire dignaretur. Intra quod temporis spacium curia celebrata est[4] apud Werzeborch, ubi principes Saxoniae domino Iul. 25
nostro regi occurrerunt. Ad eam curiam venit quidam presbiter, ab abbatissa de Giseka[5] mercede pro dimidia marca conductus, cui nichil de Kaminatensi re pertinebat, qui adversum nos, ut modo primum audivimus, multas querelas deposuit. Qui, cum litteras domini nostri regis nescimus quo interventu acceperit, quarum continentiam necdum cognoscere potuimus, disseminavit per totam Saxoniam, se hoc in litteris accepisse, ut, quaecunque per nos apud Kaminatam gesta erant, cassari et

1. ep. 180 supra p. 300. 2. ep. 181 supra p. 302. 3. 1149 Aug. 15. 4. 1149 Iul. 25. V. Annales Palidenses 1149 (Mon. Germ. SS. XVI. 84), et librum meum de Conrado III p. 171 n. 15. 5. Iuditha.

1149 Aug. immutari á domno rege deberent. Tu vero, cum familiari sermone apud nos Frankenevortutereris, dixisti nobis, ut, recepta pecunia quam dederamus, predicta loca libera relinqueremus; quod verbum etiam in Saxoniam sonuit et nos ac nostros in gravem suspicionem adduxit. Et ex parte sonuit in auribus nostris, quibus auctoribus, quibus pignoribus pecunia congregari posse promittitur. Caeterum diligentiam tuam per divinum iudicium obtestamur, ut, quoniam apud dominum nostrum regem et auctoritate et consilio vales, saluti eius modis omnibus provideas, ne per consilium alicuius laici, qui nec Deum timet nec hominem reveretur, in detrimenta et destructionem aecclesiarum assensum prebeat. Multum equidem confidimus de veritate iudicio ac perseverantia ipsius; set opprobria exprobrantium nobis cadunt super nos[1], dicentium invicem: *Vide, quid contingit bene merito familiari ac domestico et in secretis consiliis semper admisso.* Ceterum, ut finem dicendi faciamus, nos in curia laici alicuius patrocinium nunquam quaesivimus, set per clericos nostra omnia disponere consuevimus. Et quoniam iam in ecclesia et in regno fides tua et discretio adprime innotuit, diligentiae tuae attenta prece committimus, quatinus negotium nostrum ita, Domino favente et domini nostri regis clementia prestante, tuearis, ne[a] nos non solum Corbeiam deserere, verum etiam totum regnum domini nostri regis exire ac relinquere compellamur. Super quo tam ex litteris tuis quam ex litteris domini nostri regis per presentes nuncios certi fieri desideramus.

---

203. *Heinricus curiae regiae notarius Wibaldo significat, regem ei favere.* (M. 202.)

1149 Oct. Nov. Domino suo W(ibaldo) abbati Corbeiensi Heinricus suus servitium servi.

Frater Iohannes[2] domno regi pericula, damna, incommoda vestra expresse detexit. Ego vero litteras vestras de verbo ad verbum ei exposui; et ad commodum causae vestrae quedam pro

a. ne *scripsi pro* ut *cod.*

1. Ps. 68, 10. 2. Fritheselensis.

parvitate mea loqui presumpsi. Intellexi vero et certus sum, quod domnus rex de iniuria vobis illata multum dolet. Et ad commodum causae vestrae prosequendum nuncium cum litteris suis ad vos destinavit. Quod enim Corbeiensi ecclesiae pro vestra dilectione contulit, ratum habet et omnimodis confirmare intendit. 1149 Oct. Nov.

---

204. *Eugenius III papa Conrado III regi scribit de Thiebaldo praeposito Xantensi confirmato et de Arnoldo I archiepiscopo Coloniensi Romam in diem 30 Apr. 1150 vocato. Heinricum regem salutat.* (M. 183.)

Eugenius episcopus servus servorum Dei karissimo in Christo filio C(onrado) illustri Romanorum regi salutem et apostolicam benedictionem. 1149 Nov. 28

Quantum affectum erga personam tuam et regnum tibi a Deo commissum habeamus, pluribus experimentis tuam prudentiam credimus agnovisse. In quo inflexibiliter permanentes, peticiones excellentiae tuae, quantum cum Deo possumus, libenter admittimus, et cum aecclesiae honestate regiae tuae voluntati gratanter prebemus assensum, sicut devoti beati Petri filii et specialis sanctae Romanae aecclesiae defensoris. Inde est quod, magnitudinis tuae preces in electione Xantensis prepositi[1] paterno recipientes affectu, tibi tanquam karissimo filio nostro duximus annuendum; licet quidam postmodum penitus diversa ab his, que dilectionis tuae litteris significasti, suggesserint. Causa vero fratris nostri Coloniensis archiepiscopi quam gravis sit, quoniam longum est enarrare, ab his, qui circa te sunt, poteris manifeste cognoscere. Si enim, quanta circa officium suum per negligentiam et inobedientiam superbiendo commiserit, magnitudinis tuae discretio cognovisset, nec etiam verbum, ut credimus, pro ipso movisset. Unde in concilio, quod Remis auctore Domino celebravimus, excisionis sententiam pertulisset, nisi, regiae parcentes absentiae, detrimentum aliquod regno, quod maxime nobis cavendum erat, eventurum exinde putaremus. Et nunc post reditum tuum nobiscum firmiter statueramus,

1. Thiebaldi.

1149 Nov. 28 ipsum sententia digna suis excessibus feriendum, nisi tuae maiestatis legatio prevenisset. Set precibus tuis quantum possumus inclinati, manum nostram in presentiarum ab ipsius dampnatione retraximus et usque ad dominicam, qua cantatur *Ego sum pastor bonus*[1], inducias ei concessimus. Quia ergo excellentiae tuae preces absque gravi sanctae aecclesiae et disciplinae aecclesiasticae lesione in hoc ex toto exaudire nequivimus, regia equanimiter clementia ferat, et his, que sanctae Romanae aecclesiae matri tuae incumbunt, cuius omnipotens Dominus te constituit defensorem, sicut de benignitate tua speramus, tanquam piissimus iusticiae amator intendas. Dilectum filium nostrum Heinricum iuniorem regem in Domino salutamus. Data Laterani 4 Kal. Decembris.

---

205. *Wibaldus Conrado III regi scribit, se nec nuncium nec litteras eius accepisse. De restituta eius sanitate gaudet. Petit, sibi subveniat.* (M. 203.)

1149 Dec. Inclito triumphatori á Deo coronato, serenissimo domino suo C(onrado) glorioso Romanorum imperatori augusto frater W(ibaldus) Dei gratia id quod est in aecclesia catholica, salutem in eo, qui mandat salutes Iacob[2].

Iuxta beneplaciti vestri mandatum expectavimus nuncium vestrum et litteras vestras, quorum, decurso tempore, cum accepissemus neutrum, gravi mesticia et ingenti confusione animi affecti fuimus. Set rediens ad nos[3] á vestra curia frater Iohannes[4] dolorem nostrum plurimum abstersit et animam nostram valde exhilaravit, ex eo videlicet, quod vos de infirmitate vestra recte convaluisse nunciavit. Verumtamen de negotio nostro nichil certum, nichil salutare renunciavit. Et nunc graviter improperat nobis Corbeiensis ecclesia quod, cum, bona spe á vestra mansuetudine inducta, nostram parvitatem ad regimen suum pro beneplacito vestro elegerit, non solum gratiam et misericordiam consecuta non sit, set etiam thesauros suos et laborem suum damnose amiserit. Et quoniam intelleximus, vos 15 diebus ante

1. 1150 Apr. 30. 2. Ps. 43, 5. 3. Corbeiam. 4. Frithesclensis.

natale Domini[1] velle apud Bavenberch cum principibus Saxoniae 1149
colloquium habere, incerti quid agere debeamus, ad vestram Dec.
celsitudinem mittere curavimus, quatinus pro respectu divinae pietatis et pro augmento nostrae perpetuae servitutis nos ab his malis, quibus premimur, expediatis. Nec enim minorem rationem cum Corbeiensibus de pecunia habere poteritis, postquam nobis auxilii et protectionis dexteram porrexeritis, quam modo, cum omnia bona Kaminatensis ecclesiae, tanquam domino vacua, ab advocatis sunt invasa. Nostri desiderii esset, ut ad res, quas circa partes Saxoniae gerere disposuistis, nostrum laborem et expensam reservaretis; set tamen, quicquid vestrae maiestati complacuerit, nostra parvitas etiam ultra facultatem suam adimplere studebit.

---

206. *Wibaldus Heinrico curiae regiae notario de rebus suis promovendis scribit.* (M. 204.)

Frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia ca- 1149
tholica, dilecto fratri et amico suo magistro H(einrico) regiae Dec.
curiae notario salutem et benedictionem.

Gratias referimus sollicitudini tuae, quod pro incremento nostri honoris et pro augendis utilitatibus nostris exacta diligentia invigilas, cum tamen nos hoc tempore, facientibus peccatis nostris, parum emolumenti super hoc capiamus. Siquidem mira fit rerum conversio. Nam illi, de quorum fide á plurimis dubitatum fuit, immo ut verius dictum sit quorum perfidia omnibus fere innotuit, honoribus ac divitiis sublimantur; nos vero, quorum fides etiam totius regni approbata est preconio, iam quasi alieni facti sumus. Etenim, karissime frater, contra morem regni factum est, quod, cum proxime et litteras et nuncium ad curiam transmisissemus, nulla responsa impetrare valuimus; quod illis precipue solet accidere, de quorum iam pena, iuxta legem Iuliam de reis maiestatis, decernitur. Dicere possumus illud poeticum:

Speravi melius, quia me meruisse putavi.

1. Dec. 10.

1149 Dec. Rogamus itaque experientiam tuam, ut commoda ad causam nostram responsa nobis nunc, tua efficiente industria, remittantur. Et hoc summopere tua providentia cavere debebit, ne de negotio nostro dominus noster rex cum aliquo principum Saxoniae communicet in eo colloquio, quod cum eis habiturus est apud Bavenberch[1]. Nam hii loco triumphi ducunt, quod nos in ea curia nunc adiuvent, in qua nos eorum causas sepe sustentavimus; quod ipsorum adiutorium non absque mercede vel predii alicuius vel pecuniae conducere possemus. Imperat dominus noster rex, ut de pecunia solvenda ei Corbeienses nostri observent, cum nos ab ipso concessa non solum non accipiamus, set etiam occupata perdamus. Quamobrem á tua discretione diligenter ammonitus, ita nobis obsecro, litteras nostris necessitatibus commodas ad ducem Saxoniae[2], ad episcopum Mindensem[3], ad comitem Herimannum[a] mittat[b]. Quarum exempla tu nobis transcripta dirigere curabis; sciturus, quod omnem laborem tuum circa nos et aecclesiam Corbeiensem utiliter Deo prestante collocabis. Hoc quoque per tuam suggestionem mitissimum augustum intelligere volumus, quod, nisi sua protectio Kaminatensem aecclesiam in manu nostra erexerit, nulla ibidem de cetero congregatio, nullus divinae religionis cultus instaurari poterit. Vale.

---

207. *Reinaldus praepositus Hildesheimensis Wibaldo, Ciceronis libros poscenti, ironice respondens, contraria pignora postulat.* (M. 205.)

1149? Domino suo venerabili Corbeiensi abbati R(einaldus), bene valere et felicem esse.

Quamvis Tullii libros habere desideres, scio tamen, christianum te esse, non Ciceronianum. Transis enim et in aliena castra, non tanquam transfuga, set tanquam explorator[4]. Libros igitur, qui apud nos sunt, Tullium de lege agraria et Philippica

a. Her̄. *c.* b. mittat *addidi.*

1. d. 10 Dec. V. ep. 205 supra p. 325. 2. Heinricum Leonem. 3. Heinricum. 4. Senecae ep. I. 2, 4.

et epistolas eius, vobis transmisissemus; set non est consuetudinis apud nos[1], ut sine bonis monimentis aliqui alicui concedantur. Mittite igitur nobis Agellium[2] Noctium Atticarum et Origenem super cantica canticorum. Nostros[3] autem, quos nunc adduximus de Francia, si qui vobis placent, vobis mittemus. 1149?

---

208. *Wibaldus Reinaldo praeposito Hildesheimensi de Cicerone rescribit; cuius opera universa in unum volumen componi vult. Libros quosdam mittit.* (M. 206.)

Frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, dilecto fratri et amico suo R(einaldo) venerabili Hildenesheimensi preposito benedictionem et vitam usque in seculum. 1149?

Recte meministi, frater, quod, quamvis libros Ciceronis habeamus, nos tamen christianos esse recordamur et, ut scripsisti et ut tuus Seneca de se dicit, transimus interdum in aliena castra, non tanquam desertores et transfugae, set sicut exploratores[4] et spoliorum cupidi, si forte Madianiten rapere possimus, quam pilis erasis et unguibus desectis legitimo nobis valeamus copulare matrimonio[5]. Et licet nos in regione longinqua[a] peregrinari quin potius exulare doleamus, optamus tamen potius pane vivo, qui de coelo descendit[6], saturari, quam ventrem nostrum implere de siliquis, quas porci manducant[7]. Fercula Ciceronis nec inter precipua nec in prima mensa iam habemus, set si quando meliori cibo satiatis[b] aliquid libet, sic ex eo sumimus, sicut secundis mensis solent apponi bellaria. Est etiam nobis quedam voluptas, non esse otiosos. Nec vero, ut cetera omittamus, pati possumus, quod illud nobile ingenium, illa splendida[c] inventa, illa tanta rerum et verborum ornamenta oblivione et negligentia depereant; set ipsius opera universa, quantacunque inveniri poterunt, in unum volumen confici volumus, nichil habentes cum illis commune, qui quanto ditiores sunt tanto magis egent et, omissis liberalibus studiis, circa

a. nos *iterum legitur in cod.* b. satiatos *correctum est in* satiatis. c. splendita *c.*

1. Hildesheimenses. 2. A. Gellium. 3. ipsius Reinaldi libros. 4. Senecae ep. I. 2, 4. 5. Cf. ep. 167 supra p. 281. 6. Ioh. 6, 41. 7. Luc. 15, 16.

1149? transitoria solliciti sunt, et congregant ut dispergant et dispergunt ut congregent. Ludum pilae maxime imitantur, ubi ludentes et cum aviditate sumunt et cum celeritate reiciunt; ita neque in capiendo neque in remittendo modum habent. Quorum disciplinam, si nos diligis, licet ab inprobis secularibus laudetur, tanquam venenum et mortem animae devitabis. Misimus tibi pro monimentis librorum vestrorum Origenem in cantica canticorum, et pro Aggellio Noctium Atticarum, quem ad presens habere nequaquam potuimus, librum[1], quem Grece Stratagemmaton vocant, quod militare est.

---

209. *Quidam Wibaldo de eius in se beneficiis grate scribit.* (M. 207.)

1149? Domino suo dilectissimo W(ibaldo) ille suus, quicquid dici credi vel esse potest felicius.

Salutat vos ille vester servus ex intimo cordis affectu, quem egenum de pulvere erexistis; qui etiam, sepius tempore necessitatis benivolentiam vestram expertus, non immemor beneficiorum vestrorum esse cupit nec ingratus. Sunt enim quasi stilo ferreo super latitudinem cordis eius exarata, ne unquam aboleantur aliqua vetustate aut rerum varię succedentium vel temporum mutabilitate. Scit enim, quem fallere nemo potest, quantum[a] vos habeam in visceribus Iesu Christi, quam unice diligam, quam intime cupiam cuncta, quae ad honorem vestrum spectant; nec memoriam vestri de caetero oblitterare poterit vel temporum prolixitas vel locorum longinquitas. Recolit, domine, mens mea, versatur crebro in antro cordis mei, quoniam — filii Belial, filii iniquitatis, filii quos detestatur anima mea, qui sepius inebriati sunt sanguine meo et satiati carnibus meis, nisi obstitissent, nisi á me infelice vos magis invidiose quam iuste avertissent — longiorem in conspectu gratiae vestrae misericordiam invenissem. Set haec omnia in manu Dei viventis commendo, qui reddet unicuique iuxta adinventionem viarum suarum. Obsecro autem profuse, ne graviter accipiatis, que dico, quoniam

a. *sequitur iterum in cod.* fallere nemo potest, quantum.

1. qui Frontino attribui solet.

anima mea turbata est valde; set pietas miserationis vestrae requiescere modo me fecit non modicum. Unde vitulos labiorum meorum immolo Deo et immolare non cessabo pro prosperitate vestra, ut vivatis feliciter et valeatis, et cuncta, quae intenditis, á Deo prospere dirigantur in manibus vestris. 1149?

---

210. *Wibaldus Heithenrico praeposito Groningensi bona quaedam asserit*[a]. (M. 182.)

1149 Oct. — Dec.

W(ibaldus) Dei gratia Corbeiensis abbas successoribus suis in perpetuum. Sicut officii nostri est, cum omni sollicitudine et timore Dei res nobis creditas ordinare ac dispensare, ita nichilominus ad eandem curam pertinet, quaecunque á nobis in tempore amministrationis nostrae geruntur, ad posterorum memoriam, ne per oblivionem aut per negligentiam error aliquis oboriatur, scripto transmittere. Quocirca omnium fidelium Christi et aecclesiae nostrae prudentiae notum esse volumus, quod dilectus filius noster Heithenricus[b] prepositus monasterii nostri in Groninga[c] inter cetera[d] gravamina, quae sibi et aecclesiae suae ex communi malicia mundi incumbunt, hoc nobis conquerendo suggessit, quod quidam ministerialis noster Hezo nomine partem agri, qui iuxta fluvium Bodam situs est et usque ad nostra fere tempora solebat esse compascuus, absque ulla iuris ratione occupavit. Super qua re nos diligenter a sapientibus et senioribus nostris veritate inquisita comperimus, quod idem ager ad prebendam fratrum et ditionem prepositi absque ullo dubietatis scrupulo pertineat. Similiter de molendino, quod Wunnerus iuxta villam Helmerikesdorp reedificavit, quod etiam quidam liber[e] Hoierus nomine[f] sine ullo iuris suffragio detinebat, veraci relatione didicimus. Nichilominus de una curte, quae fuit Heinrici Rufi de Groninga[c], indubitanter cognovimus. Quae omnia, sicuti veraciter ad prebendam congregationis et ad manum prepositi pertinere intelleximus, sic per presentem paginam eis

a. *Hanc tabulam ex archetypo edidit Erhard Reg. Westph. II Cod. dipl. p.* 55.
b. Hedenricus *Erhard.* c. Gruninga *Erh.* d. cetera *addidi ex Erhardi editione.*
e. liber *addidi ex Erh. edit.* f. minime *c.*

1149 Oct. — Dec. immobiliter confirmamus, obtestantes nostros successores, ne aliquando sub nomine beneficii alicui laico vel concedant vel recognoscant. Data Corbeiae anno Domini 1149, indictione 13, regnante domino nostro Counrado glorioso[a] Romanorum rege secundo, anno 4 ordinationis nostrae in Corbeiam.

---

211. *Wibaldus Anselmo episcopo Havelbergensi de eius suaque offensa apud regem contracta obscure scribit. Se curiam Bambergensem aditurum esse.* (M. 208.)

1149 Dec. Reverendo patri suo et domino A(nselmo) pauperis civitatis episcopo[1] frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, se ipsum et sua omnia.

Succenset nobis etiam nunc prudentia vestra, quod nullas vobis vel raras litteras mittamus; in quo vitio vos quoque laborare, et dolemus et reprehendimus. Salutantes itaque dilectam nobis in Domino paternitatem vestram, hoc absque dubio, quantum de futuris possumus, profitemur, quod in ea caritatis gratia, quam Deus inter nos iam pridem glutinavit, permanere disponimus, nisi forte ad perfectum aliquid augmenti possit accrescere. Legimus litteras, quas pro excusatione vestra de offensa domini nostri regis nostro communi amico cancellario[2] miseratis; set, referente quodam, quem curiae secreta non prorsus latent, didicimus, quiddam occultioris veneni de quorundam detractione in causa fuisse. Nos nec diuturniorem nec maiorem gratiam expectamus. Vestra siquidem culpa, si tamen culpa est, nobis quoque vobiscum et quibusdam episcopis communis est; quam vobis per scriptum indicare tutum esse nequaquam iudicavimus. Curia futura est Bavemberch, non tamen frequens, ad quam familiariter venire iussi sumus[3]; cum tamen nos gravis necessitas ad eam traheret, pro rebus videlicet Kaminatensis ecclesiae, pro quibus multum laborem sustinentes, parum adhuc patrocinii, unde speravimus, accepimus.

---

a. glorioso *addidi ex Erh. edit.*

1. Havelbergensi. 2. regio, Arnoldo. 3. Bambergam die 24 Dec. 1149 pervenisse Wibaldum, docet ep. 251 infra.

212. *Reinaldus praepositus Hildesheimensis Wibaldo scribit, Arnoldum I archiepiscopum Coloniensem se munere abdicaturum; Wibaldum illius successorem denotari. Sese die 25 Decembris Coloniae fore. Mandata poscit.* (M. 209.)

Domino suo Wibaldo, laudabili per omnia abbati in Corbeia, 1149 Dec.
R(einaldus) humilis prepositus obsequium cum orationibus.

Reversus de Colonia nuper nuncius meus constantissime asseruit et asserit, domnum archiepiscopum[1] sine contradictione ab episcopali cura et dignitate cessaturum. Addidit preterea, á familiaribus meis auditum et compertum, vos successorem annotari; quod vobis aperire dignum duxi. Quicquid itaque super hac re vestra elegerit discretio, michi fidelissimo vestro relitterando insinuet; et mea devotio vestrae voluntati et beneplacito accuratissime satisfacere studebit. In hac enim nativitatis Domini sollemnitate[2] illuc[3] transire disposui; et si quid vel scriptis vel verbis simplicibus cuiquam fidelium vestrorum mandare cogitatis, devotissime exequar. Valeat paternitas vestra in Domino.

---

213. *Wibaldus Reinaldo praeposito Hildesheimensi rescribit, ut de rebus Coloniensibus caute agat.* (M. 210.)

Reverendo fratri et amico suo R(einaldo) venerabili prepo- 1149 Dec.
sito frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, benedictionem et vitam usque in seculum.

Visis sinceritatis tuae litteris, plurimum gavisi sumus, eo quod provectus nostros tanta fidei constantia diligis et nobis in re necdum existente tam benivolo animo gratularis. Set obnixe tuam sinceritatem exoramus, ne illud agas, quod, etiamsi vires nostrae ferre possent, intempestivum est agi et, cum prodesse possit nichil, obsit plurimum. Siquidem invidiae, suspicionis, odii fomitem ministrare potest. Audieramus quidem, dominum et patrem nostrum Coloniensem archiepiscopum á dominis et patribus nostris Coloniensis ecclesiae prioribus diligenter commoneri, ut, quoniam dignitatem ecclesiae suae et ordinis sui officium negligere videtur et iam tam animo quam corpore deficiens la-

1. Arnoldum I. 2. 1149 Dec. 25. 3. Coloniam.

1149 Dec. benti ecclesiae minus potest sufficere, saluti suae provideat et, quod urgente necessitate facturus creditur, sponte cedendo facere incipiat. Quod consilium tam ipse quam sui non facile recipere putantur. De illo autem rumore altero, qui nostram personam respicit, sicut nec concupivimus, nec speramus; atque immaturum omnino est, nec quicquam audivimus, nec fuisse motum arbitramur. Tuae benivolentiae ac discretionis erit, ut, sicut in omni sermone memoriam nostri iocunde et favorabiliter habere consuevisti, sic in isto caveas ea loqui, quae nostrae integritati et famae aliquo modo possint[a] detrahere. Vale; et nos, ut facis, dilige.

---

214. *Senatus populusque Romanus Conradum regem, ut Romam veniat, hortantur. Declamant contra dominationem papalem. De foedere papae et Rogerii regis Siciliae. Legatos suos commendant*[1]. (M. 211.)

1149 Excellentissimo atque preclaro Urbis et orbis totius domino Con(rado) Dei gratia Romanorum regi semper augusto senatus populusque Romanus salutem et Romani imperii felicem et inclitam gubernationem.

Regali excellentiae per plurima iam scripta nostra facta et negotia diligenter exposuimus, quomodo in vestra fidelitate permaneamus ac pro vestra imperiali corona exaltanda et omnimodo augenda cotidie decertamus. Ad que quia regalis industria, ut postulavimus, rescribere dignata non fuit, plane tanquam filii et fideles de domino et patre satis miramur. Nos enim, quicquid agimus, pro vestra fidelitate et honore facimus. Et quidem, regnum et imperium Romanum vestro a Deo regimini concessum exaltare atque amplificare cupientes, in eum statum, quo fuit tempore Constantini et Iustiniani qui totum orbem vigore senatus et populi Romani suis tenuerunt manibus, reducere, senatu pro his omnibus Dei gratia restituto, et eis, qui vestro imperio semper rebelles erant quique tantum honorem Romano imperio

a. possit *c.*

1. Haec epistola legitur etiam ap. Ottonem Frising. Gesta Friderici, I. c. 28.

subripuerant, magna ex parte conculcatis, quatinus ea, que caesari et imperatori pertinent, per omnia et in omnibus obtineatis, vehementer atque unanimiter satagimus atque studemus. Et ob huius rei effectum bonum principium ac fundamentum fecimus. 1149

Nam pacem et iusticiam omnibus eam volentibus observamus; fortitudines, id est turres et domos potentum Urbis, qui vestro imperio una cum Siculo et papa resistere parabant, cępimus, et quasdam in vestra fidelitate tenemus, quasdam vero subvertentes solo coaequavimus. Set pro his omnibus, que pro vestrae dilectionis fidelitate facimus, papa, Fraiapanes et filii Petri Leonis, homines et amici Siculi, — excepto Iordano, nostro in vestra fidelitate vexillifero et adiutore — Tolomeus quoque et alii plures undique nos impugnant, ne libere, ut decet, imperialem regio capiti valeamus imponere coronam. At nos, quoniam amanti nullus labor gravis est, licet inde plurima dampna sustineamus, pro vestro amore et honore gratanter patimur. Scimus namque, nos a vobis proinde premium sicut a patre accepturos vosque in eos sicut in imperii hostes vindictam daturos.

Cum tanta igitur nostra in vobis fidelitas sit, tantaque pro vobis sustineamus, precamur, ne spes ista nobis deficiat, neu regia dignitas nos, vestros fideles et filios, despiciat, neque, si in regalibus auribus aura sinistra de senatu et nobis flaverit, in eam intendat aut respiciat; quia, qui de nobis vestrae altitudini mala suggerunt, de vestra et nostra, quod absit, dissensione laetari volunt, et utrosque, ut soliti sunt, callide opprimere moliuntur. Set circa haec, ne fiant, regalis prudentia, ut decet, sollicita sit et provida; reminiscaturque vestra sollertia, quot et quanta mala papalis curia et dicti quondam cives nostri imperatoribus, qui fuerunt ante vos, fecerint; et nunc deteriora vobis cum Siculo facere temptaverunt. Set nos Christi gratia in vestra fidelitate viriliter eis resistimus, ac plures ex illis ab Urbe sicut pessimos hostes imperii, ut sunt, pepulimus. Appropinquet itaque nobis imperialis celeriter vigor, quoniam, quicquid vultis, in Urbe obtinere poteritis, et ut breviter ac succincte loquamur, potenter in Urbe, que caput mundi est, ut optamus, habitare, toti Italiae

1149 ac regno Teutonico, omni clericorum remoto obstaculo, liberius et melius quam omnes fere antecessores vestri dominari valebitis. Sine mora ergo precamur ut veniatis; et interim de statu vestro, quem semper desideramus salubrem et prosperum, et de his omnibus, regalibus litteris aut nunciis nos laetificare dignemini. Sumus enim per omnia vestrae voluntati obtemperare semper parati.

Sciatis preterea, quod pontem Milvium extra Urbem parum longe, per tempora multa pro imperatorum contrario destructum, nos, ut exercitus vester per eum transire queat et ne Petri Leonis per castellum Sancti Angeli vobis nocere possint, ut statuerant cum papa et Siculo, magno conamine restauramus; et in parvi temporis spacio muro fortissimo et silicibus, iuvante Deo, complebitur. Concordiam autem inter Siculum et papam huiusmodi esse accepimus: Papa concessit Siculo virgam et anulum, dalmaticam et mitram atque sandalia, et ne ullum mittat in terram suam legatum, nisi quem Siculus petierit; et Siculus dedit ei multam pęcuniam pro detrimento vestro et Romani imperii, quod Dei gratia vestrum existit. Haec omnia sollicite vestra animadvertat, optime rex, prudentia.

Rex valeat; quicquid cupit, obtineat super hostes;
Imperium teneat, Romae sedeat, regat orbem
Princeps terrarum, ceu fecit Iustinianus;
Cesaris accipiat caesar, que sunt sua presul,
Ut Christus iussit, Petro solvente tributum.

Nos de caetero legatos nostros precamur ut benigne recipiatis, et quod vobis dixerint credatis, quia scribere cuncta nequivimus. Sunt enim nobiles viri Guido senator, Iacobus filius Sixti procuratoris et Nicolaus eorum socius.

---

215. *Sixtus, Nicolaus, Guido consiliatores curiae Conrado III regi scribunt de clericorum dominatu delendo, de foedere papae et Rogerii regis, de sociis eorundem Roma pulsis. Petunt, veniat Romam. Legatos commendant.* (M. 212.)

1149 Excellentissimo et magnifico domino Urbis et orbis Conrado Dei gratia Romanorum regi semper augusto Sixtus, Nicolaus

et Guido consiliatores curiae sacri senatus et communis salutis 1149
rei publicae procuratores, pro posse in omnibus fidelia servitia et Romani imperii restaurationem.

Ut iam per plures litteras regiae significatum est maiestati, videntes, imperium Romanum temeraria usurpatione clericorum a suo vigore plurimum decidisse, ex quo Romanus populus multum dedecoratus erat, ad orbem vestris pedibus subdendum Christi auxilio cum summo studio senatum relevavimus; qui, pacem in Urbe conservans et iusticiam faciens, bonos exaltando, malos autem delendo, ad adipiscendam imperii coronam, omni clericorum obstaculo remoto, vestrae dignitati ad Urbem venienti congrue viam preparet. Quod iam tam senatus quam nos Christi gratia viriliter fecimus. Nam Cencium Fraiapanem et filios Petri Leonis, quos cum papa et Siculo pro vestri minoratione imperii conspirasse cognovimus, ex Urbe deiecimus et eorum plurima bona depopulavimus, ita quod vobis resistere nullo modo quibunt. Nil ergo aliud restat, si placet vobis, nisi ut celeriter Urbi appropinquetis et populo vestro succurratis, quoniam, quicquid desiderat Urbis cor imperiale, in ea obtinere procul dubio poterit. De cetero commendamus vobis hos nostros nuncios, vestros fideles; nam pro vestri amoris fidelitate illos ad vos misimus. Litteris quoque vestris precamur ut nos laetificare et honorare dignemini.

---

216. *Senator quidam Conradum III regem admonet, ut Romam veniat finemque papali potestati imponat.* (M. 213.)

Illustrissimo atque magnifico terrarum orbis domino Con(rado) 1149
Dei gratia Romanorum regi semper triumphatori augusto,

quo melior nullus, cui nullus in orbe secundus,

quidam fidelis senatus, servorum regis fidelissimus, quicquid tanto domino tantillus famulus.

Certum ac firmum sit regiae maiestati, me in senatu et quocunque potui ad vestri exaltationem imperii assiduam operam dedisse; et idcirco vobis, licet audacter tamen confidenter scribo:

Utile consilium, dominus, ne despice servi.

Si licet itaque servo domino suo consilium dare, regali pruden-

1149 tiae consulo, ut sine mora Romam veniatis et, medium vos inter populum et papam ponentes, senatum et populum in vestra defensione suscipiatis; quoniam castellum Sancti Angeli cum Romanis poteritis capere, et ita facere, ut sine vestra iussione ac dispositione nunquam de cetero apostolicus in Urbe ordinetur. Sic enim fuit tempore beati Gregorii, qui sine assensu imperatoris Mauricii papa esse nequivit; et sic usque ad tempus Gregorii septimi perduravit. Propter id utile factum esse affirmo, ne per sacerdotes bella fiant aut homicidia in mundo. Nam non licet eis ferre gladium et calicem, set predicare, predicationem vero bonis operibus confirmare, nequaquam bella et lites in mundo committere.

---

217. *Conradus III rex Eugenio III papae Heinricum episcopum Ratisbonensem, Hierosolymam euntem, commendat.* (M. 215.)

1149-1150 Dilectissimo in Christo patri suo Eugenio sanctae Romanae aecclesiae summo pontifici C(onradus) Dei gratia Romanorum rex et semper augustus filialem[a] dilectionem et debitam in Christo reverentiam.

Fidelis noster, vestrae sanctitatis filius, Ratisponensis episcopus[1], licet in rebus regni nostri plurimum nobis oportunus esset et commodus, detineri tamen nequaquam potuit, quin ob fidei ardorem et solvendi voti desiderium sub signo Crucifixi Hierosolimam tenderet. Quem, ad vestrae celsitudinis presentiam venientem, pro nostrae dilectionis interventu paterna benignitate suscipietis et, adiutum in his que sua necessitas poposcerit tam per manus vestrae protectionem quam per fidelium vestrorum suffragia, vestraque benedictione roboratum, hilarem ad sui propositi complementum dimittetis. Implevit enim amaritudine animam illius verbum, super quo vestrae sinceritati suspectus effectus est. De quo nos ei veraciter testimonium perhibemus, quod ipse christianum exercitum nec vendiderit nec prodiderit, nec sacrosanctae matris nostrae Romanae aecclesiae dignitatem in aliquo imminuerit.

a. *Sequitur* per, *et post* per *litura.*
1. Heinricus I, 1132—1155.

218. *Conradus III rex Emanueli Graecorum imperatori Heinricum episcopum Ratisbonensem, Hierosolymam euntem, commendat.* (M. 216.)

C(onradus) Dei gratia Romanorum imperator et semper 1149-1150
augustus dilectissimo in Christo fratri suo E(manueli) imperatori Grecorum prepotentissimo indissolubilem fraternae dilectionis affectum.

Fidelis noster episcopus Ratisponensis, tuae nobilitati plurimum affinis, licet in rebus imperii nostri plurimum nobis oportunus esset et commodus, detineri tamen nequaquam potuit, quin ob fidei ardorem et exsolvendi voti desiderium sub signo Crucifixi Hierosolimam tenderet. Quem, ad tuae celsitudinis presentiam venientem, pro nostrae dilectionis interventu solita liberalitate suscipies et, adiutum in his quae sua necessitas poposcerit tam per manus tuae protectionem quam per principum tuorum suffragia, hilarem ad sui propositi effectum dimittes.

---

219. *Hartwicus archiepiscopus Hamburgensis Wibaldo rescribit, se diem statuisse, qua Adonis abbatis Rosenfeldensis causa ageretur.* (M. 232.)

H(artwicus) sanctae Hammenburgensis aecclesiae divina so- 1149-1150
lum misericordia si quid est dilecto ac venerabili fratri W(ibaldo) Corbeiensium Dei gratia reverendo abbati firmam in Christo dilectionem cum salute.

Litteras fraternitatis vestrae, hornatu verborum et pondere sentenciarum plenas[1], in proximo diligentius perscrutantes, accepimus, innotuisse vobis, abbatem de Rosvelde[2] a sibi subiectis, preposito videlicet et ceteris loci illius fratribus, sine ratione ac sine iudicio loco et dignitate sua fuisse privatum et expulsum; unde provide quidem satis nobis suggessistis, dignitate sua ac possessione eum reinvestiri. Set legum capitula, quae induxistis, vera quidem sunt, set non hac in re locum habentia. Etenim vestrae legationi intererat venerabilis Havelbergensis aecclesiae A(nselmus) episcopus cum universo nostrae ecclesiae

1. ep. 161 supra p. 267. 2. Adonem abbatem Rosenfeldensem.

1149-1150 conventu, intererat abbas Mindensis et Scinnensis[1] cum pluribus aliis abbatibus et prepositis, in quorum presentia apertissime comprobatum est multorum attestatione religiosorum, dictum iam abbatem nullam expulsionis passum violentiam. Non igitur loco suo inducta est lex que ait: *Expulsi aut exspoliati rebus suis vocari ad causam nec iudicari possunt, quoniam non est privilegium quo expoliari possint iam nudati,* et caetera, quae, altera tantum parte audita, intendistis. Set ars eloquutionum rethorica viciosum in causis asserit exhordium, quod pars vendicare sibi potest adversa, ut cum dicunt: *Me, quia iustam causam habeo, iuvetis;* idem pars dicit adversa. Denique vestro interventu eorum deliberationi nos commisimus, qui a vobis et á dominis et fratribus nostris ad nos hac de causa missi fuerant; et sic peticioni vestrae et illorum satisfacientes, diem ei statuimus, quo in presentia fratrum loci illius res ista, vel iusticiae rigore vel misericordiae tranquillitate, fine tandem pacis in Domino terminetur.

---

220. *Robertus decanus Stabulensis Wibaldo L. poenitentem monachum Corbeiensem commendat.* (M. 234.)

1150 Ian. Reverendo in Christo patri suo et domino W(ibaldo) Stabulensis atque Corbeiensis aecclesiae venerabili abbati frater R(obertus) Stabulensis aecclesiae decanus et humilis eiusdem loci congregatio filialem dilectionem et debitam subiectionem.

Cum de salutis vestrae valitudine incertos nos faciat nuntiorum vestrorum ad nos raritas, nichil est, pater karissime, quod in nostris causis aut solatium aut iocunditatem nobis conferre valeat. Inde est quod, aliquando nostri memores Deo pro nostris oppressionibus placationis hostiam et precum sacrificia offerentes[a], ibi semper vestri memoriam habeamus, ubi ascendentes et descendentes angeli omnipotenti Patri vota uniuscuiusque representant et munera. Per hoc enim et aspera plana fieri et montes et colles credimus humiliari. Ceterum, pater, de nostrarum

a. offerentes *addidi.*

1. monasterii Schinna, dioec. Mindensis.

rerum statu et aecclesiae vestrae habitudine aliqua vobis scribere 1150 Ian.
supersedimus, cum in proximo, id est circa purificationem beatae Mariae[1], et adventus domni regis ad partes Lotharingiae et vester ad nos reditus expectetur. Interim autem benignitatis vestrae mansuetudini humiliter significamus, quod propter karitatis unitatem et gratiam, quam ad Corbeiensem habemus aecclesiam, venientem ad nos fratrem nostrum L., Corbeiensis aecclesiae filium, debita compassione collegimus et aliquanto tempore nobiscum detinuimus; cui etsi minus impendimus, quam eius poposcerit necessitas, tamen fraternę ipsi contulimus, quod pati potuit rerum nostrarum exiguitas. Et quoniam, orationis voto completo, ad locum professionis suae, ad aecclesiam quae eum nutrivit et aluit, redire disposuit, sanctitatis vestrae pietatem attente exoramus, quatinus peticionis nostrae interventu et omnium nostrum pro eo humili satisfactione ita omnem preteriti temporis noxam remittatis, ut absque gravioris penae sentencia fratrum suorum collegio eum pie restituatis. Sufficit namque ei, pater karissime, ad omnium excessuum suorum veniam hiemis gravis asperitas et viae longioris non parva difficultas. Quare iterum atque iterum supplicamus, ut ad misericordiam et requiem ei valeat nostrae peticionis intercessio.

---

221. *Anselmus episcopus Havelbergensis Wibaldo respondet, se Havelbergae esse quam in curia malle. De Heinrici archiepiscopi Moguntini ad se litteris. Hortatur, ut regem custodiat.* (M. 235.)

W(ibaldo) venerabili abbati, carissimo sibi, A(nshelmus) pau- 1150 Ian.?
per Christi orationes cottidianas et obsequium cottidie[a] paratum.

Carissime, scripsisti mihi[2] familiariter et breviter; set mihi, multa de te et de me scire volenti, pauca non sufficiunt. Utinam per triduum saltem simul sederemus, et in medio nostrum noster cancellarius[3] sederet, ut mutua collocutione in omnium nostrum noticiam veniret, quod singuli intra se clausum tene-

a. *sic ex* semper *correctum est in cod.*

1. circ. Febr. 2. 2. V. ep. 211 supra p. 230. 3. Arnoldus.

1150 Ian.? rent. Ego quidem iterum iam in alveum cordis mei regressus sum, nec sponte mea de cetero adeo supereffluere disposui, ut ad instar torrentis lutum colligam, quo involvar, et cenulentam turbationem, quam sepe passus[a] sum, iterum paciar. Quid enim mihi inter molentes, licet alter interdum assumatur[1], ubi continuus et infinitus est circuitus? quid mihi in agro, ubi, licet alter assumatur, tamen[b] vix umquam deest sol urens et estus percutiens seu alia quaevis temptationis intemperies? Quin immo in lectulo conquiescam, ubi, licet alter interdum relinquatur, tamen alter nequaquam tot temptationibus expositus frequentius assumitur. In presepio meo Havelberch pauper Christi cum fratribus meis pauperibus Christi maneo; ubi alii nostrum turrim fortitudinis aedificant á facie inimici[2], alii sunt in excubiis ad defendendum contra insultus paganorum, alii divinis obsequiis mancipati cottidie martyrium expectant, alii animas suas Deo reddendas ieiuniis et orationibus purificant, alii lectionibus vacantes et sanctis meditationibus insistentes et sanctorum vitam et exempla imitantes se ipsos exercitant; et omnes nudi ac pauperes nudum ac pauperem Christum, quantum possumus, sequimur. Satis lusimus; de reliquo seria res agatur. Christus in presepio, Christus in pretorio; aliter ibi, aliter ibi. Ibi, id est in presepio iacenti, angeli laudantes concinuerunt; ibi, id est in pretorio ante principes stanti, acclamaverunt Iudaei: *Crucifigatur, crucifigatur.* O sigillum divinae scripturae! Quis mihi aperiet? Quis, inquam, nisi agnus, qui occisus est ab origine mundi. Crede mihi, frater karissime, melius et tutius est cum Christo iacere in presepio et vagire miserias humanae conditionis, stella nova desuper lucescente, angelis gloriam concinentibus[c], regibus diversa munerum exenia offerentibus, quam stare in pretorio, irridentibus militibus, flagellantibus, conspuentibus, alapis verborum caedentibus, coronam spineam, spineam, vere spineam, vere aridam, vere suco vitae aeternae carentem, vere spineam, pungitivam, aculeos detractionis post laudes habentem, plecten-

a. passū *c.* b. tū *c.* c. concinnentibus *c.*

1. Cf. Luc. 9, 28: „unus assumetur et alter relinquetur". 2. Ps. 60, 4.

tibus, sole contemplationis divinae obscurato, terra corporis tremiscente[a], petra fidei scissa, velo templi diviso. Crede mihi, frater karissime, tutius est in presepio quam in pretorio. Ibi consolationes, hic terrores. Sufficit. Dum enim scribo et longiorem ępistolam facere volo, nuncius Maguntini archiępiscopi[1] supervenit, et, datis litteris factaque verborum legatione, eadem hora discessum paravit; et hanc ępistolam succidere me coegit, quia nuncium meum statim cum illo mittere me oportuit. Dominum meum ac tuum augustum humillimum[2], dum circa ipsum es, diligenter custodi; et quia Deus fidelem te et sapientem fecit, fac quod potes et scis, quantum tibi permittitur. Saluta cancellarium nostrum ex Anshelmo tuo et suo. 1150 Ian.?

---

222. *Wibaldus Corbeiensibus significat, Conradum regem debitarum marcarum 300 gratiam sibi fecisse*[b].

Wicboldus Dei gratia Corbeiensis abbas dilectis fratribus W(altero) priori, A(delberto) preposito et toti capitulo atque ministerialibus Corbeiensis ecclesiae benedictionem et vitam usque in seculum. 1150 ineunte.

Significamus universitati vestre, quod domnus rex in nostra peticione clementer nos exaudivit, et trecentas marcas, quas debebamus ei, nobis cum benignitate remisit[3] et, ut verbis ipsius utamur, cum ex iure hanc pecuniam posset a nobis extorquere, tamen propter sedulitatem servicii nostri circa eum nobis et Corbeiensi ecclesiae eam remisit; et in his laboribus, quos incaute introivimus, nos clementer adiuvare intendit. Preterea nos ipsos per misericordiam Dei secum benigne et honeste tenet. Et omnia bona habebimus, si Deum timuerimus et mandata eius servaverimus.

---

a. tremescente *c.* b. *Haec epistola manu saec. XII posita est in codicis quondam Corbeiensis nunc Monasteriensis, membr. signati I.* 132 *fol.* 146.

1. Heinrici. 2. Conradum regem. 3. id spatio dierum 24 Dec. 1149 et 20 Apr. 1150 factum esse, docet ep. 282 infra.

223. *Arnoldus praepositus Coloniensis, Conradi regis cancellarius, Wibaldo scribit, se ad curiam vocatum esse. Suspicatur, legationem sibi impositum iri; quam quare aversetur, exponit. Arnoldum archiepiscopum papae commendari non vult.*

1150 Ian. Dominus meus[1] ad curiam suam me vocavit, quasi mecum de negociis suis ordinaturus; set ego magis estimo, quod ipse vos et me Romam mittere intendat. Quod si ita est, scio vos nequaquam latere. Multa vero sunt, quae a legatione ista me excusant; precipue defectus fratrum, quibus dispensare habeo. Ego enim Hierosolima rediens, curtes omnes vacuas et quatuor meliores grandine[a] prorsus percussas inveni. Oportuit etiam me non solum debita 60 marcarum vicariis meis solvere, verum etiam a prima die reditus mei usque ad novas fruges omnia de meo fratribus necessaria providere. Hinc est, quod una die ab eis abesse nequeo. Aliud eque magnum vel maius, quod a via ista me deterret, quod dominus meus ea, que per fideles suos Romam mandat, non bene servat; et per minores personas legatio, effectu vel veritate carens, convenientius agi possit. Si autem labor iste nos vocat, et vestrae discretionis diligentia necessitatem et fructum non inanem prospexerit, quale vel quantum nobis viaticum asscribatur, sicut expedit, exigite; et ego pro consilio vestro, cui specialiter devinctus sum, supra vires meas voluntati domini mei me exponam. Ad haec, quam primum vobis facultas fuerit, rescribite. Inter haec autem, ne quas domno Coloniensi[2] litteras intercessorias ad domnum papam tribuat, cavete, ne homo prorsus inutilis et pernitiosus per eum stet vel cadat. Plurima, cum venero, dilectioni vestrae referre habeo, que litteris commendari nullatenus tutum duxi. Valeat in perpetuum vestrae dilectionis dulcedo.

a. grandine meliores *c*.

1. Conradus rex. 2. Arnoldo I archiepiscopo.

224. *Eugenius III papa praelatos Poloniae reprehendit, quod excommunicationem et interdictum, a suo legato in Wladislai ducis adversarios prolata, non observaverint.* (M. 222.)

Eugenius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopis episcopis et aliis aecclesiarum prelatis per Poloniam constitutis salutem et apostolicam benedictionem. 1150 Ian. 23

Quod vos benedictionis alloquio salutamus, non ex vestris meritis fieri, set ex apostolicae sedis benignitate credatis. Sui enim debet honoris dolore prosterni, quisquis apostolicis contempnit obedire mandatis. Nos siquidem, pro nostri officii debito de vestra et populi vobis commissi salute[a] solliciti, dilectum filium nostrum G(uidonem) sanctae Romanae ecclesiae diaconum cardinalem[1] ad partes vestras olim direximus, ut et pacem inter W(ladislaum) ducem et fratres eius auxiliante Domino reformaret, et aecclesiastica negotia, tanquam apostolicae sedis legatus, tractaret. Qui, sicut a nobis mandatum acceperat, partem, que noluit eius monitis obedire, et eos, qui eiusdem ducis terram detinent, excommunicationis vinculo innodavit, et in terra divina prohibuit officia celebrari. Vos autem, sicut accepimus, quoniam hoc eum ex mandato nostro non fecisse asseritis, sententiam ipsam minime observatis. Quia vero ipse hoc nostro fecit mandato, nos tam excommunicationis quam interdicti sententiam, sicut ab ipso data est, ratam habemus, et ut vos eam observetis et faciatis firmiter observari, precipimus. Tu vero, frater archiepiscope, cui hoc ex debito tui officii potissimum imminet, ut inexcusabiles sint, omnibus suffraganeis tuis et aliis aecclesiarum prelatis denuncies et sententiam ipsam firmiter observes et facias observari; sciturus quia, si quis vestrum eandem sententiam observare noluerit, beati Petri et sanctae Romanae aecclesiae non effugiet ultionem. Data Laterani 10 Kal. Februarii.

a. salute commissi *c.*

1. S. Mariae in porticu.

225. *Guido diac. card. S. Mariae in porticu Conrado III regi de sua in Wladislai ducis Poloniae adversarios sententia per papam confirmata significat.* (M. 223.)

1150 Ian. C(onrado) Dei gratia glorioso Romanorum regi augusto G(uido) sanctae Romanae aecclesiae diaconus cardinalis[1] devotum servitium suum et orationum perseverantiam.

Pro negotio nobilis et illustris viri ducis Poloniae et coniugis eius, sororis vestrae, mandato domni papae nos satis laborasse, vobis non extat incognitum. Verum persistentibus in duricia sua adversariis, sicut a domno papa nobis iniunctum fuerat et exhortationis vestrae nobis monita suggesserunt, iusticiam de eis facere non dubitavimus. Quia ergo negotium illud iam ad vos[a] quodammodo spectare videtur, maiestatis vestrae celsitudinem attente rogamus, ut ita manum auxilii vestri eidem duci et brachium fortitudinis vestrae porrigere studeatis, ut vigorem aecclesiastici officii in hac parte viriliter sublevetis, et de indulta pace duci et sorori vestrae laudem a Deo et hominibus consequi valeatis. Sententiam autem, quam circa adversarios ducis W(ladislai) et sororis vestrae promulgavimus, domnus papa et Romana aecclesia firmaverunt et, usque quo resipiscant et ad pacem convertantur, eam sententiam nullatenus relaxabunt.

---

226. *Wibaldus Arnoldum praepositum Coloniensem, regis cancellarium, de litteris sine inscriptione ad se missis reprehendit. De Welfone capto; de curia Fuldae habenda; de legatis Romam mittendis; de Agnete ducissa in Poloniam reducenda.* (M. 184.)

1150 Febr. Dilecto domino et amico suo A(rnoldo) venerabili sanctae Coloniensis aecclesiae preposito maiori, regiae curiae cancellario, frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, se ipsum et sua universa.

Acephalas litteras[2] a vobis accipere consuevimus. Quas qui scribunt, similes sunt illis, qui prandent illotis manibus.

a. nos *c.*

1. S. Mariae in porticu. 2. Litteras sine inscriptione. V. ep. 223 supra p. 342.

Semel correptus, de cetero emendabitis. Ad penultima vestra 1150 Febr.
inter prima nostra vobis respondemus, quod, quando convenerimus, plura dilectioni vestrae referre habebimus, que ut litteris mandarentur, nec breve nec tutum fuit. Preterea multa[a] nobis dempta sunt, ex eo videlicet, quod Deo de coelis distillante misericordiam, Guelfo, cum omnibus fere hominibus suis a iuniore Febr. 8
rege pugna superatus, captus est. Et opinabile quidem est et veraci coniecturae satis consentaneum, quod, si hoc bonum divina clementia non esset largita, magnos in regno motus fuisse futuros, quos nunc ex facili posse comprimi et suffocari confidimus; que plenius a clerico vestro E. cognoscere poteritis. In quantum vero intelligere et diiudicare potest nostra capacitas, dominus noster rex omne studium et consilium suum convertit ad disponendas et gerendas res publicas, nec modo tempus redimit nec causas perfunctorio transitu eludit. Inde est quod, ordinatis serio et rationabiliter rebus suis, que ex quadam necessaria serię quodammodo concatenatae sunt, colloquium habere vult cum Saxonibus in dominica qua cantatur *Iudica me Deus*[1] apud Fuldam; ubi vos interesse modis omnibus mandat et precipit. Mittere etenim Romam cum gravitate magna et regni ac personae suae honestate intendit, in quibus rebus vestro plurimum consilio innititur; et nos tanquam captivatos usque ad adventum vestrum tenet. Defixum plane et ratum est apud ipsum, quod, si sororem suam[2] absque armis in Poloniam reducere potuerit, mox expeditionem Italicam magnifico apparatu ordinabit. Super quo nos iam dubitare non audemus, et maxime, cum ad consilium, quod iam captaverat, hanc mirabilem et insperatam oportunitatem propicia divinitas ei adiecerit. Cetera, cum veneritis, plenius Deo prestante conferemus. Que pueri didicimus, iam senes experimur.

Coelum, non animum mutant, qui trans mare currunt:

In aqua Iordanis peccata vestra abluere potuistis, set mores vestros eluere non potuistis; etenim non solum mores vestros, set etiam morositatem inde retulistis.

a. mala *excidisse videtur.*

1. Apr. 2. 2. Agnetem.

227. *Arnoldus praepositus Coloniensis, Conradi regis cancellarius, Wibaldo scribit, Arnoldum archiepiscopum, Romam iturum, Thiebaldo praeposito Xantensi damnum inferre velle. Archiepiscopum iuvari non vult. Praepositum a rege papae commendari cupit, ut ei aliam quoque praeposituram accipere liceat.* (M. 178.)

1150 Febr. Dilectissimo domino suo W(ibaldo) A(rnoldus) suae sanctitatis devotus famulus se per omnia.

Gratias Deo et domino meo[1] et vestrae excellentiae refert intimus et fidelis vester domnus Xantensis T(hiebaldus), quem vestrae creavit industriae perspicax effectus; et ego pro modulo meo pro ipso pedibus vestris cum multimoda gratiarum actione provolvor. Dabitis autem post irrigationem ei incrementum, ne plantatio vestra eradicetur, si non fuerit fomentis necessariis adiuta. Domnus enim Coloniensis[2], Romam in proximo proficiscens, cum fratre Bunnensis[3] F. eum gravare intendit; et, si ipse gratiae domni papae sua pecunia conciliari potest, quia alia ei desunt patrocinia, a prepositura Xantensi domnum T(hiebaldum) amovere disponit, et domnum F. eadem investire. Exoratam itaque dilectionem vestram, que nunquam nos destituit, esse volumus, quatinus a domino meo rege vestra et nostra obtineat peticio, ut denuo nequaquam ruiturus[4] confirmetur; et si archiepiscopus quod postulat consecutus fuerit, ipsius protectione auctoritati[a] domni papae commendetur[5], ita ut, si alterius electio aecclesiae eum vocaverit in prepositum, interventu domini mei a domno papa promotio talis ei non negetur. Has vero litteras[6], quia non est scriba doctior, ut vestra discretio dictare non dedignetur, humiliter deposco; et sigillum aureum per presentium portitorem una cum litteris cum festinatione transmittatis. De cetero acephalas[7] non audemus mittere; quod tamen non sine causa fecimus.

a. protectioni auctoritate *cod.*

1. Conrado regi. 2. Arnoldus I archiepiscopus, a papa vocatus, v. ep. 204 supra p. 324. 3. Gerhardi praepositi Bonnensis. 4. Arnoldus archiepiscopus. 5. Thiebaldus praepositus. 6. regis ad papam. 7. litteras sine inscriptione; v. epp. 223 et 226 supra p. 342 et 344.

228. *Thiebaldus praepositus Xantensis Wibaldo significat de archiepiscopo Coloniensi cum suis aemulis Romam profecturo. Papam rogari vult, sibi cum Xantensem praeposituram contulerit, ut a sese etiam aliam praeposituram suscipi sinat.* (M. 179.)

Dilecto domino suo W(ibaldo) venerabili Corbeiensis aeccle- 1150 Febr.
siae abbati T(hiebaldus) Dei gratia id quod est, Xantensis aecclesiae prepositus et archidiaconus, cum oratione et servitio precordialem et intimam dilectionem.

Primo loco absque omni ambiguitate scire vos volumus, quod usquequaque servitio vestro amice et fideliter expositi sumus et indesinenter erimus. Quid enim pro nobis feceritis, quem affectum erga nos habueritis, certis experimentis persensimus. Unde et semper nos esse debitores vobis omnino recognoscimus. De cetero vos latere nolumus, quia dominus noster archiepiscopus[1] Romam ire disponit; et eorum, qui cum ipso vadunt, aliqui, quacunque poterunt, emuli nostri erunt. Unde humiliter et diligentissime rogamus, ut regiam maiestatem faciatis ita scribere pro nobis, sicut ipse videritis nobis expedire; in hunc etiam tenoris finem, si domnus papa ex peticione domini nostri regis una in parte nos sublimavit, indulgeat etiam, si electio canonica et iusta nos simul ad alia vocaverit. Valete.

---

229. *Presbyter episcopus Esculanus a Wibaldo petit, ut pro se Conradum regem adeat.* (M. 180.)

W(ibaldo) religiosissimo ac sapientissimo Stabulensis mona- 1150
sterii abbati P(resbyter), Dei gratia Esculanus licet indignus episcopus, participium in id ipsum[2].

Dei sapientia, que disponit omnia quando vult et quomodo vult, elegit te virum honestum religiosum ac sapientem, ut sedeas cum principibus et solium gloriae teneas, per quem ipsi omnium causas aut iudiciali calculo dirimant aut amicali convenientia términent, tanti principis gratiam habundantius tibi erogans, ut contristatos ab eo laetifices, desperatos ad spem vitae

1. Coloniensis, Arnoldus I. 2. Ps. 121, 3.

1150 quodam ingenio mirabili revoces. Te itaque, karissime domine, cui Deus hanc gratiam contulit, obnixe deprecor, quatinus amore Dei et servitii nostri apud regem et dominum meum pro me intercedere sanctitas vestra dignetur. Non enim compulsus, set si audeo dicere rogatus, nono iam mense transacto ad eum veni[1]; estimans quod, cognita tribulatione, quam pro eius fidelitate ab illo Siculo[2] patior, cicius absolvere me debuisset.

---

230. *Wibaldus Eugenio III papae de Eilulfo electo abbate Morbacensi significat. Petit, ut eundem confirmet.* (M. 217.)

1150 Febr. Reverendo patri suo et domino E(ugenio) uni et universali pontifici frater W(ibaldus) Dei et vestra gratia id, quod est in aecclesia catholica, dilectionem filii et obedientiam servi.

1149 Post obitum confratris nostri Bertoldi abbatis de Morbach[3] fratres et familia eiusdem monasterii ex quadam parte convenerunt in personam cellerarii sui, eumque adduxerunt ad curiam gloriosi filii vestri, nostri domini Conradi Romanorum regis,
Dec. 25 quam in proxima transacta nativitate apud Bavemberch, recuperata iam sanitate, celebravit. Pars vero tam de monachis quam de laicis eisdem electoribus se opposuit, dicentes, non esse electionem set potius surreptionem, personam etiam minus esse idoneam ad tale onus sustinendum et ad sanandas contritiones eiusdem monasterii. Intererat eidem curiae venerabilis filius vester Orthlevus Basiliensis episcopus, qui, inter disceptationes litigantium requisitus a domno rege de statu predicti monasterii, quod in parrochia eius situm est, respondit, eosdem fratres multum inordinabiliter et contra propositum et honestatem monachorum vivere, pro eo quod nec professionem facere voluissent et singulares domos et seorsum proprietates haberent nec refectorium nec dormitorium commune haberent. Asserebat etiam sub cleri sui et multorum tam abbatum quam monachorum religiosorum testimonio, quod prefatus abbas, antequam vita dece-

1. Itaque (cum Conradum regem medio mense Maio a. 1149 in Germaniam revenisse constet) non ante m. Februarium a. 1150 scripta haec epistola est. 2. Rogerio rege. 3. dioec. Basileensis.

deret, sibi conquestus fuerat, quod monachi sui inobedientes sibi 1149 Dec. 25
et prorsus rebelles existerent neque disciplinam aut correctionem ullatenus recipere vellent. Hoc ipsum sub multorum audientia idem abbas domino nostro regi intimaverat. Nos quoque, karissime pater, oculis nostris in eodem monasterio positi vidimus, quod proprias domos habebant et prebendas more secularium clericorum capiebant. Tunc quoque, in conspectu regni in tanta controversia positi, neque tonsuram neque habitum monachi exhibebant, set semilaici quodammodo deridendos sese ostendebant. Allegabant preterea religiosi viri, quod personam suis viciis consentientem ex industria elegissent. Collectis itaque in unum harum obiectionum summis, adiudicatum est, non potuisse nonmonachos abbatem eligere, eum precipue, qui monachus nunquam extitisset. Iussi sunt deinde tam monachi quam beneficiati[a] et
ministeriales aecclesiae ad curiam, quae Spirae in purificatione 1150 Febr. 2
beatae Mariae celebrata est, convenire. Ubi post multam monachorum pertinaciam tandem pari voto et unanimi consensu expecierunt, sibi dari in patrem et pastorem animarum suarum virum nominatae religionis, vestrae sanctitatis filium videlicet abbatem Erliacensem[1] Eilulfum. Dominus vero noster rex, communicato tam Basiliensis episcopi quam aliorum religiosorum consilio, predicto concessit Morbacense monasterium sub ea spe et sub tali mandato, ut prefatam aecclesiam in divino cultu et monastica religione reformaret. Super quo, pedibus vestrae celsitudinis humiliter advoluti, devote clementiam vestram imploramus, ut, quod tam bene et tam bonorum suffragio inchoatum est, ad honorem Dei vos vestra benedictione et confirmatione perficiatis; neque vestrae pietatis aurem aliquibus pseudomonachis, his tam recte gestis contradicere volentibus, inclinare dignemini.

a. beneficati *c*.
1. s. Herilacensem (Erlach monasterii, dioec. Lausannensis).

231. *Conradus III rex Eugenio III papae scribit de legatis ad eum mittendis. Rogat, ut Eilulfum abbatem Morbacensem confirmet, Ottonemque, qui clerico cuidam nasum truncaverit, excommunicatione solvat.* (M. 219.)

1150 Febr. Dilectissimo in Christo patri suo E(ugenio) sanctae Romanae aecclesiae summo pontifici C(onradus) Dei gratia Romanorum rex et semper augustus filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Postquam, Deo propicio nostram fragilitatem moderante, ab expeditione Hierosolimitana reversi fuimus, vestram beatitudinem salutare et sacrosanctam matrem nostram Romanam aecclesiam visitare per sublimes legatos nostros disposuimus. Set Deo extendente manum suam in retribuendo, tam gravi et tam diutina corporali infirmitate afflicti sumus, ut a rebus gerendis cessare cogeremur. Verum recepta nunc per divinae pietatis indulgentiam sospitate, in eiusdem voluntatis proposito perseverantes, eosdem legatos ad vestrae celsitudinis presentiam destinare, communicato principum consilio, statuimus, ut tam de aecclesiae quam de regni statu et utilitatibus ea vobiscum tractare et ordinare possimus, per que et populus christianus in pace ac timore Dei vivere et imperium Romanum in pristinae dignitatis robur reformari Deo auctore valeat. Causam Morbacensis monasterii a latoribus presentium, viris utique religiosis
1149 Dec. 25 ac prudentibus, plenius intelligere potestis. Que in conspectu et in presentia Basiliensis episcopi[1], in cuius parrochia idem monasterium consistit, nec non Constantiensis[2] Bavembergensis[3] Eistadensis[4] ac Spirensis[5] episcoporum, nec non Corbeiensis abbatis et aliorum multorum tam abbatum quam religiosorum atque litteratorum virorum diu tractata et diligenter discussa est, et ex ordine iuris ac rationis ad hunc finem perducta: ut, quia concors in malis prefati monasterii congregatio, quibusdam tamen eorum contradicentibus, personam viciis suis consentientem elegerat, nos, auctoritate regulae beati Benedicti edocti, adhibito episcoporum et abbatum suffragio, non sivimus[a] pravorum pre-

a. *sic cod.*

1. Ortlibi. 2. Hermanni. 3. Eberhardi. 4. Burcardi. 5. Guntheri.

valere consensum. Ad reformandam itaque religionem et restaurandum regni honorem prefecimus eidem monasterio virum venerabilem ac religiosum Eilulfum Erliacensem abbatem, cuius annitente industria predictum monasterium ab antiquis spurciciis emundetur. Quod factum ut a vestrae sanctitatis benedictione roboretur, attente monendo rogamus; nec inclinetis aurem vestram cursoribus illis pseudomonachis, qui episcopum Basiliensem, nichil de eodem negotio tractantem, ad vestram presentiam appellaverunt. Etenim tam temerariae provocationes totam aecclesiasticam disciplinam subvertunt et omnem iuris ordinem confundunt. Preterea sublimitatem vestram intime rogamus, quatinus quendam liberum hominem nostrum Ottonem, qui apud vestram discretionem infamatus est, quod cuiusdam clerici Wirciburgensis, Conradi videlicet, nasum truncaverit, ab excommunicatione absolvi faciatis; quoniam, ab eodem clerico super eadem re in nostra curia pulsatus, iudicio gentis suae et nostrae curiae, quod innocens esset, comprobavit. Cui actioni filius vester, noster utique amicus, Guido cardinalis[1] interfuit.

1150 Febr. 2

---

232. *Wibaldus Eugenio III papae de Welfone capto significat.* (M. 218.)

1150 Febr.

Reverendo patri suo et domino E(ugenio) uni et universali pontifici frater W(ibaldus) Dei et vestra gratia id, quod est in aecclesia catholica, se ipsum et sua universa.

Apostolus Iohannes dicit: *Non diligamus verbo neque lingua, set opere et veritate*[2]. Nos igitur, illorum imitantes diligentiam, qui pauca loqui et plura facere consueverunt, raro vestrae celsitudini studium ac devotionem nostram circa vos et sacrosanctam matrem nostram Romanam aecclesiam predicamus, cum tamen cottidiana et assidua instantia sedulum ad beati Petri et vestram fidelitatem servitium exhibere non cessemus; quod, prestante Domino, vestrae beatitudini per alias excellentes personas notum fore non dubitamus. Si quid vero de rebus,

1. diac. card. S. Mariae in porticu; quem die 21 Aug. 1149 in curia Francofurtensi fuisse, docet tabula in Mon. Germ. Legg. II. 565. 2. 1 Ioh. 3, 18.

1150 Febr. quae ad vos pertinent, apud inclitum filium vestrum dominum nostrum Romanorum regem finaliter[a] esset deliberatum, nos absque morae prolixioris interpositione seu per nostram personam seu per scripta nostra vobis intimare vigilanter curavissemus. Quod etiam, cum factum fuerit, perficere maturabimus. Certa etiam sit vestra beatitudo, quod, in quantum valet nostra mediocritas et in quantum divina clementia nobis apud serenissimum principem gratiae et facultatis indulsit, mentem ipsius et verba et omne opus ad dilectionem et reverentiam vestrae personae et honorem sacrosanctae matris suae Romanae aecclesiae, cui a Deo defensor ordinatus existit, mansuefacere et inclinare non desistimus. Cum haec Spirae in curia domni regis scriberemus, repente nunciatum est nobis, quod Guelfo captus esset, et Godeboldus et multi de militibus eius in prelio cecidissent[1], dimicante contra eum inclito filio vestro iuniore rege, domini nostri regis filio. Per quod confidimus complanatas esse omnes difficultates, que videbantur obsistere ad introitum domni regis in Italiam.

---

233. *Hermannus episcopus Constantiensis Wibaldum hortatur, agat, ut Heinricus consanguineus suus e Welfonis carcere liberetur.* (M. 185.)

1150 Febr. W(ibaldo) Dei gratia venerabili abbati Corbeiensi H(ermannus) eadem gratia Constantiensis aecclesiae humilis minister, cum fideli obsequio devotas orationes in Domino.

Pro eo, quod domini nostri regis curiae ad presens, sicut decens est, interestis, non mediocriter gavisi sumus. Discretionem etenim vestram licet in multis experti simus, nunc procul dubio, quantum discretionis vestrae virtus valeat, experiri cupimus; ut videlicet in presenti prosperitate sic vestro consilio dilectissimus dominus noster utatur, unde fidelibus regni nobisque, pre ceteris quam plurimis honorem regni diligentibus, gaudium augeatur, filiis autem perditis et perditionis terror incu-

a. *sic ex* fideliter *correctum est in c.*
1. 1150 Febr. 8.

tiatur. De cetero fraternitatem vestram, de qua nimirum confidimus, humiliter exposcimus, ut dilectissimo domino nostro in occulto suggeratis, ut a domno Welfone suisque ministerialibus quendam consanguineum meum et ipsius domni regis fidelem Heinricum nomine, sine causa captivatum, primo et, sicut de ipso confidimus, requirat, et tam pro nobis quam pro Deo dimitti iubeat. 1150 Febr.

---

234. *Wibaldus Hermanno episcopo Constantiensi scribit, regem, victoria ex Welfone parta, non ea, quam res flagitet, severitate usurum esse. De Heinrico, Welfonis captivo, addit.* (M. 186.)

Reverendo patri suo et domino H(ermanno) sanctae Constantiensis aecclesiae venerabili episcopo frater W(ibaldus) Dei gratia id quod est in aecclesia catholica, salutem in eo, qui mandat salutes Iacob[1]. 1150 Febr.

Pro moderatione, qua predita est dulcis anima vestra, placuit benignitati vestrae gratulari regiae curiae, quod nostram ei nunc assidue exhibeamus presentiam. Set nos, venerande pater, non sumus momenta rerum nec publicis negociis quicquam possumus emolumenti conferre et, ut nostra fert opinio,

Nos numerus sumus et fruges consumere nati[2].

Siquidem post insperatam et ab omni humano consilio et opere ferme alienam et de celis traditam victoriam, voluimus et, quantum in re militari oportuit, suasimus, ut dominus noster rex, quem propicia divinitas miris et clementibus beneficiis conservat et provehit, non cessaret successus urgere suos, et hostes suos, incomparabili[a] dampno affectos metuque et angore animi perculsos, invaderet, ac sese aliquando ad faciendum iudicium et iusticiam, ad subveniendum matri suae aecclesiae, accepta tam mirabili oportunitate, expediret. Contradicebat inveteratus ille Achitofel, qui vix ingentem dissimulare tristiciam poterat et, assumpta sanctioris amiciciae persona, de tempore et auris causabatur, et sacratissimi ieiunii religionem predicabat, et astruebat[b]:

a. *sequitur litura.* b. asstruebat *c.*

1. Ps. 43, 5. 2. Hor. Ep. I. 2, 27.

1150 Febr. oportere hominem, quem iustus Dominus qui iusticias diligit iam iudicavit, legitimis induciis et interpellationibus in ius vocari; pium esse et conveniens, nullam captivis lesionem inferri. De quibus quidem nos, officii nostri innocentiam attendentes, nihil censueramus; set, ut patri et episcopo confiteamur, in mente nostra erat, ut non solum unus homo set etiam multi morerentur pro populo, et non tota gens periret. Popularis erat senis oratio et ad hominum negligentiam pigriciam ac desidiam accommoda. Nos tamen contra nitebamur et asserebamus: fama constare bella et res magnas celebritate adiuvari, dilationem semper nocuisse paratis; iudiciorum, que tanto pondere opponerentur, vocem intra paucissimos pagos vix posse audiri; opus bellicum cum aliquo splendore gestum per maiorem orbis partem diffundi. Inermem vicit oratio armati, cuius tamen arma effecerant, ne is, cui persuadebat, ad perfectum vicisset. Ita factum est, ut nec bellum geramus nec iudicia exherceamus; set spe rerum inanium animos pascimus. De captivo vestro[1] bene vobis ad integrum responsum est; nos instanter curabimus, ut verba effectus consequatur. Valete.

---

235. *Wibaldus Hadwidi factae abbatissae Gerigesheimensi gratulatur.* (M. 220.)

1150 Frater W(ibaldus) Dei gratia dictus abbas dilecte sorori sue H(adwidi)[2] abbatisse de Gerigesheim[3] benedictionem et vitam usque in seculum.

Divine bonitati immensas gratiarum actiones referimus, quod te ad ecclesie sue regimen vocare dignata[a] est et participium sui nominis, in quo clamamus: *abba pater*[4], tibi conferre, ut lucerna sollicitudinis tue, que hactenus sub modio private vitae latebat, super candelabrum ecclesie posita ad multorum salutem luceat. Hactenus eras nobis soror[b], deinceps eris nobis et soror et sponsa tanto familiarius, quanto per denominationem nostro

a. dignatus *c.* b. et soror et sponsa *c.*

1. Heinrico; v. ep. 233 supra p. 352. 2. V. ep. 96 supra p. 169. 3. Gerresheim coen. d. Coloniensis. 4. Rom. 8, 15.

oneri accessisti[a] vicinius. Misimus tibi anulum subarrationis, ut nullum preter Christum amatorem admittas. 1150

236. *Conradus III rex Eugenio III papae Petrum quondam archiepiscopum Capuanum, qui ipsum ad sanitatem perduxerit, commendat.* (M. 221.)

Dilectissimo in Christo patri suo E(ugenio) sanctae Romanae aecclesiae summo pontifici C(onradus) Dei gratia Romanorum rex et semper augustus filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam. 1150

Deo propicio res nostras moderante et per adversa et prospera vitae nostrae cursum dispensante, post reditum nostrum a Hierosolimitana expeditione gravi et longa infirmitate decubuimus. Set eadem divine bonitatis gratia, nostrae saluti consulens, providerat nobis Petrum Capuane aecclesiae quondam archiepiscopum, virum in arte medicinae absque ulla dubitatione peritissimum. Divina itaque nobis opitulante misericordia et cooperante predicti viri studio ac diligentia, integram sospitatem nos recipere gaudemus atque ad res imperii gerendas, quas interveniente invalitudinis obstaculo intermiseramus, nos tota animi intentione viribus resumptis accingimus. Paternitatem itaque vestram, quam vera caritate diligimus et de qua plurimum confidimus, attente monendo rogamus, ut prenominato curatori nostro apud vestram celsitudinem tam in honore quam in utilitate assequenda valeat, quod ex arte sua nobis profuit; et aecclesiam suam, quam ei beatae memoriae papa Innocentius in urbe Roma tradidit, cum omnibus aliis rebus suis quiete et honeste[b] possideat; nec ei aliquam molestiam in omnibus rebus sibi pertinentibus inferri patiamini.

237. *Conradus III rex Emanueli Graecorum imperatori scribit, se ob valetudinem promisso nondum satisfecisse. Mittit nuncium, de Heinrici regis victoria relaturum. Alios legatos post diem 1 Maii missum iri.* (M. 187.)

C(onradus) Dei gratia Romanorum imperator augustus ka- 1150 Febr.
rissimo fratri et unico amico suo E(manueli) eadem gratia Gre-

a. accesisti *c*. b. honoste *c*.

1150 Febr. corum imperatori augusto, sublimi, Porfirogenito, felici, fraternam dilectionem et omne bonum.

Quanta nos karitatis et devotionis instantia, quanto fidei et humilitatis studio in sacris edibus gloriosi imperii tui susceperis, quanta humanitatis et liberalitatis gratia in lecto infirmitatis nostre non solum per tuos et tua set etiam in propria persona et propriis manibus ministraveris, tunc videlicet, quando manus Dei omnipotentis nos non solum in detrimento amissi exercitus verum etiam in verbere corporalis egrotationis percusserat, nulla potest rerum oblivio ab anime nostre tenaci memoria evellere. Pari quoque et simili recordationis constantia fixum animo tenemus, que fuerit inter nos mutue pactionis obligatio, quid tue celsitudini spoponderimus, quid perficere promiserimus.

Set cum a sublimitatis tue regno corporaliter discessissemus, in quo nos per fidem et benivolentiam habitare sentimus, inperium, quod nobis a superna maiestate collatum est, invenimus in quibusdam partibus suis ex occasione longe[a] absentie nostre turbatum. Ad quos motus comprimendos et pacem reformandam dum tota cordis intentione accingimur, Pater ille misericors, qui flagellat omnem filium quem recipit[1], extendit manum suam in retribuendo[2], gravique terciana febre maceratos nos prorsus imbecilles et fere inutiles per sex mensium[3] spatium detinuit. Si itaque, Deo impediente, propositum nostrum ad tempus est retardatum, non tamen est omnino evacuatum; et promissionis nostre effectus magis est dilatus quam frustratus. Ad excusandam itaque nostre more necessitatem, ad salutandam tue nobilitatis sospitatem mittere curavimus cum litteris presentibus nuncium celerem et expeditum; qui de nostra bona valitudine certum te et hylarem efficeret, et nos identidem de tua et filiae nostre, tue coniugis[4] karissime imperiique consortis, sospitate et de rerum vestrarum prosperitate letificaret.

a. longue *c.*

1. Hebr. 12, 6. 2. Ps. 54, 21. 3. id est inde ab exeunte mense Augusto anni 1149 (quo tempore se aegrotare coepisse, Conradus in ep. 243 p. 364 infra significat) ad mensem Februarium a. 1150. 4. Eirenes s. Berthae, quae erat soror Gertrudis reginae.

Ceterum post celebratam Deo auctore curiam, quam Kalendas May[1] cum principibus Saxonie, Polonie, Boemie, Leuticiae in civitate Merseburg habere decrevimus, nuncios nostros, viros utique principales et egregios, ad tuam presentiam cum tuo prudenti et honesto legato, videlicet Michael Bardalia, dirigemus, qui tuam magnificentiam de nostris sponsionibus ac promissionibus diutius dubitare non sinent. 1150 Febr.

Salutat vestram magnitudinem dilectus filius noster Heinricus, iunior Romanorum rex, et karissimam filiam nostram, suam utique materteram. Cui quantam gloriam Deus in primis militie et ductus sui auspiciis contulerit, lator presentium viva voce declarabit.

---

238. *Wibaldus Arnoldum praepositum Coloniensem, regis cancellarium, hortatur, ut curiae Fuldensi assit. De alia praepositura Thiebaldo concedenda ad papam caute scribendum putat. Regis litterarum exemplum mittit.* (M. 191.)

Karissimo domino et amico suo A(rnoldo) venerabili sanctae 1150
Coloniensis aecclesiae maiori preposito, regiae curiae cancellario, frater W(ibaldus) Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, se ipsum et sua universa.

Dominus noster rex non dubitat nec vos dubitare debetis, quin ad curiam, quae Fulde in dominica *Iudica me Deus*[2] futura est, veniatis; ne forte absentiae vestrae imputetur, quicquid per difficultatem vel per negligentiam in gerendis rebus publicis omittetur. De causa communis amici nostri T(hiebaldi) Xantensis prepositi, in qua et pro qua vos effectum habuisse et quasi palmam obtinuisse non mediocriter gaudemus, non minus operae dedimus, ut stabilis perseveret, quam si de nostra persona ageretur. Quia enim personam vestram et honorem vestrum in veritate diligimus, omnia, que vobis cordi sunt, ad nos pertinere nequaquam dubitamus. Set de capitulo litterarum vestrarum[3], in quo scripsistis, quod, si alterius electio aecclesiae eundem amicum nostrum vocaverit in prepositum, interventu domini nostri regis a domno papa promotio talis ei non negetur, non

1. 1150 Mai. 1. 2. Apr. 2. 3. ep. 227 supra p. 346.

1150 visum est nobis, directam peticionem ex persona domini nostri regis scribere, pro eo quod principalem excellentiam non decet illa postulare, quae sibi iure negari valeant[a]. Siquidem sancta mater nostra Romana aecclesia super petram fundata leges a se conditas nequaquam destruit nec repugnantia aliquo modo sancit, licet decreta sua pro temporum varietate, pro locorum oportunitate, pro rerum et personarum qualitate dispensare ac moderari, et quasi detrimentum pati consueverit. Non ergo mandabit neque confirmabit, ut in duabus dignitatibus una persona sublimetur; set, cum sine querela factum fuerit, hoc ex paterna discretione dissimulabit. Credere super hoc nobis potestis, non pro noticia canonum, set pro sensu et efficacia experimentorum. Rethoricati sumus in litteris[1] domini nostri regis, quia negando affirmavimus et non rogando rogavimus; quas ideo vobis necdum consignatas transmisimus, ut possitis, si placuerit, de artificio nostro quedam immutare, addere vel minuere. Vivite, et nos diligite. Adducite ad curiam vobiscum modicum fratrem vestrum Erleboldum.

---

239. *Conradus III rex Eugenio III papae de praepositura Xantensi Thiebaldo collata gratias agit. Petit, ut eundem ab Arnoldo archiepiscopo Coloniensi tueatur; faveatque, si forte etiam alia ecclesia eidem offeratur. Addit de Ottone, qui clerico nasum truncaverit.* (M. 181.)

1150 Dilectissimo in Christo patri suo E(ugenio) sanctae Romanae aecclesiae summo pontifici C(onradus) Dei gratia Romanorum rex et semper augustus filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Gratum nobis valde est et in secreto cordis nostri memori benivolentia collocatum, quod dilectum cappellanum nostrum Thiebaldum pro nostrae dilectionis et intercessionis respectu in Xantensi prepositura provexistis. Dignum enim et iustum esse arbitramur, si, predecessorum vestrorum ac nostrorum, virorum

a. *sic ex* debeant *correctum est in cod.*

1. V. eam quae sequitur epistolam 239.

utique sanctissimorum ac sapientissimorum, instituta et iura servantes, illas personas diligere ac sublimare curemus, que a vestrae sanctitatis misericordia in sacrosanctae matris nostrae Romanae ecclesiae gremio benignius confoventur, sicut vestra benignitas eos, quos nostra clementia propensiori bonitate evehere dignatur, honorare et amplificare sollicita est. Et quoniam non inchoasse set perfecisse virtutis est, excellentiam vestram intime rogando monemus, quatinus eadem benedicta et larga dextera vestra, que in predicta persona gratiae et honoris bona fundamenta iecit, edificare ad perfectum non abnuat; videlicet, si Coloniensis[1] misericordiam vestram obtinuerit et officii sui plenitudinem recuperaverit, non noceat preposito, quod a vestra manu tanquam a beati Petri manu investitus et promotus est. 1150

Ceterum quia vestra discretio, sicut nobis scripsistis, sacrorum canonum et sanctae Romanae aecclesiae sanctionibus contraire non potest nec debet, nos de talibus statuendis et firmandis vestram nolumus sollicitare prudentiam. Set tamen, quod firmari non debet, tolerari potest; ut de dispensationis temperamento fructus multiplicetur in recompensationis incremento. Hoc propterea dicimus, quod incongruum esse credimus, ut aliquis in aecclesia Dei circa hanc personam, quam vos sublimastis, rigorem canonum quasi vestigia vestra sequendo teneat, in aliis vero personis, quas vos ignoratis, pro arbitrio suo remittat. Si ergo aliqua aecclesia pari voto et unanimi assensu eundem virum, ut auferat obprobrium eius, apprehendere voluerit, tanto debebit circa ipsum gratia dispensantis esse inclinatior, quanto cercius cognoscitur vestrae sanctitati pro nostrae dilectionis interventu esse acceptior.

Ceterum, sicut proxime sublimitatem vestram intime rogavimus[2], quatinus quendam liberum hominem nostrum Ottonem, qui apud vestram discretionem infamatus est, quod cuiusdam clerici Virzeburgensis, Counradi videlicet, nasum truncaverit, ab excommunicatione, qua pro hoc innodatus est, absolvi faceretis, quoniam, ab eodem clerico super eadem re in nostra curia pulsatus, iudicio gentis sue et curie nostre, quod innocens esset, iuramento com-

1. archiepiscopus Arnoldus I. 2. v. ep. 231 supra p. 351.

1150 probavit, ita et in presenti attente facimus, rogantes, ut per presentem nuncium tam nobis quam Bavenbergensi episcopo[1] super eodem negotio rescribatis. Salutat dilectam paternitatem vestram dilectus vester in Christo filius, Heinricus iunior Romanus rex.

---

240. *Wibaldus Eugenio III papae scribit de lite ecclesiarum Marchensi et Namekensi. De regis legatis ad eum mittendis addit.* (M. 192.)

1150 Mart. Reverendo patri suo et domino E(ugenio) uni et universali pape frater W(ibaldus) Dei et vestra gratia id, quod est[a] in ecclesia catholica, devotionem filii et obedientiam servi.

Cum essemus in domo incliti et victoriosissimi filii vestri C(onradi) Romanorum regis apud Nuremberg castrum eius[2], petierunt a nostra parvitate canonici ecclesie sancti Bartholomei, que est in suburbio civitatis Leodiensis, ut sanctitati vestre suggereremus causam quandam ecclesie sue, que nobis presentibus in synodo Leodiensi de ecclesia in Marcha et ecclesia in Nameka acta est et usque ad debitum finem iudicata. Que cum recenter tractata fuisset[3], misimus eam reverendo patri nostro abbati Cluniacensi[4], ad quem eadem ratio spectare videbatur; eamque scripturam, in scedulis nostris inventam, vestre discretioni nunc mittere transcriptam curavimus. In quibus discretionem vestram non ausu presumptionis set spiritu devotionis summonere curavimus, ut animadvertat celsitudo vestra, quod in hac actione non sit iudex ante litem contestatam recusatus; quod a sententia non sit apellatum, immo plus illis de Nameka quam preposito Sancti Bartholomei complacuerit; et utrum a sentencia non ab executione appellandum sit. Multa celsitudini vestre et scriberemus et viva voce legatorum suggereremus, nisi quod cotidie exspectamus, ut legati maiores filii vestri amantissimi, nostri domini Romanorum regis invictissimi, ad vestram presentiam proficiscantur, ut tunc de omnibus, que scitu digna erunt, vobis suggeramus.

---

a. est *om. c.*

1. Eberhardo. 2. c. 14 Mart. 1150. V. diploma Conradi regis ap. Ughelli It. sacra I. 453. 3. i. e. brevi post synodum Leodiensem, medio a. 1149, ut videtur, habitam, v. p. 309 n. 2. 4. Petro. V. ep. 189 p. 308.

241. *Wibaldus Thiebaldo praeposito Xantensi scribit, eum omnes proventus per Arnoldum cancellarium assecutum esse. Mannonem clericum commendat.* (M. 194.)

Dilecto in Christo fratri et amico suo T(hiebaldo) venerabili sancte Coloniensis ecclesie archidiacono, Xantensi preposito, frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in ecclesia catholica, benedictionem et vitam usque in seculum. 1150

Si nostre parvitatis studium, si diligentis opere nostre effectus ad vestri honoris incrementum alicuid[a] profecit, oppido gaudemus, quippe qui personam vestram et gloriam iam a longis[b] retro temporibus vera caritate dileximus; et a vobis invicem dilecti sumus. Set hoc prudentiam vestram nequaquam latere volumus, quod soli amicitie vestre in hac causa non deservimus, set illius[1] potius favori hylariter annisi fuimus, quem, pro amicis suis provehendis fideliter laborantem, frangi superari aut vinci nolumus; ex cuius benivolentia nos habere recognoscimus, quod in curia imperatoris Romani illa interdum loquimur et scribimus, que ecclesie catholice serviant, que imperialis celsitudo non abnuat, que prosunt probis et obsunt improbis. Ille, ille, inquam, vester, qui in exhibitione operis vim probavit dilectionis, vestram promotionem plantavit atque, ut et alii et nos rigaremus, effecit; et benedictus per omnia Deus, qui incrementum dedit. Ipsi post divinam clementiam totum debetis quod estis, vero et constanti amico, qui non consuevit amicis suis adulari set opitulari, non novit blandiri set largiri, nescit verborum delinimentis ornare set rerum efficientia[c] honorare. Requirat Deus de manu vestra et sint dies honoris vestri breves, si aliquando ab ipsius honore defeceritis, et eis, qui vos fraudare et tante dignitatis exsortem esse voluerunt, contra eum aliquatenus adheseritis. Causam, cur domno pape ex persona domini nostri regis in hunc modum scribere voluerimus[2], ipsi cancellario, de quo loquimur, plenius innotescere curavimus[3]. Ex habundanti credimus suggerendum

a. alicui *c.* b. longuis *c.* c. efficentia *c.*

1. Arnoldi praepositi Coloniensis, Conradi regis cancellarii. 2. V. ep. 239 supra p. 358. 3. V. ep. 238 supra p. 357.

1150 esse nobilitati vestre, ut labores Mannonis clerici vestri liberaliter attendatis.

---

242. *Conradus III rex Eugenio III papae Arnoldum I archiepiscopum Coloniensem, ad eum euntem, commendat.* (M. 195.)

1150 Dilectissimo in Christo patri Eugenio sanctae Romanae ecclesiae summo pontifici C(onradus) Dei gratia Romanorum rex et semper augustus filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Quam gratus sit sacrae menti vestrae honoris nostri status ac nostrae personae sospitas regnique nobis á superna maiestate collati pax atque tranquillitas, vestrae magnitudinis affatus, quos post reditum nostrum á Hierosolimitana expeditione primos accepimus[1], evidenter patefecerunt. Nos vero, pari circa vos pietatis studio excitati, graviter et moleste ferimus, quicquid in venerabilem personam vestram et in res sacrosanctae matris nostrae Romanae ecclesiae, cuius nos á Deo defensores ordinati sumus, perperam geritur. Set ad eosdem vestrae beatitudinis apices respondere distulimus, donec in proximo prestante Domino tales ad vestram sublimitatem legatos dirigamus, qui et litteris nostris et viva voce sua de omni nostro proposito vestram debeant sanctitatem certificare. Ceterum ad presens nostrae instantis et obnoxiae peticionis summa haec est, ut, quia gremium suum nunquam redeuntibus sancta mater claudit aecclesia, venientem ad vos Arnoldum, venerabilem Coloniensis ecclesiae archiepiscopum, paterna cum pietate suscipiatis et eum cum integritate honoris sui pro nostrae dilectionis intuitu ad nos remittatis. Nec enim credi oportet, quod de contumacia vobis suam exhibere presentiam recusaverit; set cum sit et senio et assidua egrotatione confectus, tantum laborem arripere non potuit, presertim cum per absentiam eius non parvi motus et inplacabiles discordiae oboriri potuerunt, quae et personae nostrae inportunos labores et regno nostro non modicas incommoditates ingerere valerent. Superest, ut nos toto pietatis affectu, ut fa-

1. V. ep. 185 supra p. 304.

citis, diligatis, et á nostra parte religiosum boni filii consilium et auxilium expectetis. 1150

---

243. *Conradus III rex Eirenae Graecorum imperatrici exponit, quibus de causis se adhuc pactionem cum imperatore factam non praestiterit. Alexandrum de Gravina mittit ad conciliandas nuptias inter Heinricum regem et imperatoris neptem.* (M. 188.)

C(onradus) Dei gratia Romanorum imperator augustus precordialiter dilectae filiae suae E(irenae) a Deo coronatae et exaltatae Grecorum imperatrici paternam dilectionem et certum ac fidele in omni oportunitate auxilium. 1150 Apr.

Prius quidem preclaram nobilitatem tuam tam ex vinculo cognationis quam ex affectu adoptionis plurimum diligebamus; set tua fides, tua pietas, tua devotio, tua liberalitas, quam nobis officiose exhibuisti, tunc scilicet, quando manus Domini et infirmitate corporali et rerum incommodis nos afflixerat et humiliaverat, tantum ardorem sanctae caritatis in nostra mente circa te adauxerunt, ut eam nulla difficultas, nullum periculum, nulla rerum varietas possit extinguere. Ita igitur in animum nostrum induximus, ita in corde nostro omni ambiguitate remota firmavimus, ut — etiamsi nulla federis, nulla artioris amiciciae religio inter nos et gloriosum et predilectissimum fratrem nostrum, tuum utique maritum, magnificum et excelsum Grecorum imperatorem, aliquando intercessisset — parati tamen et intenti essemus, sua omnia tanquam nostra diligere, suis inimicis tanquam nostris resistere.

Porro in conventione pacti, quae inter nos et ipsum omni cum benivolentia firmata est, condicio necessaria interposita fuit: quod scilicet ea, quae prenominata et prescripta fuerant, utrique compleremus, nisi alter vel uterque nostrum morte seu gravi infirmitate vel amittendi imperii periculo id perficere prohiberetur; atque, transacta illa tam gravi et tam non negligenda necessitate, ad observandi et inplendi studium denuo accingeremur. Nunc ergo tibi, tanquam karissimae filiae nostrae et imperii nostri cognatae, causas familiariter et breviter aperiemus, pro quibus in Longo-

1149 Apr. bardia post exitum nostrum a vobis manere et promissa implere nequivimus, pro quibus ad partes Alamannie modis omnibus nos properare, ordo quidem rerum et imperii nostri clamor ad nos usque perlatus non absque gravioris consilii ratione persuasit.

Siquidem, ut tua sapientia perfecte novit, dominus ille Welpho, qui[a] vir magnae nobilitatis et potentiae in regno nostro habetur — neque fide, qua eum in extrema necessitate adiuvimus, neque beneficiis, quibus eum commode auximus, aliqua ratione commonitus — per Sicylie tyrannum a Hierosolimis reditum habuit et, accepta non parva ipsius infami pecunia, per sacramenta et per obsides ei firmavit, quod nos et nostros et nostrum imperium perturbare et infestare modis omnibus laboraret. Quod, postquam ad propria rediit, adiunctis sibi quibusdam perfidis non parvi aput nos momenti et[b] nominis, instanter facere cepit, filios nostros[1], tuos utique nepotes amantissimos et bonae spei plenos, invadendo et in terra ipsorum, quae illis patrimonii iure competit, inimica quedam castella edificando. Hoc igitur tam atrocis rei nuncio accepto, cum fama, ut in talibus fieri solet, omnia in deterius multiplicaret, prevenire cuncta et comprimere maturavimus; atque
Mai. ad partes Alamanniae subito et improviso adventu accessimus.

Dum itaque in componendis et pacandis omnibus diligen-
Aug. tiam adhibemus, tanta nos infirmitas corporalis in fine Augusti
1150 Apr. 16 mensis invasit, ut usque ad pascha Domini[2] gravioribus negociis vix utiles esse possemus.

Intra quod temporis spacium, cum essemus in civitate
Febr. 8 Spira ad iusticias regni faciendas et ad exercenda publica iudicia, prenominatus Welpho cum dulcissimo filio[c] nostro, tuo nepote, bonae indolis iam adolescentulo, ad Romani imperii fastigium Deo auctore per nos et principes nostros coronato, prope castellum nostrum Flochperhc[3] acie conserta dimicavit; ubi, nos divina protegente misericordia, suorum multis tam cede quam captione amissis, noctis beneficio adiutus, vix evasit.

a. qui *addidi.* b. et et *c.* c. filio *addidi.*

1. Heinricum regem et Fridericum. 2. i. e. ab exeunte Augusto a. 1149 ad d. 16 Aprilis a. 1150. Cf. supra eam, quae m. Februario 1150 scripta est, ep. 237 p. 356 n. 3. 3. Flochberg prope Nördlingen.

Quo munere celestis misericordiae accepto, dum contra communis hostis nostri, Siculi videlicet tyranni, temerariam insolentiam nos expedire et accingere studemus, nunciatur nobis, quod omnis Francorum populus cum ipso rege suo[1] contra imperium precellentissimi germani nostri, tui scilicet gloriosissimi sponsi, conspiraret et arma movere, auctore et incentore Sicilye tyranno, cum omni virtutis suae conatu disponeret. Quam rem non facile spernendam vel omittendam ratum duximus, set finem rerum expectare et aut tumultum reprimere aut nos et imperium nostrum pro fratre nostro et rebus ipsius opponere decrevimus. Excusatos nos sufficienter credimus, veritatis existente constantia, tam de incursatis regni nostri finibus quam de invalitudine corporali. Et plane de divino adiutorio confidimus, quod in brevi promissa nostra fideliter complebimus, non solum quia spopondimus, verum etiam quia nos de invasore imperii nostri vindicare summopere[a] desideramus. 1150 Apr.

Et ut precelsus vir tuus maiorem de nobis amicicie certitudinem et adimplendi conventiones habeat, firmiorem inter nos affinitatem, sicuti cum presentes essemus inter nos tractatum et firmatum fuit, ad presens fieri disponimus, ita videlicet: ut gloriosus filius noster, qui imperii nostri successor et heres est designatus et coronatus, neptem unam mariti tui, sublimis Grecorum imperatoris, uxorem presenti tempore ducat, de duabus scilicet alteram. Quae electio in tui pectoris sapientia constabit, ut illa nobis transmittatur, que moribus et forma noscetur a te, que eas educasti, precellere, sicut honor utriusque imperii et predulcissimi nepotis tui celsitudo opus habere in tali re cognoscitur. Cetera vero, que ad eundem contractum rite peragendum pertinere videntur, posuimus in ore comitis Alexandri de Gravina, qui utrique imperio perpetua fidelitate servire manifeste consuevit, et verbi huius mediator et tractator[b] ex precepto utrorumque, cum apud vos essemus. Quem, in rebus inperii vestri fideliter ut semper solet laborantem, a Venecia fecimus ad nos

a. sumopere *c.* b. fuit *excidisse videtur.*

1. Ludovico VII.

1150 Apr. vocari, quatinus per eius industriam secretum hoc, sicut in ceteris consuevimus, ad egregium valeat finem perduci. De cuius celeri reversione benignam intelligentiam tuam studiose admonemus; quia, cum sublimis nepos tuus iam adultus sit, oportet, ut tam personae ipsius quam imperio nostro in contrahendo matrimonio sine mora provideamus. Scire possunt inimici nostri, qui disseminando mendatia turbare nos et disiungere moliuntur, quod amiciciae nostre nexus indissolubilis perseveret.

---

244. *Heinricus Romanorum rex Emanueli Graecorum imperatori victoriam ex Welfone latam nuntiat.* (M. 189.)

1150 Apr. Inclito triumphatori, magnifico ac sublimi avunculo[a] suo E(manueli) Porfirogenito, Grecorum imperatori, H(einricus), filius gloriosi ac serenissimi C(onradi) Romanorum imperatoris augusti, et ipse Dei gratia Romanorum rex, filialis dilectionis indissolubilem gratiam et firmissimum perpetuae amiciciae vinculum.

Sicut propicia divinitas et paternae caritatis[b] affectus me imperii et rerum parentis mei successorem fecit et heredem, sic mea intelligentia iustum arbitratur, ut amicos et federatos patris honorem et diligam, inimicos suos et suorum persequar et opprimam. Quocirca paternae dilectionis erga[c] vos et imperium vestrum particeps, vosque tanquam avunculum[d] nostrum karissimum et patrem piissimum integra et filiali dilectione amplectens, equum esse arbitratus sum, vestrae celsitudini notificare, que circa nos, Dei prestante clementia, prospera geruntur. Siquidem
Febr. 8 octava die mensis Februarii superbus ille et perfidus Welpho, tot beneficiorum patris mei immemor, hostiliter invasit terram nostram, patre meo in rebus publicis longe agente, me autem cum parte miliciae in quodam castro nostro relicto. Castrum, ad quod ille accessit, Flohcperc dictum est; nos autem eramus in alio castro Horburc[1], distante ab illo per spacium restae et dimidiae. Accepto igitur tantae contumeliae nuncio, festinavi hostem persequi; et cum quinque magna miliaria post eum pro-

a. auinculo *c.* b. paternae paternitatis *c.* c. grā *c.* d. auinculum *c.*

1. Harburg, a Nördlingen inter orientem et meridiem.

cessissemus, premissis equitibus expeditissimis, qui eius tergo imminentes fugam ipsius retardarent, nos duabus consertis aciebus eundem persequebamur. Cum itaque agminis extrema iam cederemus, faciem convertere coactus est; set, vero Deo de celis pugnante pro nobis, tantam adepti fuimus victoriam, ut, nisi per nocturnas tenebras delituissent[a], nullus omnino evadere potuisset. Capti sunt equites trecenti, et equorum non parvus numerus extinctus est, partim lanceis confossus partim gladiis cesus. Pater meus generalem nunc expeditionem super eundem Welphonem indixit et eum penitus exterminare aggreditur, ut de cetero ad communem imperii vestri hostem persequendum et delendum expeditus[b] et liber existat.

1150 Febr. 8 — Apr.

---

245. *Heinricus Romanorum rex Eirenae Graecorum imperatrici de Welphone acie superato scribit.* (M. 190.)

1150 Apr.

Karissime matri ac materterae suae E(irenae) per divinam providentiam placidissime Grecorum imperatrici H(einricus), filius gloriosi ac serenissimi C(onradi) Romanorum imperatoris augusti, et ipse Dei gratia Romanorum rex, filialis dilectionis indissolubilem gratiam.

Certum est et nullus prudentium dubitavit, quod illa, quae a natura ortum et processum habent, perenni fortitudine firmiora sunt quam ea, que humano conparata et connexa sunt artificio. Quia igitur secundum consanguinitatis et propinquitatis a matre mea carnali gradum naturaliter tenetis, nulla nos dissociare et alienare potest necessitas, quin in perpetuum mansura caritate iungamur et benivolentia. Quocirca, quia de meis provectibus vos plurimum exultare et gloriari scio, equum esse arbitratus sum, vestrae celsitudini notificare, que circa nos, Dei prestante clementia, prospera geruntur. Siquidem octava die mensis Februarii superbus ille et perfidus Welpho, tot beneficiorum patris mei immemor, hostiliter invasit terram nostram, patre meo in rebus publicis longe agente, me autem cum parte miliciae in quodam castro nostro relicto. Castrum, ad quod ille accessit,

Febr. 8

a. dilituissent *c.* b. expeditus *addidi. Cf. ep.* 245 *p.* 368.

1150 Febr. 8 Flohperc dictum est; nos autem eramus in alio castro Horburc, distante ab illo per spacium restae et dimidiae. Accepto igitur celeriter tantae contumeliae nuncio, festinavi hostem persequi; et cum quinque magna miliaria post eum processissemus, premissis equitibus expeditissimis, qui eius tergo imminentes fugam ipsius retardarent, nos duabus consertis aciebus abeuntem persequebamur. Cum itaque agminis extrema iam cederemus, faciem convertere coactus est; set, vero Deo de coelis pugnante pro nobis, tantam adepti fuimus victoriam, ut, nisi per nocturnas tenebras delituissent, nullus omnino evadere potuisset. Capti sunt equites trecenti[a], et equorum non parvus numerus extinctus est, partim lanceis confossus partim gladiis cesus. Pater meus generalem nunc expeditionem super eundem Welphonem indixit et eum (Apr.) penitus exterminare aggreditur, ut de cetero ad communem imperii vestri hostem persequendum et delendum expeditus et liber existat. Sicut autem a provisione paterna meam indolem recedere non decet, ita meae intelligentiae pergratum est, quod tocius consilii[1] summa vestrae sublimi prudentiae collata est.

---

246. *Wibaldus Emanueli Graecorum imperatori de communi inimico, Rogerio rege Siciliae, scribit. Addit de angustiore necessitudine facienda inter eum et Conradum regem.* (M. 224.)

1150 Apr. Glorioso sublimi ac precelso victori, magnifico ac prepotentissimo E(manueli) Porphirogenito, Grecorum imperatori excellentissimo, Wiboldus Dei gratia Corbeiensis et Stabulensis abbas assiduas orationes et devotum servicium.

Quod ad gloriosam maiestatem vestram, ad sanctum et terribile imperium vestrum scribere audeo, ignotus vobis tam facie quam obsequio, persuasit mihi sacratissima fides vestra, karitas et benignitas, quam exhibuistis karissimo domino meo C(onrado), serenissimo Romanorum imperatori augusto, in terra imperii vestri et magnae potestatis vestrae, quando in tali temporis et rerum articulo erat, ubi solet verus amicus probari. Et quoniam

a. ccc̈i c.

1. de matrimonio paciscendo. V. ep. 243 supra p. 365.

in veritate intellexi, quod ipse meus dominus vos et imperium 1150 Apr.
vestrum sincere diligit, et omnia, que vobiscum per pactum et conventiones firmavit, implere intendit, ego quoque pro mea parvitate vestram celsitudinem plurimum diligo et honoro et, ut de communi hoste vestri imperii illustrem victoriam et gravem vindictam sumatis, Deum humili ac devota prece deposco. Sane ille idem Sicilie tyrannus me ipsum de monasterio sancti Bene- 1137 Nov. 2
dicti in monte Casino expulit et perimere voluit, cum fuissem ibi communi omnium voto et acclamatione ordinatus abbas immo nolens tractus, in tempore felicis memoriae Lotharii imperatoris; et gaudeo, quod tales habeo adiutores, quin pocius duces ac principes contra predictum Dei inimicum. Siquidem malignus ille et alii quam plures homines contra magnificum et forte imperium vestrum multa mala moliuntur et cottidie machinantur; set confido de omnipotencia Dei et de ipsius clementissima iusticia, quod tantum ac tale imperium, in quo est divine religionis cultus, in quo est ordo legum et iuris civilis ratio, in quo est fortitudo et disciplina militaris, in quo est infinita diviciarum copia, nullatenus ab improbis et perversis et absque pietate divina hominibus subrui possit et superari. De ampliando vero et in melius firmando federe inter sanctum imperium vestrum et precelsam domini mei maiestatem suadeo magnificentiae vestrae, ut voluntatem suam, quam vestre sapientiae in presenti manifestat, adimplere non differatis. Si dignatur vestra sublimitas, meam parvitatem inter notos habere et per[a] gloriosos apices vestros salutare, de fideli fidelissimum me facietis.

---

247. *Conradus III rex Heinricum ducem Saxoniae de bonis Kaminatensibus Wibaldo restituendis hortatur*[1]. (M. 249.)

Conradus Dei gratia Romanorum rex H(einrico) duci Saxo- 1150 ante Apr. 20
niae gratiam suam et omne bonum.

a. per *om. cod.*

1. Hanc epistolam paulo ante d. 20 Apr. 1150 esse scriptam, facile cognitu est. Wibaldus enim die illo curiam reliquit (v. ep. 251 infra p. 374 n. 3), bona Kaminatensia recuperaturus (v. ep. 266 infra).

1150 ante Apr. 20 Recordatur nobilitas tua, quod sepe post reditum nostrum de Hierosolimitana expeditione diligentiam tuam monendo rogavimus, quatinus Corbeiensem aecclesiam et fidelem nostrum eiusdem aecclesiae abbatem in defensandis et conservandis bonis Kaminatensis aecclesiae adiuvares, quam prefato Corbeiensi monasterio propter reformandam inibi divinam religionem ex consilio et iudicio principum contulimus. Volumus etiam industriam tuam meminisse, quoniam advocatiam Kaminatensem, quam a nobis hactenus habueras, ex nostra peticione de manu Corbeiensis abbatis recepisti; unde ad protegenda eadem bona plus ei debitor esse cepisti. Eapropter nobilitatem tuam iterum attente monendo rogamus, ut Thidericum de Riclinge et filios ipsius de iniuria et contumelia, quam prefato abbati in eisdem bonis irrogant, coherceas; et fratres monachos, quos illi iam secundo inhoneste eiecerunt, clementer in eodem monasterio recolligas ac Deo ibidem servire facias. Hoc quoque prudentiae tuae notum sit, quod domina illa de Iesika[1], quae bona Kaminatensis aecclesiae dissipavit et adhuc dissipare non cessat, ex nostra permissione nequaquam intravit[2]; immo satis miramur tuam et aliorum principum prudentiam, cur talem feminam bona, quae ad servitium Dei aecclesiae collata sunt, cum vanis hominibus disperdere et dissipare permittitis. Contra cuius perversitatem et invasionem, qua[a] aecclesiam invasit, si homines abbatis aliquid egerunt, nichil contra ius fecisse videntur, quia, quod nulla lege prohibetur, vim vi repulerunt; ideoque iudicamus, pocius vindictam redundare in malefactores quam in vindicatores. Omnimodis ergo diligentiam tuam rogamus, ut prefato abbati in conservandis eisdem bonis strennue assistas, hoc profecto sciturus, quod si benignus ei pro nostra peticione fueris, nos benignos in tuis et amicorum tuorum causis et peticionibus experieris.

a. quae *c.*

1. Iuditha abbatissa. 2. 1149 Sept. 7. V. ep. 201 supra p. 319.

248. *Conradus III rex Eugenio III papae nuncium suum, Heinricum curiae regalis notarium, commendat*[1]. (M. 226.)

Dilectissimo in Christo patri E(ugenio) sanctae Romanae aecclesiae summo pontifici C(onradus) Dei gratia Romanorum rex et semper augustus filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam. 1150 c. Apr. 20

Ex quo nos propicia divinitas a partibus orientis post multa pericula terra marique suscepta sanos et incolumes ad propria reduxit, quia non licuit sanctam ac venerabilem paternitatem vestram facie ad faciem corporalibus oculis intueri, proposueramus, aliquos de magnatibus nostris ad vos dirigere, ut tam de statu sacrosanctae matris nostrae Romanae aecclesiae et aliarum ecclesiarum, quam de tocius Romani imperii reformanda dignitate discretissimi consilii vestri sententiam familiari et intima inquisitione acciperemus. Set primo detinuit nos gravis infirmitas a Deo nobis ad correctionem data, que nos in tantum 6 fere mensibus afflixit[a], ut maioribus rebus gerendis pene essemus inutiles. Quae occasio aliquorum aluit audaciam et quorundam motuum excitavit seminaria; ad que sopienda et comprimenda, cum sospitatem ex celesti munere fuissemus adepti, tota nos animae[b] vigilantia precinximus. Et nunc de bonis principiis oportunum finem cum Dei gratia sperantes, misimus in presentiarum ad vestram celsitudinem magistrum Heinricum, curiae nostrae notarium, virum utique prudentem et honestum et nobis ut scitis familiarem et acceptum, qui vestrae discretioni extra presentium litterarum seriem quedam de voluntate ac rebus nostris viva voce intimabit. Cui credere nullatenus dubitabitis.

---

249. *Conradus III rex Alberto abbati Nonantulano de Heinrico notario in Italiam legato significat*[c].

C(onradus) Dei gratia Romanorum rex A(lberto) abbati Nonantulano gratiam et omne bonum. 1150 c. Apr. 20

a. affluxit *c.* b. anima *c.* c. *Ex apographo Nonantulano edidit Tiraboschi Storia di Nonantola II.* 263. (*Vitiosa est editio Saviolii, Annali Bolognesi I.* 2, 220).

1. Scriptam esse c. Apr. 20 a. 1150 hanc epistolam, intelligimus ex ep. 251 infra p. 374. 375.

1150 c. Apr. 20 Incommoda et gravamina tam ecclesiae quam personae tuae tum per litteras tum per nuncii tui certam relationem cognovimus. Pro debito regiae excellentiae, quae humiles exaltat superbos humiliat, iniuriam tuam propulsare intendimus. Mittimus autem ad praesens in Italiam protonotarium nostrum Henricum, virum prudentem et industrium, qui ex dispositionis nostrae decreto negotia terrae illius secundum honorem regni ordinabit et statum terrae ex alto consilio prudentiae nostrae in melius reformabit et negotia tua plenius audiet et, tamquam a secreto consilii nostri missus, ab omnibus incommodis potenter te eripiet.

---

250. *Wibaldus Eugenium III papam rogat, ut Marcwardum constitutum abbatem Fuldensem confirmet.* (M. 227.)

1150 post Apr. 20 Reverendo in Christo patri suo et domino E(ugenio) uni et universali pontifici frater W(ibaldus) Dei gratia et vestra id, quod est in aecclesia catholica, honorem ut patri, timorem ut domino.

1149 Postquam gloriosus filius vester, noster serenissimus dominus, C(onradus) Romanorum rex a Iherosolimitana expeditione reversus fuit, dilectus frater noster H(einricus) Herfeldensis abbas ab administracione Fuldensis abbatiae, quam susceperat, cessit. Itaque dominus noster rex tum pro innumeris vexationibus, quibus Fuldensis aecclesia tam intus quam foris cottidię fatigabatur, tum pro partium studiis, quae de facili componi non poterant, ordinare ipsum monasterium distulit; et sicut in recolligendis possessionibus, quae inordinatę fuerant dispersae, potens et efficax esse non[a] poterat, sic in curandis animabus, que aecclesiarum preciosissima est substancia, invigilare et attendere non valebat. Super qua re a nostra parvitate sepe commonitus et ab Eberacensi abbate[1] et aliis religiosis viris, tandem suggestioni adquie-
1150 Apr. 3 scens, venit Fuldam 3 Nonas mensis Aprilis. Cui curiae interfuerunt venerabiles filii vestri, Bremensis archiepiscopus[2], Wirciburgensis[3] et Halberstadensis[4] episcopi, et alii de laicorum ordine principes et nobiles multi; a quibus inter cetera regni negocia

a. non *addidi.*

1. Adamo. 2. Hartwicus. 3. Sigefridus. 4. Udalricus.

consilium quesivit, qualiter Fuldense monasterium sic Deo auctore ordinaret, quatinus ibidem, que Dei sunt Deo et quae cesaris sunt cesari redderentur. Dubitatum est diu, ut in talibus negociis solet, maxime propter multas in brevi tempore abbatum mutationes et propter partium studia et dissensiones, que in eodem monasterio adhuc fervere noscebantur. Suspensis ergo omnibus, dixit domnus rex, quandam sibi personam a viris religiosis esse ostensam boni testimonii et integrae famae, que rem modicam religione possessionibus et edificiis nobiliter auxisset, de cuius pietate et fide atque constancia nequaquam dubitarent, quin Fuldensi aecclesiae et preesse et prodesse posset; in cuius personae electione si omnium vota concordarent, fore in brevi, ut cum suo clementiori et propensiori patrocinio Fuldensis aecclesia pristinum suae dignitatis honorem reciperet. Placuit omnibus qui aderant tam pia regis devotio, tam religiosa sentencia; et perlatum est verbum ipsius ad electores a prenominatis episcopis et ab Eberacensi et Hathelesburnensi[1] abbatibus, a nobis eciam et ab aliis principibus. Quem sermonem, tanquam divinitus missum, pari consensu et unanimi voto omnes susceperunt, nomenque viri, qui tanto laudis et principis suffragio iuvaretur, sibi exponi flagitabant. Ita celebri cunctorum coniventia elegerunt in abbatem et rectorem animarum suarum et dominum Fuldensis abbatie domnum Marcwardum, abbatem monasterii de Tekkinge[2], qui fuerat nutritus et educatus a puero in monasterio sancti Michahelis in monte in civitate Babenberc et sine querela conversatus. Prefato autem monasterio suo prefuerat annis octo[3], testimonium habens etiam ab his, qui foris sunt, et provexerat tam in divinis quam in humanis rebus. Qui quoniam ab his, qui eum intime noverunt, plurimum laudatur, et non solum absens set etiam ignorans electus est, et valde invitus et plurimum renitens hoc onus subire compulsus est, adhortante satis domino nostro rege et bona sibi promittente et quodammodo cogente, nostra quoque parvitas vestram celsitudinem intime rogare ausu sanctae caritatis presumit, ut sanare

1150 Apr. 3

1. Rabotone. 2. dioec. Augustensis. 3. 1142—1150.

1150 post Apr. 20 dignemini contritos Fuldenses et alligare contriciones eorum[1], et per vestrae benedictionis manum, quae sola medicinam prestare potest languoribus, opus, quod circa predictam personam inchoatum est, confirmetis. Hoc quoque sublimitati vestrae indicare studuimus, quod ea diȩ[2] apud Fuldam eramus, quando omnes Fuldenses fratres regulariter et humiliter eidem electo suo subiectionem et obedientiam promiserunt. Salvum vos et incolomem ad regimen catholicae[a] ecclesiae Deus omnipotens custodiat.

---

251. *Wibaldus Eugenio III papae scribit de sua erga eum voluntate. Heinricum regis notarium, ad papam missum, commendat. Petitiones de ecclesia Kaminatensi subiungit.* (M. 228.)

1150 post Apr. 20 Dilectissimo patri suo et domino E(ugenio) uni et universali papae frater W(ibaldus) Dei et vestra gratia id, quod est in aecclesia catholica, se ipsum et sua universa.

1149 Dec. 24 Venimus ad curiam gloriosi filii vestri C(onradi) Romanorum regis in vigilia nativitatis Domini; et permansimus in ea
1150 Apr. 20 continue usque ad quintam feriam ebdomadae pascalis[3] sub ea expectatione, ut nos et cancellarium suum[4] ad vestrae sublimitatis presentiam, sicut iam dudum condixerat et vestrae quoque magnitudini significaverat, transmitteret. In quo temporis spacio die et nocte id efficere studiose sategimus, ut animum ipsius ad dilectionem et reverentiam vestrae personae, ad defensionem sacrosanctae matris nostrae Romanae aecclesiae et omnium aeclesiarum fortius accenderemus. In quo studii exercicio non solum conscientiae nostrae testimonium habemus, set etiam fidelium vestrorum, et aliorum quorundam, qui, tempora libenter accusantes, bonis solent detrahere et discordias seminare. Set intervenientibus magnis quibusdam regni negociis, neque persona nostra neque cancellario[b] suo carere voluit; cum tamen nos ad

a. chatolicae *c.* b. cancello *c.*

1. Ps. 146, 3. 2. post 20 Apr. 1150. V. ep. 251 infra n. 3 et ep. 252 p. 378 n. 4. 3. i. e. 1150 Apr. 20. Reliquit Wibaldus hoc die Conradum regem in civitate Wirzeburgensi, seque Fuldam contulit. V. ep. 252 infra p. 378 n. 4. 4. Arnoldum.

monasterium nostrum usque ad futuram autumpni temperiem 1150
redire egre permiserit. Interim misit[1] magistrum Heinricum, post Apr. 20
curiae suae notarium, virum sapientem et probum et vobis omnino fidelissimum; quem ut honeste suscipiatis et efficaciter ac celeriter dimittatis, ex habundanti[a] credimus esse, vestram super hoc prudentiam et benignitatem submonere. Venissemus ad vos desideranter, non solum pro honore et utilitate aecclesiae Dei et imperii Romani, verum etiam ut faciem vestram, quam sicut vultum angeli intuemur, cernere mereremur, et humili sermone quedam vestrae excellenciae suggereremus, quae scriptis committere non presumimus tum propter varios et incertos eventus rerum, tum ne in arduas et archanas res et in secreti vestri profundum nos temere et importune ingerere estimaremur[2]. Peticiones nostrae, quae in scriptis habentur, ut a clementia vestra misericorditer exaudiantur, humiliter imploramus; quoniam, nisi ad labores Corbeiensis aecclesiae tolerandos benedictam manum auxilii vestri nostrae pusillanimitati porrexeritis, avolare nos oportet et requiescere a pusillanimitate spiritus et tempestate[3]. Sanctitatem vestram ad regimen aecclesiae catholicae in longa tempora Dei misericordia conservare dignetur.

W(ibaldus) abbas Corbeiensis petit, ut domnus papa scribat H(einrico) Mindensi episcopo, quatinus sine mora Kaminatensem aecclesiam reconciliet, quam ideo pollutam esse iudicavit, quod puer unus monachus, dum in resarciendo tecto aecclesiae architectis subministrat, de culmine in pavimentum aecclesiae collapsus est et ita absque ulla sanguinis effusione extinctus[4], quam per anni fere spacium reconciliare noluit; et quod de parrochianis suis Thiderico de Riklinge, et Reinberto ac Thiderico filiis eius, qui predia Kaminatensis aecclesiae invaserunt, iusticiam faciat, ita ut, si infra triginta dies post acceptas litteras possessiones non dimiserint et ablata in integrum non restituerint, excommunicationi eos subiciat.

a. habunti *c.*

1. V. ep. 248 supra p. 371. 2. Cf. ep. 252 infra p. 377. 378. 3. Ps. 54, 7 et 9. 4. die 20 Apr. 1149. V. ep. 169 supra p. 289.

1150 post Apr. 20 Item petit, ut domno H(artwico) Bremensi archiepiscopo scribatur, quatinus predia Kaminatensis ecclesie, que in terra sua sunt, abbatem retinere adiuvet, et eas precipue possessiones, quas Iuditha abbatissa post depositionem suam alienavit; et invasores, nisi infra triginta dies post acceptas litteras resipiscant, excommunicet.

Item petit, ut in eundem modum scribatur H(ermanno) Ferdensi episcopo.

Item petit, ut duci Saxonie[1] in eandem sentenciam scribatur.

Item petit, ut tam Coloniensi archiepiscopo[2] quam Coloniensi aecclesiae districtę et dure scribatur de Iudiht abbatissa de Iesika — que ecclesia est in fundo et parrochia Coloniensi — quae non solum clausa et correcta non est, set etiam per totam terram cum suis corruptoribus volitat, et bona Kaminatensis aecclesiae[a], a qua per bone memorie Thomam cardinalem apostolice sedis legatum deposita fuit, et sentencia depositionis a domno papa in sinodo Remensi confirmata. Quae, nisi aut deposita aut excommunicata[b] fuerit, nullo modo[c] cessatura est.

---

252. *Wibaldus Guidoni diac. card. S. Mariae in porticu scribit, se Conradi regis animum a Graecis corruptum placasse. Addit de litteris Bernhardi abbatis Claraevallensis, Theodewini S. Rufinae episcopi, senatorum Romanorum; de Heinrico notario ad papam misso.* (M. 225.)

1150 post Apr. 20 Reverendo patri suo et domino G(uidoni) sancte Romanae aecclesiae diacono cardinali[3] frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica[d], exiguas orationes et devotum servicium.

Si assiduitas familiaritatem, si familiaritas vel obsequium nobis apud vestram excellentiam dilectionis gratiam peperisset, auderemus celsitudini vestrae quaedam tutius scribere; et a vobis fortasse quedam reciperemus, quae non essent in hoc temporis statu inutilia. Quam fiduciam apud beatae recordationis Guidonem

a. dissipat *excidisse videtur; cf. ep.* 247 *supra p.* 370. b. excommunica *c.* c. modo *om. c.* d. catholica *om. cod.*

1. Heinrico Leoni. 2. Arnoldo I. 3. S. Mariae in porticu.

cancellarium[1] viginti annorum noticia et cottidię inter nos accrescens karitas effecit, ita ut ei loqui et scribere tute possemus, quicquid in buccam venisset. Sane cum idem vir beatus nobis proxime scripsit[2], familiariter parvitati nostrae intimare dignatus est, quod quidam rumor tam domnum papam quam curiam suam perturbasset, pro eo quod serenissimus dominus noster C(onradus) Romanorum rex fedus cum imperatore Grecorum firmasse dicebatur, ita ut sanctam Romanam aecclesiam, catholicorum omnium matrem, graviter si posset affligere et infestare disponeret. Iniunxit etiam parvitati nostrae ex parte domni papae et sua et attentius exhortatus est, ut modis omnibus, quibus possemus, efficere studeremus, nę adversus apostolicam sedem huiusmodi fluctus insurgerent, vel, si forte aliquorum pravitate insurgere cepissent, cum aliis aecclesiae Dei fidelibus pro viribus nostris compesceremus. Fecimus, quod iussit; et homini, non federe contracto set fastu et inobedientia Grecorum aliquantulum corrupto, longa cohabitatione et assidua collocutione humilitatis et obedientiae bonum instillavimus; et aliquorum verba familiaritatis ausu severius interdum repressimus.

1150 post Apr. 20

Porro in capite quadragesime domnus abbas Clarevallensis[3] misit domno regi litteras per episcopum Frisingensem[4], in quibus collaudabat dominum illum Siciliae, eo quod in multis utilis et necessarius fuisset catholicae aecclesiae, futurus utilior, si non prohiberetur virtute et potentia nostri principis; de quorum pace et concordia se libenter acturum promittebat, si sciret, domino nostro non fore ingratum. Visus est hoc ipsum innuere domnus T(heodewinus) Sanctae Rufinae episcopus in litteris suis, quas post reditum suum a Iherosolima, cum per Siciliam transitum habuisset, domino nostro scripsit. Ad cuius verbi assensum nos animum nostrum et consilium domini nostri, quantum in nobis fuit, in-

Mart. 1

1. diac. card. SS. Cosmae et Damiani. Is paulo ante d. 6 Nov. a. 1149 obiisse statuendus est. Nam inde ab hoc die Eugenii III bullae „datae sunt per manum Bosonis S. R. E. scriptoris"; quibus quidem verbis in ipsis bullis non reperimus addita esse haec: „agentis vicem Guidonis cancellarii". Cf. Regesta pont. Romanorum p. 616. 2. ep. 198 supra p. 316. 3. Bernhardus. 4. Ottonem.

1150 post Apr. 20 clinare nequaquam voluimus, nisi prius, quid super haec in beneplacito domni papae esset, certius intelligeremus; nec tamen ei super hec scribere presumpsimus, ne videremur altiora nobis appetere et in secreta ipsius temeraria[a] importunitate irruere. Set quod insipientes apud vos facti sumus[1], fides, quam ad sanctam Romanam aecclesiam habemus, et vestra humilis et affabilis benignitas nos coegerunt. Quodsi studium nostrum taciturnitas vestra et propicia responsio adiuverint, erimus de cetero in huiusmodi officiis promptiores.

Scripserunt senatores vestri ad dominum nostrum graves et duras adversus domnum papam epistolas[2], quae ad ipsum mense
Ian. Ianuario perlate sunt; quarum[b] exempla vobis attulissemus, si ad Urbem, ut condictum fuerat, venissemus. Industriam vestram, de qua plurimum confidimus, attente monendo rogamus, ut peticiones nostras, quas ipsi domno papae scripsimus[3], ad effectum
post Apr. 20 perducere curetis. Cum haec scripsimus, eramus in Fuldensi monasterio; et a curia apud Wirciburc recesseramus[4], sic ordinatis rebus, ut magister Heinricus, regie curie notarius, ad domnum papam in presenti transire deberet.

---

253. *Heinricus II episcopus Olomucensis Wibaldo respondet, se ad tempus nihil habere, quod a papa exigat.* (M. 229.)

1150 W(ibaldo) serenissimo domino et patri suo venerabili sanctae Corbeiensis ecclesiae abbati H(einricus), Dei per pacientiam Moraviensium[5] id quod dicitur, servitutis cum devotione orationis mutuae participationem.

Vestrae litteras benignitatis veneratione debita suscepimus; ex quibus desiderio, quod desideravimus, vos videlicet quia salvum esse percepimus, gratias divinae pietati exsolvimus. Non enim vestram minus quam nostram sospitatem et prosperitatem desideramus et ab eo, haec qui prestare potest, precibus licet indignis augeri et conservari deposcimus. Quod autem fatietenus

a. temerario *c.* b. quorum *c.*

1. 2 Corinth. 12, 11. 2. supra epp. 214. 215. 216. 3. ep. 251 supra p. 374. 4. die 20 Apr. 1150. V. ibidem n. 3. 5 episcopus Olomucensis.

vestra pietas videre nos tantum desideravit, grates quidem agimus; ipsam tamen proinde, quod nos videre non valuit, minime dolere rogamus, presentiam cuius nostri cordis a memoria nec locorum spacia nec tormenta infirmitatis continua amovere queunt. De caetero, quoniam vestrae sublimitatis excellentia pro nobis usque adeo humiliari non dedignatur, quod nostrae verbula parvitatis domino nostro papae sese velle deferre promittat, ei humiliter inclinamur[a] et, ut vestrum iter angelus Domini bonus comitetur, votis omnibus optamus. Et quoniam in presentiarum ad predictum dominum nostrum, quod deferamus, nichil aliud habemus, nostras ei continuas mandari oratiunculas, infirmitatem quoque, vestrae relatione gratiae insinuari rogamus. 1150

---

254. *Daniel episcopus Pragensis Wibaldo, sese papae commendaturo, gratias agit munusque mittit. Arnoldum cancellarium salutat.* (M. 230.)

W(ibaldo) domino et patri suo, reverentissimo Corbeiensis Stabulonensis aecclesiae venerabili abbati, D(aniel) licet indignus, Dei tamen gratia Pragensium episcopus, cum sinceritate servitii exiguas orationes. 1150

Regalibus vos occupatum negotiis et regali assidentem[b] lateri, gratulamur. Hoc enim gratia vestra ex antiquo aput parvitatem nostram beneficiis multis obtinuit, ut profectui vestro congaudeamus. Verumtamen quod litteras vestras omni suavitate et mellita dulcedine plenas nobis mittere dignatus estis, quantas in presentiarum valemus, gratiarum[c] actiones sanctae paternitati vestrae referimus; et licet corpore disiunctos diversitas locorum separet, nunc tamen presentia vestra, spiritui nostro cottidie pre oculis habita, per scripta vestra est renovata. De caetero, quia tantam gratiam humilitati nostrae in oculis vestris Dominus contulit, ut in curia quoque Romana nostri memor esse velitis, et inde quidem gratias vobis agentes obnixe postulamus, quatenus inmeritae nostrae personae memoriam, quantulamcunque dignabimini, apud domnum apostolicum facere non abnuatis. Pre-

a. inclinamus *c.* b. assidente *c.* c. grā *c.*

1150 terea quandam parvulam caritatem sanctitati vestrae transmisimus, rogantes et in Domino obsecrantes, ut benivole eandem suscipiatis et ex ea equum saltem servientis vestri ferrare non abnuatis. Honestam et Deo devotam ac dilectam familiam vestram ex obsequio parvitatis nostrae, dominum quoque nostrum cancellarium[1], amicum nostrum, salutare dignemini. Orantem pro nobis sanctitatem vestram, nobis multum necessariam, in pace et prosperitate dominus Deus sanam et incolumem conducat et reducat et longevo tempore custodiat.

---

255. *Emehardus episcopus Meklenburgensis Wibaldo de mutuo inter se amore scribit. A. litteras has perferentem commendat.* (M. 231.)

1150 Domino vere sancto et omni veneratione digno W(ibaldo) Corbeiensi abbati frater Emehardus[a2], ille humilis et qualecunque vas in domo magni patris familias, cum fraternae dilectionis obsequio, quicquid potest sincere mentis affectio.

Si vivis et vales ac secundum Deum prosperaris in omnibus, gaudet animus meus, exultant viscera, gestit affectus. Ego enim fateor et iure debeo et libenter volo et bene possum sanctitatis tuae personam amare, virorum optime, quia parvitatem meam, sicut ab ore tuo accipere potui, etiam absentem et corporali adhuc facie incognitam propter quaedam, quae tibi ab amatoribus meis de me bona dicebantur, dilectione tua dignum iudicasti; et presentem postea familiariusque cognitam in omni loco, ubi nos duo convenire potuimus, supra vires et merita mea honorasti. Unde desiderantissime fraternitati tuae de mea fidelitate indubitanter constare volo, quod, ubicunque possum et boni nominis tui famam augere et causam tueri, libenter faciam et feci et cotidie facio; quoniam similia a te exspecto. Domnum A., presentium portitorem litterarum, hominem satis afflictum et bonorum solaciis indigum, pietati vestrae attentius commendo, ut, sicut misericorditer cum eo facere cepistis, ita usque in finem

a. Emeh̄ *c.*

1. Arnoldum. 2. episcopus Meklenburgensis.

iuxta quod eius se causa habet cum eo facere perseveretis. 1150
Omnis enim boni principii et recti operis finis expetendus est. De cetero sit vobiscum Dominus, et vester spiritus nobiscum in ipso.

---

256. *Robertus decanus Stabulensis Wibaldo de suis laboribus scribit. Has litteras perferentem commendat. Petit, ut cognato suo praebendam tribuat.* (M. 236.)

Domino et patri suo Stabulensi venerabili abbati W(ibaldo) 1150
frater R(obertus) cum orationum devotione obedientiae bonum.

Quoniam cognosco me servum vestrae sanctitatis, paternitatis filium, dilectionis amicum, memoriam vestri facio assidue in orationibus meis, ut vos deus omnium, deus miserationum omnipotens regat semper et protegat et gratiae suae splendore irradiet. Et quia probatio dilectionis exibitio est operis, vobis in operibus vestris voluntate condelector et opere. Unde in vacuando cimiterio novo et aquae ductu restruendo operam do; capella beati Nicholai, gradibus dormitorii superioribus, introitu necessariorum communium, muro pomerii novi non neglectis; mulieris, quae in modico totum iactavit in gazofilatium[1], formam sectans. Verumtamen lechitus olei et ydria farinae caritati et obedientiae non imminuitur[2]. Nunc quia non in modico restruxistis muros Stabulenses, curandum summopere est, ut edifficentur muri Iherusalem. De statu loci vestri propter prolixitatem fratri vestro et nostro, presentium latori, secundum oportunitatem temporis digna relatu vobis indicanda reliqui. Cuius studium in filio fratris sui collaudans, ut voluntatem eius super hoc impleatis, oro; quia in hoc ordinat caritatem[3] in eo[a], cuius ordinatione perseverat dies[4]. Et cum tempus est, operandum est bonum ad omnes, maxime ad domesticos[5], ut domestici fiant tam fidei quam ordinis et sortis Iesu Christi. Unde ego, gratias multiplices agens vobis pro universis beneficiis vestris, quoniam non unam tantum benedictionem habetis, mi dilecte

a. meo *c*.

1. Marc. 12, 43. 2. 3 Reg. 17, 14. 3. Cant. 2, 4. 4. Ps. 118, 91.
5. Galat. 6, 10.

1150 pater, modo quoque obsecro, ut benedicatis etiam nunc, et propinquiori cognato meo novenni prebendam et locum apud nos concedatis. Nam etsi non possum, Dei erit retribuere, si ei via et ianua fueritis veniendi ad hoc, ut passionibus Christi in monasterio sub habitu monachico per pacientiam participet. Frater vester de causa hac legatione fungitur pro me; vestrum est, ut respiciatis sperantem in vobis et manum clementiae porrigatis cum fiducia supplicanti. Valete.

---

257. *Stabulenses Wibaldum ad se venire optant. Petunt, ut se apud regem adiuvet contra Gozuinum et Everardum de Hengebach.* (M. 237.)

1150 Reverendo in Christo patri suo et domino W(ibaldo) Stabulensi venerabili abbati humilis sub eo eodem in loco grex Christo militans debitae subiectionis et dilectionis reverentiam.

Licet, pater, hoc tempore solito rarius vobis nostra scripserit universitas, tamen non eo minori karitatis ardore circa vestri amorem accendimur, cum tociens vos nobis esse presentem estimemus, quotiens pietatis vestrae studia circa nos et locum nostrum consideramus. Inde est, quod salutis vestrae prosperitatem semper optamus, optando desideramus, desiderando exoramus. Salutantes itaque paternitatem vestram, devotissime rogamus, ut, si salva gratia domini nostri regis optineri potest, ad nos redire non abnuatis, quia tam in interiorum cura et ordinatione quam in exteriorum providentia aecclesiae vestrae ac filiis vestris necessaria et utilis vestra esset presentia. Interim autem supplicamus, ut querimoniam nostram, quam domno regi pro illis de Hengebach[1] transmisimus[2], promovere dignemini; quia, nisi districte super ea, quae iam secundo adversum vos et aecclesiam vestram perpetraverunt, coherceantur, adhuc graviora committere non timebunt. Caeterum ne animum vestrum, maioribus forsitan negociis intentum, scedula longior aut prolixior ępistola honeraret, fratri vestro, custodi scilicet aecclesiae, reliqua narranda commisimus[a], a quo de statu rerum nostrarum et tam

a. cōmi *c.*

1. Gozuino et Everardo. 2. V. ep. 258.

de his quae intus sunt quam de his quae foris aguntur, si oportunum fuerit, plenius audire poteritis. Paternitatem vestram ad honorem aecclesiae suae omnipotens Deus diu incolumen custodiat. De Vilippes, si oportunitas acciderit, petimus, ut mentionem coram rege faciatis. 1150

---

258. *Stabulenses Conradum III regem rogant, ut Gozuinum et Everardum de Hengebach sibi de iniuriis satisfacere cogat.* (M. 238.)

Gloriosissimo atque invictissimo domino suo Romanorum[a] imperatori augusto C(onrado) humilis Stabulensis aecclesiae congregatio, quicquid regiae maiestati tantillus debet ac potest conventus. 1150

Si excellentiae vestrae, serenissime domine, aliquo modo gratiarum actiones reddere nostra posset exiguitas, id tanto exequi curaremus attentius, quanto in colligendo patre nostro aecclesiae vestrae, in qua positi sumus, misereri dignamini propensius. Inde est, quod continuis missarum celebrationibus ac vigiliis, assiduis precibus et elemosinis Deum pro statu regni vestri, pro incolumitate vestra vestrorumque exoramus devotius, postulantes, ut is, in cuius manu sunt omnium potestates et iura regnorum, eos, qui in sua feritate confidunt, per vos potenter comprimat, quo liberius paci et utilitati aecclesiarum Dei vestra clementia postmodo providere valeat. De caetero, mitissime domine, quoniam specialius quodammodo eas protegere aecclesias vestra debet maiestas, quae ab inclitis predecessoribus vestris imperatoribus sive regibus honestiori cultu et ampliori magnificentia sublimatae existunt, speciali quadam confidentia ad vos accedere audemus; ubi, clementiae vestrae genibus provoluti, humiliter conquerimur de Gozuino de Hengebach et fratre eius Everardo, qui contra omnem iusticiam in die pacis, in festo scilicet apostolorum Symonis et Iudae[1], sex carratas vini cum animalibus violenter nobis abstulerunt, et pauperes nostros, qui plaustra se-

a. Romamanorum *cod.*

1. 28 Oct. 1149.

1150 quebantur, captos gravissimis poenis afflixerunt. Super quo cum vestram expetere parati essemus iusticiam, tandem causa domni cancellarii[1], qui dampno nostro pie condescendebat, homines nostros pene nudos et aliquam partem accepti vini atque animalium nobis reddiderunt, promittentes, se in brevi tempore coram domno cancellario omnia reddituros. Hac itaque sponsione accepta, hucusque frustratoria spe seducti expectavimus, nunc demum post longam moram et graves expensas certi, quod nichil ab eis recipiemus, nisi ad hoc eos per efficacem nuncium vestra regia compellat auctoritas. Quod ut respectu Dei facere dignemini, suppliciter aecclesiae vestrae deposcit universitas.

---

259. *Wibaldus Hartwicum archiepiscopum Bremensem Corbeiae fuisse gaudet. Synodo Mindensi interesse vult. Adonem abbatem Rosenfeldensem iam totum arbitrio eius permittit. Petit, hortetur Hermannum comitem, ut sibi satisfaciat.* (M. 241.)

1150 Reverendo patri suo et domino H(artwico) sanctae Bremensis aecclesiae venerabili archiepiscopo frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devota servitia.

Gratum nobis valde est et dulce, quod monasterium nostrum intrare et fratres nostros visitare[a] et consolari nostrasque mansiones, quas pro hoc ipso cariores habemus, ingredi, ac nostrum studium benigno preconio laudare dignata est vestra sublimitas. Set hoc nobis gratissimum et omnino cordi est, quod ad easdem edes vos velle venire et longiorem inibi habitationem facere atque armarii nostri non solum volumina set etiam scedulas evertere et perscrutari promisistis. Utinam vivamus, utinam videamus, utinam pace quiete et ocio frui valeamus, et in his studiis nos invicem exercere exacuere et aut doceri vel docere possimus. Quae vita tanto esset beatior, quanto esset ad videndum et promerendum Deum propinquior et ab huius mundi cenulenta voragine remotior. Venite igitur et pascite animam vestram, honorate sacerdotium, instruite clerum, firmate ordinem, propagate

a. visitari *cod.*

1. Arnoldi.

sacramentum. Set haec actenus. De colloquio episcoporum, quod apud Mindam habere decreveratis, cui etiam nos propter privata negocia interesse, vestra benignitate freti, disposueramus, utrum futurum sit necne, incerti sumus[a], pro eo quod domnum Pathelburnensem[1] et Monasteriensem[2] non venturos illuc fore pro certo cognovimus. Causas equidem et intentionem conveniendi ex parte audivimus; et plurimum in Domino laetamur, quod ignis, quem Iesus misit in terram[3] et voluit ut arderet, in pectore vestro vehementer accensus est. Set timemus et timendo dolemus, quod industriam vestram et animi fervorem presentia tempora non ferant, pro eo quod ut[b] apostolus dicit: *Omnes querunt quae sua sunt, non quae Iesu Christi*[4]. Quodsi ignis, qui in corde vestro ardet, emicare ceperit et splendorem ac scintillas[c] emittere, veremur, ne verius quam Elyas dicere possitis: *Relictus sum solus*[5]. Proinde per presentem nuncium et per litteras vestras de omni voluntate vestra super hac re certificari desideramus. De abbate Herseveldensi[6], qui apud nos est, vestrum beneplacitum intelligere optamus; quoniam non solum non[d] habere et tenere, set nec etiam diligere aliquem volumus, qui vos et vestra ullo incommodi genere perturbet. Monete amicum vestrum comitem H(ermannum) diligenter et familiariter, ut ipse ad depellendas iniurias nostras, sicut a domno rege in mandatis accepit, efficacius intendat; quoniam et captivi nostri adhuc in vinculis tenentur et malefactores nostri in castro suo morantur. 1150

---

260. *Wibaldus Heinrico episcopo Mindensi scribit, ob indignitates in colloquio Hamelensi sibi illatas se die statuto ad eum non esse venturum. Querimoniam de eo ad papam delatum iri.* (M. 242.)

H(einrico) Mindensi episcopo W(ibaldus) Corbeiensis abbas, 1150
spiritu scientiae et pietatis habundare.

a. incerti sumus *ex* ignoramus *correctum est*. b. ut *om. c.* c. scitillas *c.* d. non *om. c.*

1. Bernhardum. 2. Wernerum. 3. Luc. 12, 49. 4. Philipp. 2, 21. 5. 3 Reg. 19, 10. 6. Adone abbate Rosenfeldensi.

1150 Postquam a colloquio vestro ad monasterium nostrum regressi sumus et tam fratribus nostris quam aliis fidelibus Corbeiensis aecclesiae, quae apud Hamele gesta sunt, intimavimus, valde mirati sunt et doluerunt, quod Corbeiensis aecclesia, quae vos aliquanto tempore et educavit et erudivit, in nostra persona tantum sit a vobis et a vestris despecta et tam indiscrete tractata. Siquidem mandaveratis nobis primo per prepositum[1] aecclesiae nostrae, deinde secundo per Heinricum sacerdotem, quod ad pacificum colloquium nos vocaretis, et causam nostram, quae inter vos et nos iam etiam anno fere quarto[2] non absque fatigatione magna tractatur, benigno fine terminaretis. Hoc ipsum, cum ad vos venissemus[3], in conspectu tocius multitudinis, sicut dignitatem vestram decuit, confessus fuistis; set finis ostendit, quod non ita in opere sicut in sermone exhibuistis. Nam cum vobis tam veraciter quam humiliter innocentiam nostram probavissemus, et de offensa vestra, sive iure sive iniuria concitata esset, vobis satisfactionem preberemus, non solum non recepistis, set totum consilium et verbum vestrum in ore laicorum, cum de causa canonica ageretur, posuistis; eorum scilicet, qui personam nostram gravibus contumeliis affecerunt et bona aecclesiae nostrae violenter et per sacrilegium diripuerunt; quorum vos communionem immo familiare contubernium et colloquium atque consilium, sicut aecclesiastica docet disciplina, non devitastis. Nos, qui scripseramus vobis, quod ad pacem veniremus, hoc habentes in corde quod habuimus in ore, pacem vobis obtulimus et opere et veritate. Set quia pax nostra non respondit vobis, poteramus iure nostro pro multis gravaminibus nostris appellasse, nihil verentes, quod hoc nobis posset accidere, quod vestro abbati de Insula[4] in sua appellatione contigit. Solent enim laici vestri districtis gladiis de appellationibus, quae ad domnum papam fiunt, iudicare. Qui nunc in colloquio vestro

1. Adelbertum. 2. Hinc liquet, epistolam hanc anno 1150 esse scriptam. Controversiam illam enim scimus iam ex m. Februario anni 1147 fluxisse. V. ep. 180 supra p. 301 n. 2. 3. Hamelam. 4. monasterii S. Mauritii de Insula (auf dem Werder) prope Mindam.

duces verbi vestri fuerunt, ut in nobis compleretur, quod per 1150
Moysen dictum est: *Et inimici nostri sunt iudices*[1]. Illi ipsi vestri homines, vestri parrochiani, nobis, ad vos pacifice tendentibus et de vestro securo conductu nobis firmiter promisso confidentibus, nocere tam in persona quam in rebus voluerunt.

Propterea non est consilium aecclesiae nostrae, ut ad colloquium vestrum, sicut dictum fuerat, veniamus; precipue ne excusationem apud domnum regem habeatis, quod pro causa nostra ad curiam ipsius, ad quam iam tercio ex coequalium vestrorum iudicio vocatus estis, venire supersedeatis. De iniuriis vero et dampnis, que nobis ex vestro mandato á vestris inferuntur, videat Deus et iudicet; et nos, qui hactenus tacuimus et pacientes fuimus tum pro reverentia personae vestrae tum pro honore aecclesiae vestrae, quasi parturientes loquemur[2], et ea, quae pertulimus, quae vidimus et audivimus, in aecclesia Romana annuntiare maturabimus. Siquidem in verbo nostro nulla potuit inveniri tergiversatio, cum electorum iudicum, a quibus appellare non licet, sentenciam subire vellemus, domini videlicet et patris nostri karissimi Patherburnensis episcopi[3] nec non reverendi Monasteriensis episcopi[4] atque dilectissimi nostri Osenbrugensis episcopi[5].

---

261. *Wibaldus Heinricum archiepiscopum Moguntinum hortatur, ut Folcwino de Sualenberch uxorem reddat eumque excommunicatione liberet.* (M. 243.)

Reverentissimo in Christo patri suo et domino H(einrico) 1150
venerabili sanctae Moguntinae aecclesiae archiepiscopo frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Multiplices gratiarum actiones vestrae dignationi referimus, quod nos et liberaliter hospicio recipere et per vestros humanissime honorare non abnuistis. Nos quoque pro facultate nostra nec immemores nec ingrati fuimus, set cum omni studio ac diligentia ad completionem vestrae voluntatis et amicorum vestro-

1. Deut. 32, 31. 2. Isai. 42, 14. 3. Bernhardi. 4. Werneri. 5. Philippi.

1150 rum provectum assurreximus et institimus. Cuius laboris fructum vos in vestrorum emolumentis et promotione adeptum iam fuisse, inter precipua gratulamur. Excellentiae vero vestrae suggerimus, quod Folcwinus de Sualenberch multas et amplas possessiones habet a Corbeiensi aecclesia, et tam ipse quam pater quondam suus Widekindus fideliter ac familiariter[a] predecessoribus nostris et nobis tum propter vicinitatem tum propter industriam suam servire consueverunt. Veniens igitur ad nos idem F(olcwinus) post reditum nostrum a curia[1], gravem querelam non solum nobis set universis episcopis Saxonie et aliis principibus deposuit de domino et patre nostro venerabili B(ernhardo) Patherburnensi episcopo: quod, cum dominus et episcopus et pastor animae ipsius existat, eum de ovili et de grege suo sequestravit et alieno iudicio contra canones, contra leges, contra morem exposuit; cum se asserat natum et renatum et sinodaliter subiectum Patherburnensis aecclesiae; et uxorem potius in sua iura per matrimonium transire quam ipsum in feminae leges migrare debuisse; et si coniunx non esset, tamen ad forum rei pocius quam ad petitoris agi oportuisse. Porro de vestra sublimitate multa conquestus est, quod, cum in causa ipsius iudex fueritis, multa et in multis gravamina sit perpessus et, dum se ad iusticiam exequendam paratus esset exhibere, ab armatis fuerit invasus et tam vitae quam honoris sui periculum sustinuerit. Nos itaque, adhibito prudentium ac religiosorum virorum consilio, exasperati animi tumorem delinire et componere studuimus, ut christianam humilitatem reciperet et legibus divinis ac vestris et sui episcopi mandatis devotus obtemperaret. Quod usque adeo, Deo prosperante, promotum est, ut domino nostro Patherburnensi episcopo iuxta consilium nostrum obedienter et humiliter de omni murmuratione et quadam quasi rebellione, quam adversus ipsum habuerat, satisfaceret et ad promerendam absolutionem atque ad recipiendam more christiano legitimam uxorem festinaret. Proinde venerabilem nobis celsitudinem vestram

a. familtalit̄ *c.*

1. post Apr. 20. V. ep. 251 supra p. 374 n. 3.

attente monendo rogamus, ut, quia predictus venerabilis pater 1150
noster Patherburnensis episcopus sanguini et carni suae, quam nemo umquam odio habuit, non pepercit, et vobis tanquam patri suo reverenter, ut iusticia in suo tenore procederet, cessit, preces[a] benigne admittatis, et predictum F(olcwinum) clementer suscipiatis et, cum ad partes nostras appropinquare ceperitis, uxore ipsius vobiscum adducta et sibi restituta, eum sanctae communioni paterne restituatis.

---

262. *Heinricus episcopus Mindensis Wibaldo respondet. Eius opprobria depellit minasque negligit.* (M. 244.)

H(einricus) Dei gratia Mindensis episcopus W(ibaldo) Cor- 1150
beiensi abbati, tam pietatis quam scientiae repleri spiritu.

Rescribimus fraternitati vestrae[b], urgente karitate quae omnia suffert, non terrore minarum, quas austerius quam deceat intentatis. Confidimus enim in ecclesia Romana vel in curia regis, innocenti preiudicium non fieri, ledentem pocius quam pacientem sentencia iudiciaria multari. Nos, a vobis lesi, dicimur vos lesisse, cum Deus mihi testis sit, nunquam me, nunquam meorum aliquem mea voluntate seu consilio vel auxilio vobis[c] nocuisse, set tantum de iniuriis nobis illatis fraternam satisfactionem expetivisse. Corbeiensem aecclesiam, quae me et educavit et erudivit, neque prorsus despexi neque indiscrete tractavi, set veneror et venerabor; iniuriarum nostrarum solummodo satisfactionem, sicut expetivi, expeto. Quod vobis per prepositum Adelbertum, per sacerdotem Heinricum in sermone mandavi, complessem et opere, si satisfactionem, quae nostris fidelibus immo et quibusdam vestris plenaria videretur, optulissetis. Consilium nostrum et verbum de causa canonica non in ore laicorum posuimus, set pacis componendae gratia clericorum ac laicorum fidelium, sicut et vos, usi sumus consilio. Violentis et sacrilegis res aecclesiae diripientibus nec communicavi nec communico; quos etiam, si manifestos cognovero, ut inimicos Dei devito. Filii pacis sumus; pacem vobis optulimus ore, pacem

a. nostras *excidisse videtur.* b. vestrae *om. cod.* c. vos *c.*

1150 servamus[a] in corde; pacem quesivimus, pacem quaerimus. Nullo vos gravamine gravavimus; unde nec appellatione indiguistis. Qua si indigueritis[b], non verentes appellasse poteratis, tanto quippe armatorum cunio stipatus, ut non facile cederetis etiam prepotenti. Verum nec armatura pro defensione appellationis indiguistis; quia, licet hoc vos dicatis, non solent nostri districtis gladiis de appellationibus, quae ad domnum papam fiunt, iudicare. Laici duces verbi nostri nec sunt nec fuerunt; nec inimici vestri iudices extiterunt, presertim cum nullum ibi fuerit exhibitum iudicium, set tantum de pace componenda consilium habitum. Nostri homines, nostri parrochiani, vobis ad nos tendentibus, si personae vestrae, si rebus vestris nocere voluerunt, testor Deum, quia penitus ignoravi. Conductum nostrum, sicut poposcistis[c], transmisi; et quia ea die terminari causa non potuit, omnibus ad sua remeare volentibus, quos tardior hora protraxerat prefixa die secundum placitum utriusque partis, qua item ad pacem componendam conveniremus, cum conductu nostro in pace vos dimisi. Iniurias et dampna nec voluimus nec mandavimus vobis inferri. Videat Deus et iudicet. Pacientiam vestram, quam pretenditis, omnino non experti sumus, set iniurias; immo veteribus novas addidistis, quas quilibet in textu scripti vestri poterit legere et audire. Pro eo, quod quasi parturientem loqui vos minamini, parcat vobis[d] Deus et obstruat os loquentium iniqua. Certissime noveritis, nullius maiestatis audientiam, nullius dignitatis presentiam me reformidare, quia testis est mihi Deus, me simpliciter ambulare.

---

263. *Wibaldus Heinrico episcopo Mindensi rescribit, se eius offensionem in animo non habuisse.* (M. 245.)

1150 Domno H(einrico) venerabili Mindensi episcopo W(ibaldus) Dei gratia Corbeiensis abbas, magni consilii angelum.

Ex litterarum vestrarum tenore cognovimus, quod offensa sit vestra sublimitas ex litteris nostris, quas proxime ad vos direxeramus; quae duriores et asperiores vestrae intelligentiae visae sunt, quam mediocritatem nostram scribere convenisset et

a. serviamus *c.* b. indigeritis *c.* c. popocistis *c.* d. nobis *c.*

vestram celsitudinem accipere decuisset. Quod erudicio vestra 1150
sciat eo consilio factum esse, ut, quoniam humiliter et pacifice multociens vobis super eodem negotio scripseramus et nec sermonem pacificum nec pacis effectum receperamus, certa tandem esset vestra prudentia, quod iudicem nos adire necessitas cogeret extrema. Absit enim a nostrae humilitatis proposito, ut pontificalem excellentiam, maxime in persona monasticae religionis, quoquam temerario[a] vel contumaci elogio impetere presumamus. Verum quoniam eedem litterae vestrae nichil certi, nichil finitivi super causa nostra continebant, nos quoque, sicut nichil determinati, ita nichil novi vestrae magnitudini potuimus rescribere; cum vobis et aecclesiae vestrae viva voce tam per nos quam per honestos et magnos et plurimos intercessores frequenter et instanter obtulissemus, quicquid ad satisfactionem persuadere humilitas, quicquid ad correctionem poterat dictare iusticia. De quibus omnibus si aliquod capitulum eligere et nobis significare vobis complacuisset, sicut in offerendo fuimus devoti, ita in exhibendo essemus parati. Et hoc erudicio vestra indubitanter potuit advertere, quod in verbo et promisso nostro nulla latens erat tergiversatio, cum electorum iudicum, a quibus apellare non licet, sentenciam subire vellemus, domini videlicet et patris nostri Patherburnensis episcopi nec non reverendi Monasteriensis episcopi atque dilectissimi nostri Osnebrugensis episcopi. Diem vero colloquii, quae interposita erat, nullatenus osservare possumus; quia, cum absque misericordia[b] a vobis recesserimus, de causa nostra apud quasdam magnas personas agere tempore indicti colloquii disposuimus. Quod ideo a nostris mediatoribus scienter ordinatum fuit, non ut observaremus[c], set ne a vobis indecenter et tamquam hostiliter recederemus.

---

264. *Heinricus episcopus Mindensis Bernhardi episcopi Paderbornensis consilium de mordacibus Wibaldi ad se litteris desiderat.* (M. 246.)

Venerabili domino sanctae Patherburnensis aecclesiae epi- 1150

a. quicquam temerarium *c.* b. misericordiae *c.* c. *an* non ut diem colloquii non observaremus?

1150 scopo B(ernhardo) H(einricus) per misericordiam Dei id quod est in aecclesia Mindensi, fidelis obsequii devotionem et orationes in Christo assiduas.

Non potest civitas abscondi super montem posita[1]. Sic et virtus et benignitas fideique vestrae constantia circa nos habita, cum de causa domni abbatis Corbeiensis et nostra tractaretur, non fuit abscondita et obumbrata; ideoque sublimitati vestrae debitas et condignas gratiarum actiones referimus et obsequii nostri devotionem ad honorem vestrum propensius inpendere parati sumus. A principio huius discordiae vestrum secuti sumus consilium; et cum prefinitum tempus et a vobis constitutae advenirent induciae, consilium vestrum nobis erat recipiendum et tenendum; et nichil aliud in corde et opere de prefato negocio sumus machinati, nisi quod honesto fine et laudabili conclusione omnis controversia per consilii vestri dispositionem deberet terminari. Dum vero meorum fidelium consilio ad ea, quae erant pacis et karitatis, me prepararem, domnus abbas Corbeiensis vester amicus duris scriptis[2] et aspera invectione nos est aggressus; per quod dignitas et reverentia vestri nominis, si nobiscum sentitis, nichilominus est lesa et sauciata, quia infra datum et a vobis constitutum terminum nulla molestia, nulla minarum asperitate nos debuit conturbasse. Super his igitur, sicut scitis, honorem vestrum providete; et ea, quae nobis fuerint saluberrima et ad honestatem magis spectantia, sicut de karitate vestra confidimus, per presentem nuncium et per scripta vestra consulite.

---

265. *Bernhardus episcopus Paderbornensis Heinrico episcopo Mindensi rescribit, se paci inter eum et Wibaldum conciliandae operam daturum esse.* (M. 247.)

1150 Venerabili domino H(einrico) sanctae Mindensis aecclesiae episcopo B(ernhardus) Patherburnensis aecclesiae id quod est, fraterni obsequii et orationis suae fidelem exhibitionem.

Quia quae pacis sunt sectari iubemur[3] et pacificis aeterna

1. Matth. 5, 14. 2. ep. 260 supra p. 385. 3. Rom. 14, 19.

beatitudo promittitur[1], idcirco pacis et bonae compositionis studio 1150
ad sopiendum discordiae malum, quod inter vos et abbatem Corbeiensem, revera amicum nostrum, est natum et cum accessu temporum est augmentatum, cum fratribus nostris laborem nostrum libenter impendimus. Cui licet speratus effectus minime accesserit, tamen, quia hunc vestra nobis recognoscit dignatio, valde gaudemus et ad ipsum, si expedierit, resumendum efficimur promptiores. Consilium autem sanius eo, quod Hamele vobis intimavimus, fratribus nostris Hildeneshemensibus prepositis in eo ipso nobis assentientibus, nunc invenire nequimus; in quo omnium nostrum honori sufficienter provisum esse existimavimus. Vestrae igitur discretionis sagacitati deliberandum relinquimus, nobisque familiaribus scriptis insinuandum, si vel tunc propositam vel aliam competentem reconciliationis viam sustinere dignemini. Quod si a vobis sine ambiguitate cognoverimus, ne videlicet labor noster fiat irritus, si iterato eum assumpserimus, ut domnus abbas in loco, ad quem tutus ei sit accessus, vobis occurrat, et ut dissensio presens honestum finem accipiat, quantum poterimus, fideliter laborare non cessabimus.

---

266. *Wibaldus Stabulensibus scribit de sua cum Heinrico episcopo Mindensi controversia. Hortatur, ut suam absentiam patienter ferant.* (M. 248.)

Frater W(ibaldus) Dei gratia Stabulensis aecclesiae servus 1150
R(oberto) venerabili decano et caeteris dilectis filiis Stabulensis exeunte Maio
aecclesiae fratribus benedictionem et vitam usque in seculum.

Meminit dilectio vestra, quanta vigilantia, quanta devotione in sublevandis et promovendis rebus dilectae matris nostrae Stabulensis aecclesiae semper intenti fuerimus; quod et deinceps non segniori instantia, in quantum Deus laboribus nostris adesse dignabitur, faciemus. Nam quod ad sublevandas necessitates vestras, mox ut a servitio domni regis et a curia ipsius expediti fuimus[2], transire ad vos distulimus, impedierunt nos multiplices curae et gravissimi labores, quos in Corbeiensi aecclesia

1. Matth. 5, 9. 2. Apr. 20. V. ep. 251 supra p. 374 n. 3.

1150 exeunte Maio suscepimus; ad quam vestro consilio ac vestra licentia secundum divinam ordinationem pervenimus, in qua etiam a primo ingressu nostro in laboribus hominum fuimus et cum hominibus flagellati sumus[1]. Labores, quos in eadem aecclesia graviores sustinemus, sunt de aecclesia Kaminatensi[2], de quibus ex parte fraternitas vestra audivit; in quos ex communi fratrum et fidelium aecclesiae sententia in innocentia quidem nostra ingressi sumus, set duras tribulationes pro eodem capitulo sustinuimus, dum ad perficienda quae inchoavimus et ad retinenda eadem bona aecclesiae devote ac fideliter assistimus. Nec ab ea hoc tempore salvo honore nostro aliquatenus recedere possumus, nisi eam in maximis perturbationibus deserere velimus, quod nec vestram fraternitatem velle credimus nec nostrae honestati congruum scimus. Proinde dilectissimam nobis fraternitatem vestram rogamus, ut moram nostram et absentiam equanimiter, quemadmodum sepe consuevistis, ut dilecti filii sufferatis, et defectus vestros in ea caritate, qua nos diligitis, pacienter toleretis; et maxime his diebus festis[3], in quibus maior concursus populi et maior frequentia apud vos esse solet, ne alicui paupertas vestra appareat, diligentius caveatis. Ceterum prepositum vestrum et cellerarium et ante exitum nostrum a vobis viva voce et postmodo per litteras nostras studiose commonuimus, quatinus cum omni diligentia curarent, ne aliquam negligentiam in prebenda vestra paciamini. Quam commonitionem nostram si bene servaverunt, non parvam gratiam sibi apud nos collocaverunt; si autem neglexerunt, non modicum nostram benivolentiam offenderunt. Mandavimus preterea decano, ut, si illi neglexerint, ipse tamen non negligat ac de communi consilio sive de rebus aecclesiae sive undecunque possit, si ita necesse fuerit, usque ad reditum nostrum defectus vestros suppleat. Ante omnia autem unanimitatem vestram intime monendo rogamus, ut benivolentia illa, qua nos sepe portastis, etiam nunc defectus vestros et moram

1. Ps. 72, 5. 2. i. e. de lite cum Heinrico episcopo Mindensi. 3. non est dubium, quin de diebus pentecostes (4 Iunii 1150) dicat Wibaldus.

nostram ferre curetis; quatinus in adventu nostro ad subvenien- 1150 exeunte Maio
dum necessitati vestrae tanto promptiores et alacriores nos inveniatis, quanto benigniores vos[a] interim nobis inpacientia vestra exhibueritis. Obsecramus etiam universitatem vestram, ut omnipotentis Dei misericordiam super nos et vestram atque Corbeiensem aecclesiam attentius invocare studeatis, ut ille pater pius, qui visitat in virga iniquitates nostras et in verberibus peccata nostra[1], misericordiam tamen suam a nobis et ab aecclesiis suis non dispergat.

---

267. *Wibaldus Stephanum S. Iacobi Leodiensis priorem hortatur, ut oblatam abbatiam suscipiat.* (M. 193.)

Frater Wibaldus Dei gratia Stabulensis ecclesiae servus 1150
dilecto fratri et amico Stephano ecclesiae sancti Iacobi priori electo[2], confortari in Domino.

Letatus sum in his, quae dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus[3]. Audivimus frater et letati sumus, quod fratres tui, spirituali patre orbati, te in regimen et pastorem animarum suarum concordi et unanimi voto pariter elegerint. Set tu, sanctae humilitatis conscius, onus inpositum ferre detrectas. Pia quidem et christianae religionis plena intentio, quod elegisti abiectus esse in domo Dei tui magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum[4]. Tibi quidem frater utile, set propter alios non necessarium; et sicut equitatis dictante iusticia ille repellendus est qui desiderat, sic canonicae rationis via ille cogendus est qui recusat. Age igitur frater divinae dispensationi gratias, quae et tibi humilitatis et temperantiae spiritum amministravit et te ad participium suae potestatis et nominis clementer vocavit. Accepimus enim spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: *Abba pater*[5]. Abba pater: Deus; abba pater: homo canonice et

a. *sic ex* vobis *correctum est in cod.*

1. Ps. 88, 33. 2. Stephanus III abbas S. Iacobi Leodiensis anno 1135 coenobium regere coepit, Stephanus IV anno 1150 (v. Annales S. Iacobi Leod. 1135 et 1150 in Mon. Germ. SS. XVI. 640, 641). Quare haec epistola ad annum 1150 pertinere videtur. 3. Ps. 121, 1. 4. Ps. 84, 11. 5. Rom. 8, 15.

1150 regulariter in prelationem monasterii electus. Sequere nunc frater ducem regulam, iuxta quam te victurum professus es; et licet de viribus tuis pro humilitate desperes, tamen, de gratia Dei confisus, suscipias iubentis imperium et humerum supponas ad ferendum. Domini sunt cardines terrae[1], hunc humiliat et hunc exaltat, ipse pauperem facit et ditat[2], et erigit de pulvere egenum, ut sedeat cum principibus et solium gloriae teneat[1]. Times maliciam temporum, abhorres sevitiam tyrannorum, vereris duriciam subditorum; sed spera in Domino et fac bonum[3]. Et utinam aperiat tibi Deus spirituales oculos, ut videre possis, quod multo plures sunt nobiscum quam cum illis, et recordare illius, qui de Saulo fecit Paulum. Prebe igitur cor tuum sapientiae et tene vocantem gratiam, precibusque nostris et ammonitioni atque consilio efficaciter acquiescens, ale matrem tuam, quae te lactavit; genitricem rege, quae te educavit, servi, fer curam. Petro dicit Christus: *Amas me? pasce oves meas*[4]. Si amas, pasce; si non pascis, non amas. Nemo te seducat inanibus verbis. Veritas non mentitur; probatio dilectionis exhibitio est operis. Nostram exiguam orationem, nostrum devotum auxilium, nostrum fidele servitium, ad solatium vocantis te ecclesiae, sinceritati tuae et promittimus et offerimus.

---

268. *Eugenius III papa Wibaldo mandat, ut Godeboldum canonicum Mindensem Everhardo ecclesiam Hemeringensem restituere cogat.* (M. 251.)

1150 Iun. 22 Eugenius episcopus servus servorum Dei dilecto filio W(ibaldo) Corbeiensi abbati salutem et apostolicam benedictionem.

Lator presentium E(verhardus) iam quinquies ad nostram presentiam venit. Pro quo siquidem venerabili fratri nostro H(einrico) Mindensi episcopo per scripta nostra precipiendo mandavimus, quatinus God(eboldum) canonicum suum districtius commoneret, ut aecclesiam beati Petri de Hemeringen et alia, per se vel per summissas a se personas predicto E(verhardo) ablata, infra 20 dies post susceptionem nostrarum litterarum cum inte-

1. Reg. I. 2, 8. 2. Reg. I. 2, 7. 3. Ps. 36, 3. 4. Ioh. 21, 17.

gritate restitueret et de caetero eum in pace possidere permitteret; si vero infra predictum terminum monitis eiusdem episcopi obedire contempneret, ex tunc ipsum ab aecclesiarum introitu duximus removendum, nec postea deberet absolvi, donec, pro excessibus suis satisfacturus, nostro se conspectui presentaret. Set sicut eius repetita querimonia indicat, nichil horum est effectui mancipatum. Nec ad nos venit nec aliquam excusationem pretendit, quare pauperem istum tantis oppressionibus aggravaret. Quia igitur oppressionibus et laboribus eius valde compatimur et tantam contumaciam pretermittere non possumus impunitam, per presentia tibi scripta mandamus, quatinus predictum God(eboldum) studiose commoneas, ut aecclesiam ipsam et ablata per se et alium in integrum infra 20 dies, postquam a te commonitus fuerit, eidem E(verhardo) omnino restituat et de cetero pacifice eum possidere permittat. Quod si facere contempserit, ex tunc ipsum G(odeboldum) excommunicatum publice denunties; nec a vinculo excommunicationis possit absolvi, donec pro tanta rebellione veniat ad nostram presentiam responsurus. Quicquid autem exinde a te fuerit factum, et modum ipsius negocii nobis tuis litteris quam citius studeas intimare. Data Albani 10 Kal. Iulii.

1150 Iun. 22

---

269. *Eugenius III papa Wibaldum de binis quae sequuntur epistolis certiorem facit. Addit de Arnoldo I archiepiscopo Coloniensi a sese in pristinam dignitatem non restituto.* (M. 253.)

Eugenius episcopus servus servorum Dei dilecto filio W(ibaldo) Corbeiensi abbati salutem et apostolicam benedictionem.

1150 Iun. 24

Litteras[1] dilectionis tuae debita benignitate suscepimus; et quia pro matre tua sancta Romana aecclesia tanquam devotus filius attentam sollicitudinem geris, gratum nobis est, et devotionem tuam in Domino collaudamus. Pro Caminatensi vero aecclesia, sicut rogasti, et de[a] eis, qui bona eius auferre dicuntur, Mindensi episcopo scripsimus; set pro causa, quam nobis tuis

a. de *addidi.*
1. ep. 251 supra p. 374.

1150 Iun. 24 litteris intimasti, reconciliari non debet, quoniam nec violentia nec pravo studio contigit. Bremensi quoque archiepiscopo iuxta peticionem tuam pariter scripsimus; et in caeteris, in quibus secundum Deum possumus, preces tuas libenter admittimus. Coloniensi autem archiepiscopo iccirco nostra scripta non misimus, quia, veniens ad nos, plenitudinem sui officii minime reportavit. Tua itaque interest, karissime fili, ut de honore ac profectu aecclesiae Dei et regni, sicut bene cepisti, ita effectu prosequente invigiles, quatinus et beati Petri gratiam et nostram merearis benivolentiam ampliorem. Data Albe 8 Kal. Iulii.

---

270. *Eugenius III papa Heinrico episcopo Mindensi scribit, ecclesiae Kaminatensi expiationem non opus esse, ablataque bona restitui cogat.* (M. 254.)

1150 c. Iun. 24 Eugenius episcopus servus servorum Dei H(einrico) venerabili fratri Mindensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Pervenit ad aures nostras, quod Kaminatensem aecclesiam pro eo, quod quidam monachus, dum resarciret ipsius aecclesiae tecta, casu corruerit et ita sine sanguinis effusione obierit, per unius fere anni spacium a divinis feceris cessare officiis, et eam reconciliare disponas. Set si res se ita habet, quod nec violentia nec pravo studio contigit, nulla ratione videmus, quod eadem aecclesia[a] propter hoc reconcilianda sit vel a divinis debeat cessare officiis. Preterea fraternitati tuae mandamus, quatinus Thidericum de Riclinge, Reimbertum quoque et Thidericum ipsius filios, qui predia ipsius aecclesiae contra iusticiam invasisse et[b] illicite detinere presumunt, districte commoneas, ut, si hoc verum esse constiterit, easdem possessiones aecclesiae ipsi restituant et ab infestatione ipsius loci omnino abstineant. Quodsi commonitioni tuae obedire contempserint, canonicam de ipsis iusticiam facias.

a. quod eadem aecclesia *bis leguntur in cod.* b. et *om. cod.*

---

271. *Eugenius III papa Hartwico archiepiscopo Bremensi mandat, ut Wibaldum in recuperandis bonis Kaminatensibus adiuvet.* (M. 255.)

Eugenius episcopus servus servorum Dei H(artwico) venerabili fratri Bremensi archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem. 1150 c. Iun. 24

Episcopalis officii est, venerabilia loca et personas diligere et eas in suis necessitatibus confovere. Ideoque fraternitatem tuam pro dilecto filio nostro W(ibaldo) Corbeiensi abbate duximus exorandam, quatinus eum fraterna caritate honores et diligas; et predia Kaminatensis aecclesiae, quae in tuo episcopatu consistunt, maxime illa, quae abbatissa Iudiht post depositionem suam alienare presumpsit, recuperare et manu tenere pro tui officii debito adiuves.

---

272. *Eugenius III papa, Conradum III regem ad se legatos missurum esse, gaudet. Monasterii Morbacensis negotium episcopo Lausannensi commissum nuntiat. Addit de Ottone, qui nasum clerico praeciderit.* (M. 257.)

Eugenius episcopus servus servorum Dei karissimo in Christo filio C(onrado) illustri et glorioso Romanorum regi salutem et apostolicam benedictionem. 1150 c. Iun. 24

Quod per sublimes legatos matrem tuam sanctam Romanam aecclesiam, sicut ex primis et secundis litteris excellentiae tuae percepimus, ex communi consilio principum regni tua destinavit serenitas visitare, ut[a] cum eis de statu et utilitatibus aecclesiae Dei ac regni tractare et ordinare possimus, nobis et fratribus nostris gratum et acceptum est. Et quoniam[b] eorundem legatorum prestolaremur adventum, nostros quoque legatos iam diu, sicut credimus, ad tuae nobilitatis industriam misissemus. Desiderium siquidem nostrum est, ut ea, inter aecclesiam et regnum quae á predecessoribus nostris et tuis statuta sunt, inter nos et maiestatem tuam ita Domino auxiliante firmentur, quatinus sponsa Dei universalis aecclesia suo iure quiete fruatur, imperium de-

a. et *c.* b. *sic cod.; an* nisi?

1150 c. Iun. 24 bitum robur optineat et christianus populus iocunda pace et grata tranquillitate letetur. Negocium vero Morbocensis monasterii, unde nos attencius exorare voluisti, antequam ad nos tuae regales litterae pervenissent, venerabili fratri nostro Lausannensi episcopo[1], de cuius utique prudentia et honestate valde confidimus, communicato fratrum nostrorum consilio, discutiendum et terminandum commiseramus. Unde visum est nobis et fratribus nostris, equitati fore contrarium, si in causa ipsa, altera parte absente, in presentiarum modis aliquibus procederemus[a]. Set ad eundem fratrem nostrum negocium ipsum direximus; qui, tanquam vir discretus et prudens et in regularibus disciplinis per longum temporis spacium eruditus, enormitates monachorum eiusdem loci salubriter corriget[b] et causae ipsi canonicum finem Deo auxiliante imponet. De caetero autem Ottonem illum, qui postposita Dei reverentia nasum cuiusdam clerici nefario ausu[c] amputare minime formidavit, nisi satisfacturus de tam gravi excessu apostolico conspectui se representet, absolvendi ab excommunicatione consilium habere nequaquam potuimus. In quem nimirum rigor regiae potestatis prius debuit acriter exarsisse, quam ad aures nostri apostolatus querela tanti facinoris pervenisset.

---

273. *Guido diac. card. S. Mariae in porticu Wibaldo rescribit, inter Conradum et Rogerium reges quae Bernhardus abbas Claraevallensis et Theodewinus episcopus S. Rufinae concilianda suscepissent, ea inscio papa incepta esse.* (M. 259.)

1150 c. Iun. 24 G(uido) Dei gratia sanctae Romanae aecclesiae diaconus cardinalis[2] dilecto ac venerabili fratri W(ibaldo) Stabulensi abbati salutem et dilectionem.

Comparata[d] nobis vestrae dilectionis in brevi collocutione noticia, et probitatis[e] et industriae vestrae multis argumentis nobis probata experientia ita animum nostrum vestrae fraternitati reddidit[f] affabilem et benignum, ut sim ego unus, quocum

a. precederemus *c.* b. corrigeret *c.* c. ausu *addidi.* d. Comparate *c.* e. probabitis *c.* f. redidit *c.*

1. Amadeo. 2. S. Mariae in porticu.

omnia ut vobiscum tutissime loqui possitis; vel si quid est, quod constitutae inter nos amicitiae vel brevitate temporis vel non adhibita hucusque verborum sponsione videatur deesse, id sine dubio suppleri credatis fervore dilectionis et indissolubili vinculo caritatis. Affectuosam vero sollicitudinem, quam erga matrem vestram sanctam Romanam aecclesiam usque modo vos habuisse et assidue habere litterarum vestrarum[1] series nobis manifeste declarat, debito benignitatis favore laudamus, et filialem devotionem vestram, solito pietatis officio matri vestrae sanctae Romanae aecclesiae subsidiaria ferre obsequia, vera in Domino caritate rogamus. Illud vero, quod a domno C(onrado) serenissimo rege per quasdam religiosas personas[2] perquisitum fuisse significastis, sciatis, de voluntate domni papae vel conscientia nullatenus processisse; presertim cum sciamus, hominem illum[3], de quo mentionem fecistis, nichil honorificentiae regii culminis exhibiturum[a], nisi regium adventum[4] in Tuscia vel in Romania[b] iam certo certius presentiret. Nec Romanae aecclesiae expediret, ut, ea exclusa, tales personae super tanto negocio convenirent. Set si ad partes Italiae regium culmen divina providentia traxerit, tunc sancta Romana aecclesia commode et honeste se interponere poterit; et domino nostro regi C(onrado) preces et quasi violentiam inferendo, illum vero minis et terroribus conveniendo, quicquid pium, quicquid sanctum, quicquid regiae magnificentiae dignissimum fuerit, sine ulla dubitatione poterit terminari.

1150 c. Iun. 24

---

274. *Conradus III rex Wibaldo scribit, ut Corbeiae usque ad diem 25 Iulii maneat; nuntium eius die 15 Iulii Rotenburgum venire vult.* (M. 250.)

C(onradus) Dei gratia Romanorum rex W(ibaldo) abbati Corbeiensi gratiam suam et omne bonum. 1150 ante Iul. 15

Quoniam tuae discretionis consilium in quibusdam negociis nostris tractandis necessarium habemus, rogamus te, ut circa Corbeiam usque ad festum sancti Iacobi[5] permaneas; et legatum

a. exhibitorum *c.* b. Romana *c.*

1. V. ep. 252 supra p. 376. 2. Bernhardum abbatem Claraevallensem et Theodewinum episcopum S. Rufinae. 3. Rogerium regem Siciliae. 4. Conradi regis. 5. Iul. 25.

1150 ante Iul. 15 tuum Idus Iulii[1] Rothenburg ad presentiam nostram dirigas, per quem voluntatis et propositi nostri certitudinem tuae dilectioni demandabimus.

---

275. *Wibaldus Godeboldum canonicum Mindensem mandato papae hortatur, excommunicatione proposita, ut Everhardo ecclesiam Hemeringensem restituat.* (M. 252.)

1150 Iulio ex. W(ibaldus) Dei gratia Corbeiensis abbas G(odeboldo) Mindensi canonico, magni consilii angelum.

Reverendus pater et dominus noster papa Eugenius parvitati nostrae per scripta[2] sua iniunxit, ut te commoneamus, quatinus aecclesiam beati Petri de Hemeringe et alia, per te vel per summissas personas latori presentium Everhardo ablata, infra viginti dies post acceptam admonitionem nostram cum integritate restituas et de cetero eum in pace possidere permittas; quod si facere contempseris, ex tunc te excommunicatum publice denuntiemus; nec te[a] á vinculo excommunicationis posse absolvi, donec pro tanta rebellione venias ad domni papae presentiam responsurus. Eam commonitionem, sicut iussi sumus, tibi per presentia scripta facimus; et insuper exemplum litterarum domni pape, quas pro hac causa nobis scripsit, tibi considerandum transmittimus, hortantes in Domino fraternitatem tuam, ut famae et quieti tuae provideas[b] et predicto E(verhardo) satisfacere et reconciliari non negligas. Arripe occasionem et fac de necessitate virtutem. Sciat dilectio tua, quod nos ista non quesivimus; set non obedire nequaquam possumus; et sicut tibi, ita et nobis durum est contra stimulum calcitrare[3].

---

276. *Conradus III rex Wibaldo mandat, Nurenbergam die 8 Septembris veniat ad legationem Romanam una cum Arnoldo cancellario suscipiendam. Addit de Heinrico episcopo Mindensi et Theoderico de Riclinge.* (M. 256.)

1150 Iulio ex. C(onradus) Dei gratia Romanorum rex W(ibaldo) Corbeiensi abbati gratiam suam et omne bonum.

a. te *addidi.* b. providens *cod.*

1. Iul. 15. 2. V. ep. 268 supra p. 396. 3. Act. 9, 5.

Postquam a nobis recessisti, fideles nostri de curia Romana sepius nos tum[a] per scripta tum[a] per privata consilia sua commonuerunt, ut nuncios nostros ad domnum papam et in Urbem pro regni negociis ordinandis dirigamus. Domnus quoque papa in litteris suis[1], quas novissime ad nos transmisit, asserit, se nuncios principales, quemadmodum altera iam vice in litteris nostris promisimus, expectare, qui inter nos et ipsum de provectibus aecclesiae et regni promovendis efficaci consilio proficiant. Quoniam vero virtus tua in negociis aecclesiae et regni exercita enituit et de tuo circa nos sinceritatis affectu certi sumus, regni utilitas poscit et nostra voluntas ordinavit, ut nostrae dilectionis obtentu uná cum cancellario nostro[2] legationis huius laborem assumas. Rogamus igitur obnixe, ut in nativitate sanctae Mariae[3] ita preparatus Nurenberc venias, ut in legatione illa peragenda procedas. De iniuria vero, a[b] Mindense episcopo[4] et Thoderico de Rikelinge tibi illata, quid fecerimus, H(eripertus) capellanus noster plenius tibi referet. 1150 Iulio ex.

---

277. *Heinricus regiae curiae notarius Wibaldo de epistolarum suarum brevitate respondet. Mittit fratrem suum. De Theoderico de Riclinge addit.* (M. 258.)

Domino suo W(ibaldo) venerabili abbati Corbeiensi H(einricus) regiae curiae notarius servitium servi. 1150 Iulio ex.

Arguit me prudentia vestra, quod breviter vobis scribere consueverim. Unde paternitas vestra non miretur[c]. Sive enim presenti sive absenti vobis loqui cepero, impedicioris et tardioris linguae et pene mutus efficior. Quem enim indeficiens eloquentiae vestrae torrens non deterreat? Est et alia causa, quae succincte me vobis loqui compellit. Multa quidem intelligo; set quia ad utrumlibet, scilicet ad esse et non esse, se habent, et de nullo certum vos reddere possum, superficie verborum serenitatem animi vestri pulsare reformido. In gratia, quam super fratre meo mihi promisistis, confisus, eundem ad respectum

a. dum *c.* b. a *scripsi pro* de *cod.* c. meretur *c.*

1. V. ep. 272 supra p. 399. 2. Arnoldo. 3. Sept. 8. 4. Heinrico.

1150 Iulio ex. gratiae et dominationis vestrae transmitto. Theodericus de Riclinge[a] in presentia domni regis de iniuria, quam vobis intulit, graviter pulsatus et a rege multum increpatus, promisit, ut pro respectu gratiae vestrae recuperandae de caetero vobis servire velit.

278. *Wibaldus Heinricum episcopum Mindensem secum gratiam reconciliavisse gaudet. Pollicetur, se ei et regem placaturum et apud papam profuturum esse.* (M. 266.)

1150 Iul. ex. — Aug. in. Reverendo in Christo patri et domino H(einrico) sanctae Mindensis aecclesiae venerabili episcopo frater W(ibaldus) Dei gratia Corbeiensis abbas exiguas orationes et devotum servitium.

Venientes ad nos dilecti filii vestri, venerabiles fratres nostri, domnus Warnherus maioris aecclesiae vestrae prepositus et magister Counradus, nunciaverunt nobis a paternitate vestra verbum bonum, verbum consolationis: quod videlicet ira vestra adversum nos versa esset in misericordiam, et procellam maximae commotionis Dominus, qui mari imperat et ventis[1], statuisset in auram[2]. Laetati itaque sumus in his, que dicta sunt nobis[3], quippe qui a longis retro temporibus desiderio desideravimus, probari posse vestrae sublimitati nostram innocentiam nostramque circa vos et circa sanctam Mindensem aecclesiam devotionem et reverentiam. Siquidem prenominatus prepositus vester Warnherus firmavit nobis coram fratribus nostris et consacerdotibus a vestra persona et aecclesiae vestrae, conserta manu sua in manum nostram, certitudinem et fidem in animam vestram et suam: quod fratres nostros, qui Kaminatae vel modo sunt vel postmodum futuri sunt, sicut subditos vestros et filios spirituales diligeretis, nec nobis aut ipsis, quod absque vestra permissione introierunt, de cetero imputaretis; set eos et bona Kaminatensis aecclesiae, que in vestro episcopatu posita sunt, debita et canonica iusticia fovere et protegere ac manutenere velletis; de iniuria vero et offensione, qua vos et aecclesiam Mindensem

a. Rielinge *c.*

1. Matth. 8, 26. 2. Ps. 106, 29. 3. Ps. 121, 1.

lesisse insimulati sumus, querelam de cetero non faceretis, set reconciliationem nostram in consilio dominorum nostrorum, episcoporum videlicet Patherbrunnensis[1] Monasteriensis[2] et Osnebruggensis[3] poneretis; et si unus quidem ex eis vel certe duo adesse non potuerint, totum verbum nostrum in voluntate et ordinatione domini nostri Patherbrunnensis episcopi dimitteretis. 1150 Iul. ex. — Aug. in.

Nos quoque de cetero paternitati vestrae et aecclesiae Mindensi devote servire parati erimus et officiositate nostra omnem commotionem, quam adversum nos habuisse dicebamini, per misericordiam Dei delinire studebimus, ut, ubi habundavit discordia, superhabundet karitas et gratia[4]. Nam quia domini nostri regis offensam vos incurrisse propter nos doletis, omnem indignationem eius, quam propter nos[a] habet adversum vos, ad purum vobis mitigare et serenare diligenter laborabimus; et omnes causas vestras non inferiori studio quam nostras provehere et ad effectum perducere, si non dedignamini nobis eas insinuare, deinceps studebimus. Denique, si nuncium vestrum et litteras excusatorias ad dominum nostrum regem in nativitate beatae Mariae[5] ad curiam Nurenberg, ad quam vocaverat vos, transmiseritis, hoc apud eum elaborabimus, quod clementer vobis rescribet et iram[b] simul et indignationem, quam pro nobis adversum vos habuit, tam per litteras suas quam per nuncium vestrum vobis benigne remittet. Quia etiam in legatione domni regis ad domnum papam in presentiarum transibimus, hoc quoque vestrae excellentiae firmamus, quod contra honorem vestrum et aecclesiae vestrae nihil cum domno papa tractabimus; set, si domnus papa scripserit vobis pro querela nostra, talia ad vos scribi faciemus, que cogent vos facere iusticiam de invasoribus rerum nostrarum, et tamen quietem vestram et pacem Mindensis aecclesiae non perturbabunt. Hoc quoque in hac compositione comprehensum fuit, ut, si Deus infra spacium huius morae nos de hoc seculo vocaverit, Corbeiensis aecclesia et successor noster,

a. nos *addidi.* b. curiam *c.*

1. Bernhardi. 2. Werneri. 3. Philippi. 4. Cf. Rom. 5, 20.
5. Sept. 8. Cf. ep. 276 supra p. 402.

1150 Iul. ex. — Aug. in. quem Deus in eadem aecclesia post nos ordinaverit, in eadem pace et concordia, que prescripta est, vobiscum et cum sancta Mindensi aecclesia fide inviolata consistat. Eadem, que prepositus Warnherus Corbeiae nobis coram fratribus nostris data fide in manum nostram spopondit et firmavit, magister Conradus apud Patherbrunnam domno episcopo Bernhardo coram aecclesia sua, data fide in manum eius, pro vobis in animam suam firmavit; et uterque eorum per osculum pacis suae, quod nobis dederunt, prepositus quidem Wernherus Corbeiae, magister vero C(onradus) apud Patherbrunnam, reconciliationem vestram et amiciciam nobis reddentes confirmaverunt.

---

279. *Wibaldus Conrado III regi rescribit, se sua pecunia suscipere legationem Romanam non posse. Petit, ut Heinricum episcopum Mindensem in gratia habeat.* (M. 260.)

1150 Aug. Inclito triumphatori domino suo C(onrado) Dei gratia glorioso Romanorum imperatori augusto frater W(ibaldus) eadem gratia id quod est in aecclesia catholica, salutem in eo, qui dat salutem regibus[1].

Venit ad nos Corbeiam capellanus vester Heripertus cum vestrae dignationis litteris[2], quae hoc continebant, quatinus in nativitate sanctae Mariae[3] Nureberch ad vestrae celsitudinis presentiam veniremus ita expediti et parati, ut cum cancellario vestro[4] legationem vestram ad domnum papam et ad Urbem perferremus. Et licet nos multas iniurias et gravia damna non solum toto preterito anno set etiam ad presens in contumeliam regni et nostram sustineremus, tamen iussionibus vestris tam ex debito quam ex devotione obtemperare studuimus. Et in
Aug. 9 vigilia beati Laurentii de Corbeiensi monasterio egressi, magnis itineribus versus Stabulensem aecclesiam tetendimus, quae multis rapinis incendiis et aliis vexationibus conquassata et attrita erat propter dissensionem, quae fuit inter Leodiensem episcopum[5] et advocatum ecclesiae nostrae[6] et comitem[7] de Monte Acuto. Ve-

1. Ps. 143, 10. 2. V. ep. 276 supra p. 402. 3. Sept. 8. 4. Arnoldo. 5. Heinricum II. 6. Henricum de Rupe. 7. Godefridum.

nientes itaque Coloniam ad venerabilem cancellarium vestrum, multa familiariter ac diligenter contulimus de oportunitate itineris nostri, de utilitate legationis nostrae; et non videbatur nobis pro parvitate nostri ingenii, quod iuxta qualitatem huius temporis et rerum vestrarum statum hoc tempore hanc legationem fieri oporteret, maxime cum incertum sit, quidnam rerum comes Alexander de Gravina[1] ab imperatore Grecorum referat. In ea igitur seria collatione cum, quid melius inter omnia esset, eligere temptaremus, audivimus á vestro cancellario, quod vestrae voluntatis esset, ut nostris propriis sumptibus vobis in hoc itinere serviremus. Verum, clementissime imperator, bene novit vestra serenissima maiestas, quod á principio imperii vestri publicis laboribus vestris nunquam defuimus, set tam in persona quam in substantia vobiscum semper, et pro vobis absque vobis frequenter, non sine gravi expensa militavimus; quod etiam nunc facere desideraremus, si tenuitas rerum nostrarum ullo modo pateretur. Sed cum in partibus Saxoniae per totum fere annum grandes expensas propter nostrorum dissensionem et rapinas Tiderici de Rikelinga fecerimus, nullo modo, iuxta nominis vestri excellentiam et huius legationis pondus, officium hoc arripere potuimus. Non itaque indignetur bonitas vestra nobis humilibus famulis vestris, semper et ubique ad servitium vestrum paratis, si hoc modo non implemus, quod implere nequaquam sufficimus. Set cum vel solus cancellarius vel cum eo Constantiensis[2] vel Basiliensis[3] vel Lausennensis[4] hac legatione possint apte fungi, nos bona venia quiescere et suscepta damna resarcire permittatis. Nam apud Corbeiam de verbo sumptuum itineris, á nobismet ipsis in hac legatione exhibendorum, nec per litteras vestras nec per nuncium aliquid intelleximus.

1150 Aug.

De Mindensi episcopo[5] suppliciter exoramus, ut ei gratiam vestram concedatis.

1. V. ep. 243 supra p. 365. 2. Hermannus ep. 3. Ortliebus ep. 4. Amadeus ep. 5. Heinrico.

280. *Conradus III rex Wibaldo scribit, se legationis Romanae impensas ei redditurum esse; die 29 Septembris Ratisbonam veniat, inde Romam cum cancellario iturus.* (M. 262.)

1150 Aug. ex. — Sept. in C(onradus) Dei gratia Romanorum rex W(ibaldo) abbati Corbeiensi gratiam suam et omne bonum.

Negotia, que nobis cum domno papa conveniunt, per alias personas nisi per tuam et cancellarii[1] nostri discretionem tractari non possunt. Preterea in processu legationis hinc ex parte fratris nostri imperatoris Constantinopolitani[2], inde etiam ex parte Rogerii[3] negotia se nobis[a] offerunt, in quibus tractandis aliquas personas preter vos admittere nec volumus nec possumus. Multas iuiurias et gravia damna, quae non solum toto anno preterito set etiam ad presens in contumeliam regni et nostram sustines, cappellano tuo H. referente, ad plenum intelleximus; et tempore oportuno in his complanandis pro debito nostro tibi assistemus. Rogamus igitur et certi esse volumus, quod laborem legationis nostrae ad domnum papam cum cancellario assumas, et in festo sancti Michaelis[4] Ratisbone cum ipso presentiam nostram adeas. Expensas itineris, quas per te habere non potes, positis vadimoniis tuis accredas; quae nos, Deo annuente, quam primum accepta oportunitate redimere parati erimus.

---

281. *Conradus III rex Nonantulanis scribit, Wibaldum abbatem et Arnoldum cancellarium brevi tempore in Italiam missum iri, commoda eorum tuituros*[b].

1150 Iul. ex. — Sept. in. C(onradus) Dei gratia Romanorum rex A(lberto) venerabili abbati de Nonantula, capitaneis eiusdem ecclesie A(zzoni) de Sala, B. et O. fratri suo, H. et toti populo de Nonantula gratiam suam et bonam voluntatem.

Audita oppressione vestra litterarum vestrarum insinuatione ac nunciorum vestrorum relatione, non parum turbati sumus.

a. vobis *c.* b. *assumpsi hanc epistolam ex Saviolii Annali Bolognesi I.* 2, 217 *et Tiraboschi Storia di Nonantola II.* 263; *qui eam ex apographo Nonantulano et ex codice Estensi descripserunt.*

1. Arnoldi. 2. Emanuelis. 3. regis Siciliae. 4. Sept. 29.

Nam devastationem vestram et huius castri destructionem honori 1150
nostro contrariam esse non ambigimus; et quisquis hoc malum Iul. ex. — Sept. in.
disseminavit, eum contra voluntatem nostram fecisse, cognoscet tota Italia. In proximis enim duos principes regni nostri, viros quidem discretos et magnae auctoritatis, abbatem videlicet Corbeiensem et A(rnoldum) cancellarium nostre curie ad partes ipsas transmittimus; qui negotia vestra de pace ex nostro precepto in melius commutabunt, et de pueris vestris recuperandis operam dabunt. Quos per omnia honorabitis et verbis eorum tamquam persone nostre fidem dabitis. Ut interim vero bene vos habeatis et viriliter pro castro nostro stetis, volumus et sub obtentu gratie nostre vobis precipimus. Quecunque vero vel persona vel civitas consilium et auxilium vobis prestiterit, nam omnes maiestatem nostram offendere[a], facilius gratie nostre serenitatem obtinere poterit.

---

282. *Wibaldus Arnoldo praeposito Coloniensi et cancellario significat, se tamen tot impensis toleratis legationem Romanam suscepturum esse.* (M. 261.)

Carissimo domino et amico suo A(rnoldo) venerabili sanctae 1150
Coloniensis ecclesiae maiori[b] preposito regiae curiae cancellario Aug. ex. — Sept. in.
frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, se ipsum et sua universa.

Sicut apud vestram celsitudinem ex parte deploravimus, satis dolendo miramur, utrum ex animo serenissimi augusti sit, an ex eorum, qui principem consilii locum apud ipsum tenent, suggestione fiat, quod divitiae nostrae tantae et tam amplae sibi
videantur. Primo enim post reditum suum[1] misit nobis Roge- 1149
rium de Ariana, ut ei vestes et arma pro suae dilectionis reverentia preberemus; quod nos studiose facientes, non minorem quam viginti marcarum expensam fecimus. Deinde vocati veni-
mus ad curiam Frankenevort nostra et vestra expensa non parva. Aug. 15

a. *sic edd.; an* contra omnes maiestatem nostram offendentes? b. venerabili *c.*

1. Hierosolyma.

1149 Dec. 24 Postmodum iussi venimus Bavenberch in comitatu magno, et 1150 Apr. 20 fuimus in curia 20[a] fere septimanis[1]; et licet á clementissimo principe liberaliter et honestissime detenti fuerimus, tamen nobis credite, quod in toto illo tempore, quo á Corbeia abfuimus, quadraginta marcas argenti de nostro expendimus. Set dicitur, quod trecentas marcas, quas ei debebamus, nobis remiserit[2]. At secundum conventiones et pacta nostra nec ei illas trecentas debuimus; et plus quam ducentas persolvimus, ea necessitate, quod debitam et promissam iusticiam, sicut in conditionibus nostris fuit, ab ipso non accepimus. Preterea, karissime mi amice, non est nobis incognitum, quid alii fratres et coabbates nostri in regno serviant; et non solum nobis pares set etiam superiores sunt, qui portavimus pondus diei et estus[3], quorum animam sepe pertransivit gladius[4]. Set missa istec faciamus. Non esset honestum domino nostro et ipsius imperio et nostrae parvitati, si[b] in tanta legatione exiliter appareremus. Set quia timemus, ne in hoc mandato á nobis non impleto aliqua indignationis occasio queratur, malumus in asino utcunque transire, quam in huius mandati cessatione tantum tempus, in devotissimis obsequiis expensum, amittere. Et felices labores nostri, qui de impossibili offensam merentur, cum ecclesia nostra ex eis grande non susceperit emolumentum.

---

283. *Wibaldus Arnoldum praepositum Coloniensem, regiae curiae cancellarium, rogat, ut Mazelinum regis marescalcum e carcere dimitti iubeat.*

1150 Carissimo domino et amico suo A(rnoldo) venerabili sanctae Coloniensis ecclesiae maiori preposito regiae curiae cancellario frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Miserunt ad nos communiter oppidani Aquenses, humiliter postulantes, ut indignationem, quam adversus Mazelinum[c], ma-

a. XX. *c.* b. si *addidi.* c. Mazel' *c.*

1. a die 24 Dec. 1149 ad diem 20 Apr. 1150 (v. ep. 251 supra p. 374) praeterierunt ipsae septimanae sedecim et dies sex. 2. Cf. ep. 222 supra p. 341. 3. Matth. 20, 12. 4. Luc. 2, 35.

rescalcum domni regis habetis, placare studeremus. Nos honorem 1150
vestrum plus diligentes, quam peticionibus eorum acquiescentes seu incommoditati captivi illius compatientes, monemus celsitudinem vestram, ut verba insulsa stolidi et temerarii hominis tantum pondus in corde vestro non habeant. Licet enim procax sit et insulsa verba proferat, tamen regnantis maiestas quodammodo offendi videtur in eo, quod captus in vinculis á proximis vicinis tenetur. Unde rogamus mansuetudinem vestram, ut pro domini nostri regis honore et vestra clementissima bonitate, nostra quoque humili intercessione, misericordiae vestrae aurem precibus nostris inclinetis, et hominem, quod solo verbo potestis, a vinculis absolutum, liberum esse iubeatis. Tempus enim erit, quando oportunius de iniuria vobis ab ipso illata vindictam reposcere poteritis.

284. *Wibaldus Arnoldo praeposito Coloniensi et regiae curiae cancellario scribit, diem statuat, quo eum conveniat, ut legationis suscipiendae causa ad curiam Ratisbonensem die 29 Septembris coniunctim occurrant.* (M. 263.)

Karissimo domino et amico suo A(rnoldo) sanctae Coloniensis 1150
ecclesiae maiori preposito regiae curiae cancellario frater W(ibal- Aug. ex. — Sept. in.
dus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, se et sua universa.

Tenorem litterarum[1] domini nostri regis tam ex nostro nuncio quam ex capellano eiusdem domini nostri, sicut accepimus, plene intellexistis. Porro nos licet in hac[2] et in Saxonica terra maximis et gravissimis curis coartemur, licet fratres nostros in defectibus pene intolerabilibus relinquamus, tamen, ne imputetur nobis, quod honor et dignitas et provectus Romani imperii per nos impediatur aut retardetur, parati sumus voluntati domini nostri satisfacere, etsi non secundum regiae dignitatis excellentiam, tamen pro possibilitatis nostrae prompta et abundanti benivolentia. Tutius enim hoc tempore et salubrius

1. V. ep. 280 supra p. 408. 2. eo intelligimus, hanc epistolam in monasterio Stabulensi scriptam esse.

1150 Aug. ex. — Sept. in. esse nobis iudicamus, utilitatem fratrum nostrorum postponere et ecclesias nostras in periculoso discrimine relinquere, quam non obediendo domino karissimo, iram, quam non meruimus, incurramus, et tot devota servitia, quae sepe et pene[a] assidue in regalibus aulis exhibuimus, tam repente amittamus. Ibimus itaque, ibimus, non sicut decet regiam maiestatem, set, sicut quondam de domo nostra quodammodo expulsi et exules, parvis sumptibus et paucis contenti comitibus. Significare itaque dignetur nobis vestra benignitas diem, qua ad vos veniamus, ita parati, ut ad curiam nobis condictam[1] vobiscum transeamus. Volumus enim in hoc itinere et in hac legatione, sicut et semper, devoti vobis in omnibus existere. Per presentem itaque nuncium scriptis vestris super hoc nos certificare curetis. Credimus autem, cum dominus noster tam instanter et attente nos mittere decreverit, quod aliqua magna et regno utilia ex nostra legatione provenire debeant.

---

285. *Arnoldus cancellarius Wibaldo exponit, quibus de causis legationem Romanam subire non possit. Rogat, ut se die 15 Octobris exspectet.* (M. 264.)

1150 Sept. Cancellarius domno abbati.

Voluntatem quidem domini mei tam ex nunciis quam ex litteris eius audivi, set inpossibilitatem meam ego solus cognovi. Ne igitur longam in scribendo moram faciam et per singula, quae impedimento mihi sunt, vagari incipiam, breviter finem rei vestrae dilectioni aperio. Si vobiscum hoc tempore Romam iturus essem, oporteret me omnibus que possideo renunciare et tunc solum et nudum proficisci. Nulla enim dies est, qua á fratribus et claustro abesse possim vel audeam, cum nec curtes eorum vel villici annonam vel servitia aliqua eis persolvant; verum de questu meo vivunt. Vinum omnino, sicut ipse scitis, in tota terra defecit; ipsi autem, plagam et manum Domini non attendentes, a me illud requirunt. Commonitum itaque et exora-

a. et pene et pene *c.*

1. Ratisbonensem, die 29 Sept.

tum vos esse volo, quatinus apud dominum meum, cuius mandato nunquam non optemperavi, me fideliter excusatum habeatis; quia vos legationi huic solus sufficitis, nec ego aliud vobiscum agerem, nisi sicut nuncius apparerem, nichil agens, nichil in presentia vestra loquens et, si loquerer, imperitiam meam ostendendo, quasi sorex meo indicio perirem. Si vero quindecim dies post festum beati Remigii[1] me expectare velletis et ego me interim expedire et preparare valerem, dominum meum vobiscum adirem; et quicquid facturus essem, salva gratia eius fieret. Valete. 1150 Sept.

---

286. *Wibaldus Arnoldo cancellario respondet, se regi de subeunda legatione obediturum. Vult eum vel ultra diem 15 Octobris exspectare.* (M. 265.)

Karissimo domino et amico suo A(rnoldo) venerabili cancellario frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est, se ipsum et sua omnia. 1150 Sept.

Verba, quae scripsistis nobis de difficultate egressionis vestrae et preparationis ad iter Romanum, nostra procul dubio sunt; et que conditio nobis sit in ecclesiis nostris, aut que possibilitas hoc tempore relinquendi fratres nostros, vos in vestris fratribus consideratis, cum videamus iam pre oculis imminentem fratribus nostris, non dicam karitatem annonae, set duram inopiam maximae sterilitatis. Licet igitur impium nobis esse videatur relinquere fratres nostros sub periculo famis et inopiae, ex altera tamen parte durum nobis esse videmus, iram principis incurrere et, una vice mandatum eius ex summa causarum necessitate pretereundo, omne servitium, quo ei et regno umquam servivimus, subito perdere. Angustiae quidem sunt undique[2], set melius est nobis hoc tempore, ut res nostras sub discrimine relinquamus, quam offensam domini nostri regis non satisfaciendo voluntati eius incurramus, et gratiam ipsius, pro qua servanda iam per multos annos laboravimus, pro aliqua negligentia modo perdamus, et res imperio vel imperantis honori oportunas atque

1. Oct. 15. 2. Dan. 13, 22.

1150 Sept. sanctae aecclesiae proficuas aliquatenus retardemus. Quod vero scripsistis nobis, quod nos soli ad hanc legationem sufficeremus, et vos loco comitis in eadem legatione constitutum reputastis, non ita erit; set vos in hac legatione maior et dignior estis quam vel Coloniensis vel Moguntinus, quia claves regni vos habetis et summam consilii in regno vos regere debetis; unde etiam nos comites et fideles famulos in obsequio vestro habebitis. Quia igitur iussio[a] regis urget, etsi male possumus, tamen ibimus, ut voluntati eius satisfaciamus; et personam nostram ad voluntatem ipsius laboribus ac periculis exponimus. Quoniam vero pueros nostros, quos in hoc itinere habebimus, adhuc de Saxonia vocabimus, rogamus, ut diem certum nobis designetis, quo ad vos usque Rinthorp veniamus, ita parati et expediti, ut una vobiscum ad domnum regem progrediamur. Quam videlicet diem designandam neminem, nisi scedulam vestram, scire volumus. Nam de quindecim diebus post festum Remigii, quibus nos expectare rogatis, gratum habemus[b]; quibus ad voluntatem vestram etiamsi paulo plus expectaveritis, nos libenter expectabimus; ita tamen, ut hoc caveatis, ne tempus eundi usque in asperam hiemem protrahamus. Ceterum nunc vestrae operae incumbebit, ut, quemadmodum per nuncium nostrum nos iam fecimus, ita et vos per nuncium vestrum tam nos quam vos, quod prefixa die ad curiam non veniemus, apud dominum nostrum regem diligenter excusare curetis.

---

287. *Heinricus episcopus Mindensis Wibaldum rogat, hortetur Everhardum presbyterum Hemeringensem, ut oblatam compensationem accipiat*[1]. (M. 268.)

1150 Aug. ex. — Sept. in. Domino sanctae Corbeiensis aecclesiae reverendo abbati W(ibaldo) H(einricus) per misericordiam Dei Mindensis aecclesiae episcopus assiduas in Christo orationes et fidelis obsequii devotionem.

a. iusssio *c.* b. hāmus *c.*

1. Hanc epistolam prope Stabulense monasterium die 15 Septembris sibi allatam esse, docet Wibaldus in ep. 303 infra p. 432.

Magistri Godeboldi, dilecti fratris nostri, vitae innocentiam et totius habitus sui rectitudinem vestrae discretionis auribus ex veritatis experimento testificari possumus. Et de importuna querimonia, quam adversus eum Everhardus presbiter de Hemerin iniuste suscepit, multo libentius et plenius vobiscum viva voce quam per scripta tractatum haberemus, si locus et tempus mutuis verbis accommodatum fuisset. Quotiens enim predictus E(verhardus) presbiter a domno papa litteras nobis apportavit, nos parati fuimus ei iusticiam facere. Et magister G(odeboldus) coram nobis et tota Mindensi aecclesia suam expurgationem canonice obtulit, quod nec per se nec per summissas personas illius bona unquam diripuisset; et hoc ex nostro testimonio certum habeatis, quod eandem expurgationem coram domno papa iam dudum obtulisset, si continuae infirmitatis imbecillitas non obstitisset. Nuper vero, auditis litteris domni papae[1], quas idem E(verhardus) attulit, et vestrae serenitatis commonitione superaddita[2], ut pax et finis laboris ad prenominatas perveniret personas, presbitero E(verhardo) tria talenta[a] pro amore et quiete fratris nostri G(odeboldi) persolvere voluimus, et de aliis personis, a quibus sua bona conqueritur distracta, aecclesiasticam nos facturos iusticiam promisimus; ex quibus nullam partem pro consilio nostro contingere voluit, set repetita querimonia sedis apostolicae iusticiam se expetiturum affirmavit. Set quia pacis estis amator et super fraterna infirmitate misericors, vestrae prudentiae supplicando committimus, ut totius controversiae turbinem per vos et nostra parvitate mediante terminare studeatis: ut videlicet predictum E(verhardum) verbis vestris districte commonitum ad nos redire iubeatis, ut, deposito labore, prefatae conventionis fructum recipiat et de cetero, si vir bonus fuerit, in pace sua possideat. Quod si fieri non potest, in hoc Mindensis aecclesia vestrae caritatis sentiat affectum, ut apud domnum papam nostrum dilectum filium magistrum G(odeboldum) excusare satagatis, et de sepius repetitis querimoniis sui adversarii ei pacem componere studeatis.

1150 Aug. ex. — Sept. in.

a. tal' *c.*
1. ep. 268 supra p. 396. 2. ep. 275 supra p. 402.

288. *Heinricus Leo Wibaldo scribit, se bona Corbeiensia tuenda suscepisse. Regi papaeque commendari vult.* (M. 269.)

1150 W(ibaldo) venerabili Corbeiensis aecclesiae abbati H(einricus) Dei gratia dux Bawariae et Saxoniae fidele servitium.

Iuxta peticionem vestram bona aecclesiae vestrae sub tuitionis meae munimen recipio, et tam in his quam in ceteris, que ad honoris vel utilitatis vestrae profectum respiciunt, promptum me et fidelem exhibeo. Unde et ego, de vestra vicissim benivolentia securus, confido, quod memoria mei in benedictione sit apud vos tam coram domno papa quam coram rege.

---

289. *Wibaldus Hasterienses hortatur, ut Theoderico abbati Walciodorensi obediant; alioquin eos in papae iudicium vocat.* (M. 270.)

1150 Aug.—Sept. Frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, I. venerabili Hasteriensis[a][1] aecclesiae priori et ceteris in eodem loco Deo et paci militantibus benedictionem et vitam usque in seculum.

Non est opus, eruditioni vestrae replicare, quanto karitatis affectu aecclesiam vestram[b] et vos dilexerimus. Opera enim nostra testimonium hactenus nostrae erga vos dilectioni ferre potuerunt. Audivimus vero, quod nequaquam de vestra fraternitate audire putavimus[c], quod videlicet, terminos quos posuerunt vobis patres vestri transgredi attemptantes, matrem vestram aecclesiam Walciodorensem et domnum abbatem T(heodericum), qui per eam vestro etiam loco regulariter preest, contra eiusdem aecclesiae privilegia et vestrae religionis propositum novis et superfluis motibus fatigare incipiatis. Siquidem hoc certissime constat, quod aecclesia Walciodorensis ab initio fundationis suae aecclesia Hasteriensi et villa et omnibus appenditiis eius per privilegia imperatorum et regum et precipue decreto[d] Benedicti papae septimi aucta est, et inibi ordo monasticus ab abbate

a. Hasteriensi *c.* b. vestram *addidi.* c. potuimus *c.* d. et precipue *iterum in cod.*

1. Hastière-Lavaux coen. ad Mosam fl., a Waulsort inter septemtriones et occidentem.

Walciodorensi constitutus; vestram vero aecclesiam eidem aecclesiae subditam et eiusdem loci abbate contentam esse debere, nullus est qui ambigat. Nos igitur, qui de numero filiorum Walciodorensis ecclesiae sumus, vestros quoque fratres nos esse cognoscentes, hoc universitati vestrae consilium mittimus, ut, quantocius potestis, ad pacem et concordiam cum abbate vestro et fratribus redire festinetis, contenti consuetudine et rebus vobis á patribus vestris constitutis; neque enim meliores estis quam patres vestri. Si autem primo discretionis nostrae consilium et litteras accepissetis, nequaquam[a], ut credimus, tantum processisset causa vestra, neque odor bonae opinionis vestrae versus fuisset in fetorem. Quodsi, consiliis nostris acquiescentes, ad pacis et concordiae unitatem tetenderitis, nostram artius benivolentiam consequemini et bonorum filiorum et fratrum locum et nomen apud nos optinebitis. Sin autem, in vestra manentes pertinacia, nostris monitis salubribus non obaudieritis, ex tunc ad audientiam domni papae vos appellamus, et diem vobis in circumcisione Domini[1] prefigimus, ita paratis, ut, de quibus vos interpellaverimus, nobis respondeatis.

1150 Aug.—Sept.

---

290. *Wibaldus a Stephano episcopo Metensi petit, ut Hasterienses ecclesiae Walciodorensi parere cogat.* (M. 271.)

Reverendo patri suo et domino S(tephano) sanctae Metensis ecclesiae venerabili episcopo frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

1150 Aug.—Sept.

Novit, reverende pater, vestra prudentia, quod ab inicio dilectionis vestrae, quam nobis familiariter offerre dignatus estis, sincere karitatis affectu vos et vestra omnia dileximus et, ubicunque locorum fuimus, honori personae et ecclesiae vestrae pro modulo nostro astitimus. Ea confidentia paternitatem vestram precari audemus et exoratam esse deposcimus, quatinus ecclesiam Walciodorensem, quae nobis naufragium mundi huius fugientibus habitum monachicum induit[2], in sua iusticia et honore,

a. nequam *c.*

1. 1151 Ian. 1. 2. anno 1117 Mart. 19. V. Not. Stabul. supra p. 74.

1150 Aug.—Sept. iuxta quod in privilegiis imperatorum et regum videre poteritis, esse et permanere iubeatis. Neque enim sanctitatis vestrae aures pseudomonachis Hasteriensibus accommodare oportet, qui otio vacantes fabulis student, vana et superflua meditantur et pacem ecclesiae conturbant. Siquidem ecclesia Walciodorensis ab initio fundationis suae aecclesia Hasteriensi et villa et omnibus appenditiis eius per privilegia regum et imperatorum et precipue decreto Benedicti papae septimi aucta est, et inibi ordo monasticus ab abbate Walciodorensi institutus. Quod cum ita sit et in memoria apud plerosque habeatur, quod defuncti etiam fratres de Hasteria in cimiterio Walciodorensi antiquitus sepeliebantur, rogamus sanctitatem vestram, ut temeritatem insanientium monachorum Hasteriensium auctoritatis vestrae virga compescatis et, ut ad pacem et concordiam fratrum suorum redeant, compellatis; aut, si contemnunt, tanquam rebelles et apostolicis decretis inobedientes, de monasterio eici faciatis. Responsum vestrum tempestive, humiliter et obnixe flagitando, expectamus. Nam in proximo pro legatione domini nostri regis et regni Romam proficisci intendimus, ubi etiam Walciodorensis abbatis causam promovere omnimodis satagemus.

---

291. *Stephanus episcopus Metensis Wibaldo delegat, ut Hasterienses ad obsequium ecclesiae Walciodorensis reducat.* (M. 272.)

1150 Aug.—Sept. Stephanus Dei gratia licet indignus Metensis episcopus W(ibaldo) venerabili Stabulensi abbati salutem et dilectionem.

Quod de dilectione ac familiaritate mea vos confidere dicitis, sciatis pro certo, quod inde quam plurimum confidere potestis. De monachis vero Hasteriensibus quod scripsistis mihi, quia quasi quadam taurinae cervicis feritate ecclesiae Walciodorensi subesse reluctantur, sagacitati vestrae committo, quatinus in eodem tenore et modo, quo eos antiquitus fuisse didicistis et scitis, etiam nunc precepto ac voluntate mea manere compellatis. Si enim in compage[a] corporis capitis illius volunt manere, quod Christus est, oportet eos, sicut membra corporis ca-

a. compace *c*.

piti, ita propriae ac matri suae Walciodorensi ecclesiae, si ita est, ut asseritis, humiliter subiacere. Sciatis enim pro certo, quod ea, que auctoritate pontificum, liberalitate principum caeterorumque assensu catholicorum fidelium bene ac legitime antiquitus instituta sunt, nolo quasi quadam levitate meo tempore permutare. 1150 Aug. — Sept.

---

292. *Wibaldus Theoderico abbati Walciodorensi mandat, ut Hasteriensium consilia investiget, sibique diplomatum bullarumque Walciodorensium exempla mittat.* (M. 273.)

Reverendo patri suo T(heoderico) Walciodorensi abbati frater W(ibaldus) Dei gratia id quod est in aecclesia catholica. 1150 Aug. — Sept.

Dominus in lege precipit: *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram*[1]. Cuius precepti nos quoque memores, si quid emolumenti personae ac ecclesiae vestrae, nostrae utique matri, nostro studio ac labore provenit, omnimodis gaudemus; et ut amplius et honoris incremento et utilitatis augmento multiplicetur, pro facultate nobis á Deo concessa fideliter laborabimus. Verum quia in processu legationis nostrae iam sumus, mandamus, ut, perscrutata diligenter Hasteriensium intentione — sive dissensionis, quod absit, sive reconciliationis, quod Deus concedat — usque Lucae euangelistae[2] de omnibus certi per vos efficiamur. Exemplaria etiam privilegiorum tam imperatorum quam pontificum Romanorum optime correpta nobis mittatis, ut, si necesse fuerit, ad Urbem ea portantes, per veritatis quae Christus est librationem[a] et ipsorum attestationem iusticiam et honorem ecclesiae vestrae manuteneamus.

---

293. *Stephanus episcopus Metensis Theodericum abbatem »Hasteriensem« ad synodum vocat, monachis Hasteriensibus responsurum.* (M. 274.)

S(tephanus) Dei gratia Metensis episcopus T(heoderico) Hasteriensi abbati salutem et dilectionem. 1150 Sept. — Oct.

a. liberationem *c.*

1. Exod. 20, 12. 2. Oct. 18.

1150 Sept. — Oct. Hasteriensis cenobii quidam fratrum se nobis presentaverunt et, quod eorum aecclesia multis modis per vos minoratur et bona ipsius per negligentiam vestram contra licitum distrahuntur, multum conquesti sunt. Quoniam igitur illius ecclesiae providentia ad nostrum spectat honorem et illius defensio nobis specialiter incumbit, vobis precipiendo mandamus, quatinus in proxima Metensi synodo, quae sequenti septimana post missam omnium sanctorum[1] celebratur, vos cum ipsis monachis ante presentiam nostram, omni remota occasione, veniatis: quatinus, audita utriusque partis calumnia et defensione, utrimque servata equitate, inter vos nostra iudicet discretio. Precipimus insuper, quod inter eundum et redeundum monachis conquerentibus necessaria stipendia ministrare non recuset vestra provisio.

---

294. *Wibaldus Stephanum episcopum Metensem reprehendit, quod de Hasteriensibus inconstanter egerit; obtestaturque, ut Theoderico abbati Walciodorensi parcat.* (M. 275.)

1150 Sept. — Oct. Reverendo patri suo et domino S(tephano) sanctae Metensis aecclesiae venerabili episcopo frater W(ibaldus).

Recordatur discretio vestra, quod ante paucos dies sinceritati vestrae scripsimus pro negotio dilecti patris nostri T(heoderici) Walciodorensis abbatis, videlicet de rebellione[a] monachorum Hasteriensium. Qui, ordinis monastici et disciplinae regularis inmemores, non solum inobedientes set etiam aperte rebelles eidem abbati suo extiterunt; donec clamor contumaciae ipsorum ad aures domni Leodiensis episcopi[2] perlatus est, et iudicio tam archidiaconorum[b] quam abbatum ac totius cleri ab officiis divinis suspensi sunt, quousque á pertinacia sua resipiscerent et tum ipsi episcopo tum abbati suo, quem contempserant, condigne et regulariter satisfacerent. Siquidem in Hasteriensi monasterio erant duo circumcelliones Iul.[c] videlicet et M.; quos, vagantes et peregrinos et egentes pane, abbas pro summa misericordia susceperat, in tempore hospitalitatis ipsorum probaturus, si con-

a. *sic ex* rebellatione *correctum est in cod.* b. archidiacorum *c.* c. ıul *c.*
1. 1150 Nov. 5—11. 2. Heinrici II.

versatione digni existerent, quos speciali fraternitatis vinculo fratrum collegio deberet aggregare. Verum ipsi non solum enormiter vivebant, set etiam inter monachos Walciodorenses et Hasterienses atque ipsum abbatem scandala et discordias accurato studio serebant; ita ut, proiecto interdum sacro et regulari habitu, armis accincti, possessiones Walciodorenses invaderent et terminos ipsorum absque[a] ulla iuris assertione convellerent. Quod cum abbas corrigere diu dissimulasset et orientia mala falce iusticiae resecare distulisset, tandem, nostro et coabbatum suorum consilio ammonitus, capitulum intravit Hasteriensium et, fretus auctoritate sacrosanctae regulae beati patris nostri Benedicti, dixit honeste advenis et hospitibus, litium seminatoribus, ut recederent. Quod illis facere detrectantibus et convitia in abbatem impudenter iacientibus, precepit aliis, ne eos in consortio suo retinerent et, quamdiu duo illi intra monasterii edes habitarent, ab officiis divinis omnes prorsus abstinerent. Ceterum ipsi conversi sunt in arcum pravum[1] et in utroque obedire contempserunt, tam illos, qui iussi fuerant egredi, detinendo, quam illis presentibus et cum illis divina officia temere exercendo. Quae, ut supra diximus, violenta non sine divini nominis contemptu presumptio ad Leodiensem ecclesiam perlata est et canonico iudicio debita animadversione est punita. Hanc causam cum excellentiae vestrae per litteras et nuncium insinuavissemus et supplices preces pro statu matris nostrae Walciodorensis ecclesiae vestrae magnitudini effudissemus, placuit celsitudini vestrae nostrae parvitati rescribere, ut monachos Hasterienses voluntate ac vice vestra compelleremus, debitam reverentiam Walciodorensi cenobio et abbati suo exhibere[2]. Ceterum nos, qui parati et accincti sumus in legatione domini nostri regis proficisci, tam molestis negotiis nequaquam implicari potuimus. Set idem Hasterienses ad vos profecti litteras[3] ad abbatem suum retulerunt, vestro nomine titulatas et sigillo vestro signatas, quas[b] ab eruditione vestra conscriptas et datas nequaquam credere potuimus

1150 Sept. — Oct.

a. atque *c*. b. quam *c*.

1. Ps. 77, 57. 2. V. ep. 291 supra p. 418. 3. ep. 293 supra p. 419.

1150 Sept. — Oct. propter multarum rerum á ratione et auctoritate et usu dissonantiam. Nam paginae ipsius limen contra auctoritatem et usum positum est, cum illae litterae „*abbati Hasteriensi*" dirigantur, quod vocabulum nec auctoritas roborat nec usus confirmat. Siquidem Walciodorense cenobium á principio suae fundationis, ab annis videlicet 181, nomen et potestatem abbatiae optinuit; sic instituente loci eiusdem constructore, nobilissimo comite E(ilberto) et sanctissimo Metensis ecclesiae episcopo Deodeberto[1], sic etiam confirmante et per privilegii paginam asserente imperatore Ottone huius nominis primo[2]. Qui decreverunt, Walciodorum esse abbatiam; et tradiderunt ibidem in augmentum prestationis Deo servientium Hasteriam cum omnibus appenditiis suis, quam venerabilis Albero[3] Metensis episcopus, predecessor utique predicti D., ex proprio hereditatis iure ecclesiae Metensi et sancto Stephano prothomartiri tradiderat. Quod privilegia regum et imperatorum nec non Romanorum pontificum, Walciodorensi cenobio collata, et liber vitae sancti D.[4] plenius loquuntur. Hoc etiam usus usque ad nos absque ullius interruptionis impedimento servavit; nec inventus est, qui Hasteriensem nominaret abbatem, cum Hasteria cella sit et prepositura Walciodorensis abbatiae. Ratio etiam non admittit, ut tot vocabulis prelatio nostra tituletur, quot villas sub nobis esse contigerit. Incongruum enim esset, si quis vos, non á civitate et sede vestra *Metensem episcopum*, set potius á monasterio aliquo seu oppido aut vico vos *Gorziensem episcopum* aut *Vicensem* appellaret. Hoc etiam nec canones recipiunt nec leges admittunt, ut rebus suis spoliatus ad iudicium vocetur, quoniam non est privilegium, quo possit spoliari iam nudatus. Quod propterea dicimus, quia idem abbas[a] in proxima synodo vestra[5] ad presentiam vestram iussus est venire, Hasteriensibus monachis de controversia iam sopita iterum responsurus. Preterea cum hoc eodem anno tam abbatem

a. ad *sequitur in cod.*

1. immo Deoderico I (964—984). Cf. Chronicon Valciodorense ap. D'Achery Spic. II. 713. 2. 969 Dec. 16. Böhmer Regesta n. 363. 3. I (929—964). 4. V. Sigeberti Gemblacensis vit. Deoderici I ep. Mett. (Mon. Germ. SS. IV. 467). 5. Nov. 5—11.

quam monachos pro monachorum delatione in ius vocaveritis et omnem controversiam hinc et inde diligenter cognoveritis et tam iudicio quam consilio ecclesiae vestrae abbatem á monachorum accusatione, presertim falsa, absolveritis, non est credibile, quod contra canonici iuris rationem litem decisam refricari velitis. Et seculi leges dicunt, rebus iam iudicatis standum esse. Et quoniam apostolicae dignitatis culmen tam ordine quam professione tenetis, non estis iuxta apostolum levitate usus, ut sit apud vos *est* et *non*[1]: ut videlicet causam bene á vobis cognitam et preiudicatam nobisque ad terminandum commissam rursus ante tribunal vestrum in iudicium revocetis. Nam quod sepe dicti monachi conqueruntur, quod bona Hasteriensis ecclesiae per abbatis negligentiam contra licitum distrahuntur, ut apud propitium iudicem loquamur, vera fere dixerunt, cum de thesauris eiusdem ecclesiae tum in eundo ad vos tum in revertendo ad domnum Leodiensem calicem sex marcarum et crucem argenteam, ignorante abbate, expendisse asserantur, et multa preterea, quibus per inquietudinem suam et superflua litigia ecclesiam minoraverunt; nequaquam adhuc cessaturi, nisi animositas eorum fortiori disciplinae iugo reprimatur. Quamobrem sanctitatis vestrae genibus advoluti, obnixe precamur, ut misereamini iam deficientis inter has contentiones abbatis, parcite seni, parcite inopi, qui inter tyrannidem advocatorum et rerum omnium egestatem laborem vix tolerare sufficiet. Misimus ad vestram discretionem nostrum tam sanguine quam obedientia et caritate germanum, quem tanquam nos ipsos in omnibus et honorabitis et exaudietis.

1150 Sept. — Oct.

---

295. *Wibaldus Arnoldum cancellarium rogat, ut pannos sericos sibi mittat. De regis consiliis certior fieri vult.* (M. 292.)

Karissimo domino et amico suo A(rnoldo) venerabili sanctae 1150
Coloniensis ecclesiae maiori preposito regiae curiae cancellario frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, salutem et benedictionem.

1. 2 Corinth. 1, 17.

1150 Mittetis nobis per presentem puerum nostrum cindalia[1] candida, ut mittere disposuistis; quae cum rogaremus non dedistis, cum non peteremus obtulistis. Liberalitatem vestram et studium sensit status Stabulensis ecclesiae, sensit penu nostrum, sensit mensa nostra, sensit marsuppium nostrum, sensit stabulum nostrum. Set ut capella nostra pauper et modica sentiret largitatem munificentiam et liberalitatem vestram, neque Gallia neque Germania neque tota Grecia neque Oriens adiuvare potuerunt. Nos tamen grati et memores sumus et, ab omni ingratitudine rebus et animo alieni, plurima nos accepisse, et aut nulla vel pauca retribuisse cognoscimus. Si aliqua innovata sunt in consilio domini nostri[2] post recessum nostrum, nobis significare non gravemini.

---

296. *Conradus III rex Heinricum episcopum Mindensem de pace cum Wibaldo inita laudat et a vocatione liberat*[3]. (M. 267.)

1150 c. Sept. 8 C(onradus) Dei gratia Romanorum rex H(einrico) venerabili Mindensi episcopo gratiam suam et omne bonum.

Gratias nostrae mansuetudini egit fidelis noster Corbeiensis abbas tam per litteras quam per nuncios suos, quod ob nostrae dilectionis et mandati reverentiam omnem commotionem, quam adversus eum et aecclesiam ipsius habueras, remisisti, et monachos ipsius, quos in Kaminatensi aecclesia ordinaverat, in gratiam et pacem tanquam pius pater et bonus pastor recepisti et, de cetero te ipsos velle confovere et canonica iusticia defensare, firmiter promisisti. Quod licet morosius et serius effeceris, quam tuae industriae iniunctum fuerit, tamen pergratum habemus. Et experientiae tuae summopere iniungimus, ut eundem abbatem honores et diligas, et in omni oportunitate sua tam de Kaminatensi aecclesia quam de aliis rebus consilium ei et opem feras, et precipue contra Thidericum de Rikelinga, qui, postposito Dei timore et nostra ac regni reverentia, predictum abbatem et aecclesiam suam perturbare et infestare presumit. Ob

1. pannos sericos. 2. Conradi regis. 3. Hanc epistolam Nurenbergae circ. die 8 Sept. scriptam esse, ex ep. 278 supra p. 405 veri simile est.

hoc siquidem omnem indignationem et offensam nostram, quam 1150 c. Sept. 8
iuste merueras, tibi clementer remittimus, atque á vocationibus et iudiciis in te super hoc promulgatis te[a] absolvimus.

---

297. *Conradus III rex Wibaldo significat, se ob eius occupationes legationem Romanam Basileensi et Constantiensi episcopis detulisse.* (M. 278.)

C(onradus) Dei gratia Romanorum rex W(ibaldo) Corbeiensi 1150 Sept.—Nov.
abbati gratiam suam et omne bonum.

Experimento cognovimus et certi sumus, quod honori et provectibus nostris promovendis summa fidelitatis constantia indefessus assistas. Igitur, si rerum oportunitas postulasset, officium legationis nostrae ad domnum papam, quemadmodum expectavimus, assumsisses. Quoniam autem magna rerum difficultate te prepeditum esse cognovimus, bonae voluntati tuae gratias habentes, et ad cetera negotia nostra sinceritatis tuae obsequium nobis promptissimum esse non dubitantes, aliis principibus, Basiliensi scilicet episcopo[1] et[b] Constanciensi episcopo[2], legationis nostrae laborem ad domnum papam commisimus.

---

298. *Wibaldus Eugenio III papae scribit, se legationem Romanam suscepturum fuisse, si eam ecclesiae Romanae utilem fore credidisset. Has litteras afferentem commendat.* (M. 280.)

Reverendo in Christo patri suo et domino E(ugenio) uni et 1150 Sept.—Dec.
universali papae frater W(ibaldus) Dei et vestra gratia id, quod est in aecclesia catholica, filialem dilectionem et debitam per omnia subiectionem.

Non latet, pater karissime, celsitudinis vestrae prudentiam, quod, ex quo gloriosus atque inclitus Romanorum rex C(onradus), sanctitatis vestrae filius, a Iherosolimitana expeditione rediit, a latere suo legatos efficaces et industrios ad vestrae magnitudinis excellentiam destinare proposuerit. Ad quod strenue peragendum cum etiam nostrae parvitatis[c] persona et denominata et vocata

a. te *addidi.* b. et *om. cod.* c. pravitatis *c.*

1. Ortliebo. 2. Hermanno.

1150 Sept.—Dec. fuisset, eo usque perventum est, ut, iam parati et expediti ad proficiscendum, Lotharingiam exierimus. Quodsi nostri ingenioli tenuitas intelligere ullo modo potuisset, quod huius legationis labor ullatenus expediret catholicae aecclesiae ac vestrae dignitati sive Romani imperii incremento, nullatenus rebus nostris aut personae nostrae pepercissemus. Presentium lator Stabulensi aecclesiae iurę proprietario pertinere dinoscitur. Qui cum ad nos querimoniam detulisset, quod quidam God.[a], decanus aecclesiae beatae Mariae in oppido Traiectensi[1], domum, quae ei patrio et avito iure hereditario competit, violenter auferret, nos pro eo sanctitatis vestrae filio H(einrico) venerabili Leodiensi episcopo scripsimus, postulantes, ut decanum suum á tanta et insolita violentia potestate debita removeret. Set cum idem clericus ab iniusto proposito nollet cessare, dicens, illum, qui contra se agebat, excommunicatum esse, compulsus est idem laicus protectionis vestrae appellare[b] et adire presentiam. Solita itaque clementia, pater piissime, eum exaudire dignemini, ne tot labores et pericula frustra et in vanum se assumpsisse doleat, et ut[c] alii oppressi de vestra misericordia huius exemplo sperare doceantur.

---

299. *Heinricus episcopus Leodiensis Wibaldo significat de Heinrici comitis de Rupe et Heinrici comitis Namucensis in se iniuriis.* (M. 279.)

1150 Oct.—Dec. H(einricus) Dei gratia Leodiensis aecclesiae humilis minister domno W(ibaldo) eadem gratia venerabili Stabulensi abbati salutem et fraternam in Christo dilectionem.

Propter necessitates grandes ex inproviso nobis occurrentes minoribus negociis nequaquam vacare possumus. Non latet enim prudentiam vestram, fomitem huius mali, hactenus specie invidae adulationis protecti, calcata sub pedibus regalis reverentia maiestatis, omnes rupisse aditus simulationis. Comes enim de Rupe Heinricus treugas illas, quas per manum comitis Namucensis[2] et aliorum suorum in manus principum nostrorum stabili

a. God' *c.* b. appelare *c.* c. ut *addidi.*

1. Maastricht. 2. Heinrici.

pace firmaverat, nihil nobis contradicendo, incendiis et rapinis in nos et aecclesiam nostram inpudenter confregit, estimans, excommunicatis dictum[a] esse: ut, qui in sordibus sunt, sordescant adhuc[1]. Comes Namucensis, nescimus quo rumore regiae debilitatis, venenosa factione aliorum principum in nos et aecclesias nostras furit. Premissis dilectionis et fidelitatis nunciis, et subsequenter eadem hora nuncio exfestucationem dominii nostri deferente, Cinei nostram dominicalem villam, adhuc ista legatione infecta, penitus succendit. Quia igitur vobiscum de meis secretis soleo loqui ut mecum, in gremio vestri consilii et consolationis hanc repono causam conturbationis, ut ego et vos, qui in eadem curia fideles sumus domestici, alter pro altero, cum opus fuerit, veritatis et fidei inveniamur socii. Bene valeat dilectio vestra. Cetera presentium lator expediet. 1150 Oct. — Dec.

---

300. *Wibaldus Conrado III regi scribit, cum iam legationis subeundae causa exiisset, se in Lotharingiam reversum esse, bellorum calamitatibus repletam. Heinricum episcopum Leodiensem ab infestando monasterio Stabulensi dehortetur. Addit de Corbeiensis ecclesiae malis.* (M. 281.)

Inclito triumphatori et magnifico domino suo C(onrado) Dei gratia Romanorum imperatori augusto frater W(ibaldus) eadem gratia id, quod est in catholica aecclesia, salutem in eo, qui dat salutem regibus[2]. 1150 Oct. — Dec.

Scripsit dudum maiestati vestrae nostre parvitatis humilitas, quod ad peragendam legationem vestram ad Urbem non sine gravi rerum nostrarum dispendio accincti fuimus[3]; et, si domnus cancellarius proficisci potuisset, ad incrementum honoris vestri et regni pro posse laborassemus. Unde regressi[4], terram nostram nimiis rapinis et incendiis concussam invenimus. Nam domnus Leodicensis episcopus[5] et comes[b] Namucensis[6] et comes de Rupe[7] et comes G(odefridus) de Acuto Monte dissentientes bonum

a. dicte *c.* b. comes *om. cod.*

1. Apoc. 22, 11. 2. Ps. 143, 10. 3. V. ep. 298 supra p. 426 „ut, iam parati et expediti ad proficiscendum, Lotharingiam exierimus". 4. in Lotharingiam. 5. Heinricus. 6. Heinricus. 7. Heinricus.

1150 Oct. — Dec. pacis de finibus nostris exturbaverant. Cum autem neminem nostri neque nos lederemus et in neutram partem inclinaremur, cum iam in Namucensem et suos fautores domnus episcopus sententiam anathematis promulgasset, comes G(odefridus) de Monte Acuto sua et domni episcopi militia villam nostram Okeriis devastavit et succendit; quae fere tribus mensibus monasterio necessaria ministrabat. Intendit etiam cetera eidem monasterio pertinentia devastare, succendere, nisi gravissimis redemptionibus et exactionibus ab hoc suo proposito revocetur. Et cum violenter nostra devastentur, diripiantur, et hoc auxilio domni episcopi, sine quo idem comes G(odefridus) hoc non presumeret, decet regiam maiestatem vestram, nos, qui vestri sumus, defensare et innocenter afflictis manum misericordiae porrigere. Proinde dignitatis vestrae magnitudinem, quam semper nobis propiciam sensimus, humiliter deposcimus, ut, si domnus episcopus ad vestrae maiestatis presentiam venerit, de nostra a suis et nostrorum iniusta oppressione, sicut vos decet, eum conveniatis[a], et nostra, quae adhuc — non tamen a suis — intacta supersunt, quae idem G(odefridus) eius auxilio demoliri festinat, accepta ab eo dextra, sicut sunt, conservari faciatis. Si autem eum non venire contigerit, super hoc ei severius scribendo vestra precipiat mansuetudo et, ut eundem G(odefridum) comitem á nostrorum depopulatione tam per vestra scripta quam sua auctoritate coherceat, imperetis. Nos enim, in eo discrimine positos, addiderunt Corbeienses revocare. Inter quos[1] quas molestias, quas insidias sustineamus, quid vero contra nos eo tempore, quo in servitio regni et vestro accincti eramus, molitum sit quidve factum, cum ad vos venerimus, maiestati vestrae plenius referemus. Deliberavimus autem, si quolibet modo his curis et laboribus nos subducere possumus, ut in purificatione sanctae Mariae[2] ad vos, ubicunque locorum vos esse scierimus, perveniamus.

a. *sic ex* commoneatis *correctum est in cod.*

1. Corbeienses. 2. 1151 Febr. 2.

301. *Robertus decanus Stabulensis Wibaldo significat, Leodii quae egerit et quae pericula monasterio instent.* (M. 282.)

Domino suo et patri W(ibaldo) venerabili Stabulensi abbati frater R(obertus) obedientiae subiectionis ac orationum devotissimum munus. 1150 Oct. — Dec.

Sabbato post discessum vestrum Leodium profecti, dominica venimus; ibique abbatem[1] Floreffiensem[2] de bonorum suorum violenta rapina querimoniam facientem invenimus. Cui ab archidiaconis et abbatibus die eadem, nobis vero in crastino[3] responsum est: proximo sabbato episcopum[4] venturum; reverti nos ea die debere, in palam querelam nostram facturos; se vero nobis in omnibus iusticiae nostrae affuturos. Itum est, reversum est; et die predicta[5] in conventu magno archidiaconorum, abbatum, cleri litteras vestras domno episcopo presentavimus. Quibus a fratre Heinrico palam distincte recitatis, respondit episcopus: dubitare se, utrum liberos homines parrochianos suos excommunicare possitis; iudicio tamen archidiaconorum consilioque omnia acturum. Causa tam nostra quam Floreffiensis in crastinum[6] protracta est. Et, presente frequentiore conventu, requisitus episcopus causam nostram in responsis archidiaconorum dixit consistere; archidiaconi nichilominus: privilegia et iura aecclesiae nostrae neque consilio neque iudicio suo velle convellere. Tum episcopus: *Cum* inquit *abbatem vestrum et privilegia et cartas eius videro, consilio meorum, quae iusta sunt, agam.* At nos, de responso hoc premuniti, diffugiis eius sic obviavimus: *Quoniam tempore predecessoris vestri domni Alberonis, excommunicationem aecclesiae nostrae ratam habere nolentis, archidiaconi, qui adhuc superstites sunt et presentes sunt, excommunicationem in Walterum de Warnanz et Balduinum de Hosden a nobis factam ratam esse censuerunt, viderit prudentia vestra, si iudicio et testimonio archidiaconorum et priorum aecclesiae vestrae possit refragari. Verumtamen, quoniam domnus abbas abest — in*

1. Gerlandum. 2. monasterii Floreffe, a Namuco inter occidentem et meridiem. 3. die Lunae. 4. Leodiensem, Heinricum. 5. sabbato. 6. in diem dominicum.

1150 Oct. — Dec. *cuius custodia et potestate privilegia aecclesiae nostrae sunt, qui ea, cum necessitas poposcerit, tempore et loco et personae congruenti relegenda presentabit — nos in articulo hoc, aecclesiae nostre privilegia*[a] *pretermittentes, auctoritate domni papae Eugenii roboramur, sententiam eius, de incendiariis datam*[1], *sicut de vestris ita de nostris observari postulantes.* Et prolata scedula lectoque capitulo de incendiariis, auctoritate domni papae sententiam eius de incendiariis nostris ratam eum habere et observare urgebamus. Tandem, adductus vel instantia nostra vel ne domni papae offensam incurreret, dixit, se privilegiis nolle contraire, preceptis vero domni papae libenter velle oboedire. Statimque excommunicationem in incendiarios nostros datam archidiaconos ex auctoritate domni papae precepit observare[b]. Illis vero nomina eorum de manu eius requirentibus, cum ipse ea per se dare nollet, dies in noctem protracta. Tandem ipse nominum scedulam per se recepit; nunquam nisi coactus sententiam de incendiariis nostris observaturus. Ita ab eo recessimus, parum adhuc certi, quid super hoc egerit. Fama erat et constabat, quod domnus episcopus nuncios suos ad Urbem direxerit, et quod ad curiam presentem domni regis Wormaziam iturus erat, mille marcis datis domnum regem in perniciem et depopulationem comitis Namucensis adducturus. Comes autem per abbatem Florefiensem nos multum sollicitavit, ut eius verbum apud domnum regem manuteneretis et bono fine, si possibile esset, terminaretis. Episcopus et comes nullo modo a werra desistere volunt, set rursum post natale Domini[2] cuncta devastare intendunt. Comes God(efridus), ut dicitur, Harizeis intrat, terram nostram et in Condrusio et in Ardenna depopulaturus, nisi redemptione accepta cessaverit. Comes Henricus nondum convaluit. Comes de Los[3] Turnines nostram vastavit, et Bosonem et Gozvinum fratres captos tenet. Wellin episcopus post natale se dicit incendio vastaturum[c]; quod ex auctoritate domni papae ne faceret monui-

a. privilegia *addidi.* b. observari *c.* c. vastaturam *c.*

1. in concilio Remensi a. 1148. V. Regesta pont. Roman. p. 632. 2. post 25 Decemb. 1150. 3. Ludovicus.

mus, quia ad eum transituri eramus; quod vos etiam tam ex domni papae quam ex domni regis auctoritate prohibere satagatis. Facies rerum vestrarum tam intus quam foris eadem est, quae in exitu vestro erat; et ideo, si qua iubere, si qua ordinare disponitis, beneplacitum vestrum rescribite. Consilii enim et ordinationis vestrae providentia egemus. Valete in Domino; iterum dico: valete et gaudete. 1150 Oct. — Dec.

---

302. *Conradus III rex Heinrico episcopo Leodiensi scribit, se iniurias ei illatas vindicaturum. Hortatur, ne ecclesiae Stabulensis bona afflictet.* (M. 277.)

C(onradus) Dei gratia Romanorum rex H(einrico) venerabili Leodiensi episcopo gratiam suam et omne bonum. 1150 Oct. — Dec.

Pervenit ad nos clamor Stabulensis aecclesiae, dolentis et conquerentis, quod ecclesia tua impie a quibusdam tyrannis vastetur et persona tua novis et inauditis modis[a] ab his, qui fidelitatem tibi iuraverant, vexetur. Confidimus autem de protectione divina, quae nos sanos et incolumes[1] et inimicorum nostrorum victores esse facit, quod consilio et iudicio principum hanc contumeliam digna animadversione in brevi tempore vindicabimus. Preterea suggestum nobis est, quod propter odium H(einrici) de Rupe, qui est advocatus Stabulensis aecclesiae, tam tu quam tui incendia et rapinas in bonis eiusdem aecclesiae facere disposueris, cum eadem bona in tantum sint ab advocati servitio libera, ut nullam in eis portionem vel de iustis pensionibus vel de legum compositionibus accipiat. Et quoniam eandem aecclesiam ledere non solum contra regiam maiestatem est set eciam contra tui ordinis sanctitatem et contra omnem tam divini quam humani iuris equitatem, mandamus sollertiae tuae et sub optentu gratiae nostrae precipimus, ut te et tuos a lesione et gravamine predictae aecclesiae contineas, sciturus quod, si aliter presumptum fuerit, iusta indignationis nostrae ultione non carebit.

a. morbis *c.*

1. Conradus his verbis refellit „rumorem regiae debilitatis“, de quo scripsit episcopus ep. 299 supra p. 427.

303. *Wibaldus Heinricum episcopum Mindensem hortatur, ut Godeboldi et Everhardi controversiam spatio dierum quindecim componat.* (M. 283.)

1150 Oct. — Dec. Reverendo in Christo patri suo et domino H(einrico) sanctae Mindensis aecclesiae venerabili episcopo W(ibaldus) Dei gratia Corbeiensis ecclesiae abbas exiguas orationes et devotum servitium.

Litteras vestras [1], quas scripsistis ad nos pro causa magistri
Sept. 15 Godeboldi et presbiteri Everhardi de Emmeringe, 17 Kalendas Octobris in predio quodam Stabulensis aecclesiae recepimus; set quia tunc longe a partibus vestris abfuimus et dein procedente tempore plures causae nobis inciderunt tam de publicis regni negociis quam de privatis occupationibus, prenominatum presbiterum E(verhardum) secundum petitionem vestram convenire non potuimus. Ubi vero ad has partes regressi sumus, venientem eum ad nos interpellavimus et, ut petitioni vestrae adquiesceret et, que offerrentur ei á vestra mansuetudine, pro bono pacis et concordiae gratanter reciperet, ipsi persuadere temptavimus. Ipse autem nichilominus conqueritur, quod ab eisdem hominibus, qui ante iniurias ei irrogaverant et substantiam suam abstulerant, novas iterum rapinas pertulerit; et quod ex eo tempore, quo ad nos mandatum domni papae detulit, de porcis suis quod valet 15 solidos ei abstulerint, et insuper omnem fructum, quem de glandatico [2] suo presenti anno [3] habere debuerat, quem in magnam summam computavit, sibi usurpaverint. Cum ergo plurima ei hinc inde proponeremus, et ad terminandam tam longi temporis discordiam recipere quae oblata sunt eum cohortaremur, tandem, interveniente potioris consilii ratione, cessit nostrae commonitioni; et tria talenta, quae pro quiete et amore G(odeboldi) offertis ei, se accepturum promisit, ita, si de aliis personis, a quibus sua bona conqueritur distracta, quemadmodum promisistis, aecclesiasticam ei iusticiam faciatis. Sive igitur in hoc verbo sive alio quolibet modo controversia, quae est inter eum et magistrum G(odeboldum), terminetur, et ut ei

1. ep. 287 supra p. 414. 2. proventu glandium, quibus sues vescuntur. 3. 1150.

de ablatis bonis suis iusticia fiat et haec omnia infra spacium quindecim dierum consummentur, discretionem vestram attente monendo rogamus; quia sententiam domni papae, quam annuntiandam iniunxit nobis, diutius, si hoc perfectum non fuerit, sub silentio tenere non presumimus. Conqueritur preterea idem E(verhardus) presbiter, quod clericus de Lacheim, ubicunque potest, vel per se vel per summissas personas bona sua ei auferat, et eosdem laicos, qui rebus suis eum spoliare non cessant, ad dampnum suum familiares habeat; quod quam absurdum sit et quam inconveniens ordini suo, discretio vestra perpendat. 1150 Oct. — Dec.

304. *Canonici Mindenses Wibaldi arbitrio controversiam Godeboldi et Everhardi omnino permittunt.* (M. 284.)

Domino suo sanctae Corbeiensis ecclesiae reverendo abbati W(ibaldo) W(ernerus) per misericordiam Dei Mindensis prepositus, R(obertus) decanus cum universis fratribus suis, assiduas in Christo orationes et subiectionis fidele obsequium. 1150 Oct. — Dec.

Literas sanctitatis vestrae[1], quas scripsistis pro causa magistri G(odeboldi) et fratris E(verhardi), dominus noster episcopus[2] in quodam castro ecclesiae quod dicitur Wilipa[3] recepit et audivit, et eas nobis postea transmisit. Quas nos cum debita reverentia suscepimus; et fratri E(verhardo), ut omnem querimoniam et laborem deponeret et in futurum vir bonus esset et virum innocentem et optimum magistrum G(odeboldum), quem multis iniuriis molestavit, per subiectionis obsequium et pacis ingressum placare studeret, persuadere multis modis temptavimus. Set idem frater nostris consiliis se intractabilem exhibuit, et ideo cum eo compositionis introitum invenire non potuimus. Nos itaque per fideles fratres nostros, sanctitati vestrae valde devotos, omnem tractatum et consilium huius negotii, vestra discretione et ordinatione cum fratribus nostris terminandum, ad aures pietatis vestre transmittimus, tum propterea ut fratris nostri innocentiam vobis ostendant, tum etiam propter hoc, ut super his, quae coram vobis fuerint stabilita et firmata, vos in

1. ep. 303 supra. 2. Heinricus. 3. Wölpe.

1150 Oct. — Dec. testimonium habeamus, et, si predictus frater E(verhardus) nostram quietem turbare et pacis compositionem violare presumpserit, vos nobis in adiutorium sitis, quia veritatis filius et multorum presidium ab huiusmodi impugnatione liberabit[a].

---

305. *Wibaldus magistro Godeboldo significat, quo pacto eius cum Everhardo litem diiudicaverit.* (M. 285.)

1150 Oct. — Dec. Frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in catholica ecclesia, dilecto fratri et amico suo magistro G(odeboldo) benedictionem et vitam usque in seculum.

Meminit dilectio tua, quod scripta domni papae[1] ad nos accepimus, ut te studiose commoneremus, quatinus Everhardo presbitero ecclesiam de Hemeringe et omnia ei ablata per te et per alios in integrum infra viginti dies postquam a nobis commonitus esses omnino restitueres, et de cetero pacifice eum possidere permitteres. Fecimus itaque[2], quod nobis imperatum fuerat. Et tam iussionem domni papae quam nostram admonitionem in tantum valuisse apud te gaudemus, ut ex consilio religiosorum et sapientium virorum cum predicto E(verhardo) in concordiam redieris. Modus autem concordiae et reconciliationis in futurum valiturae hic est. Dedimus eidem E(verhardo) a parte tua tria talenta denariorum, ea conditione, ut te ab omni querimonia sua tam de iniuriis quam de dampnis sibi ante illatis liberum et absolutum dimitteret, et ipse de cetero predictam ecclesiam suam in pace optineret. Deposuit itaque in manu nostra sub idoneo monachorum clericorum et laicorum testimonio omnem querelam, quam adversum te usque in presentem diem habuerat, tecumque in gratiam et veram pacem rediit, nosque ab exsecutione mandati domni papae liberos sponte dimisit; et domno papae pro adepta iusticia gratias egit, nobisque pro studio sollicitudinis nostre devotus benedixit. Tuae itaque fraternitati tam presentibus literis quam aliis, quibus oportunum fuerit, modis testimonium perhibemus, quod mandatis domni papae et

a. *sic cod.*

1. ep. 268 supra p. 396. 2. ep. 275 supra p. 402.

nostrae admonitioni devote obtemperans fueris, et sententiam, que in vindictam inobedientiae intentata tibi fuerat, religiose et prudenter devitaveris. De his vero, qui predicto E(verhardo) sua diripuerunt, iusticiam a domno episcopo reposcet, iuxta quod eidem domino nostro episcopo a domno papa iniunctum est et ipse nobis se facturum per litteras suas fideliter repromisit. Tu autem adversus eundem E(verhardum) presbiterum de cetero nullius offensae memor eris, set cum eo veram pacem et concordiam de omni ante acta controversia in bona fide habebis. 1150 Oct. — Dec.

---

306. *Wibaldus Heinricum episcopum Mindensem de Godeboldi et Everhardi lite decisa certiorem facit.* (M. 286.)

Reverendo patri suo et domino H(einrico) sanctae Mindensis ecclesiae venerabili episcopo frater W(ibaldus) Dei gratia Corbeiensis ecclesiae servus exiguas orationes et devotum servitium. 1150 Oct. — Dec.

Meminit paternitas vestra, quod literas domni papae ad nos accepimus, ut canonicum vestrum magistrum G(odeboldum) studiose commonefaceremus, quatinus Everhardo presbitero ecclesiam de Hemmeringe et omnia ei ablata per se et per alios in integrum infra viginti dies post acceptam ammonitionem nostram omnino restitueret et de cetero pacifice eum possidere permitteret. Fecimus itaque, quod nobis imperatum fuerat. Set vestra sublimitas nostrae parvitati sollicite iniungere dignata fuit, ut reconciliationis et concordiae mediatores esse satageremus, hac videlicet ratione, ut idem E(verhardus) tria talenta nummorum acciperet, et de aliis personis, a quibus sua bona conqueritur distracta, ecclesiasticam ei iusticiam vos faceretis. Ad quam conditionem recipiendam licet idem E(verhardus) satis cunctaretur, nostro tamen studio pro pace Mindensis ecclesiae devotius annitente, sicut vobis placuerat, perfectum est. Nam, acceptis de manu nostra tribus talentis nummorum, omnem querelam et actionem, quam adversus magistrum G(odeboldum) hactenus habuerat, sponte deposuit, et cum eo in veram pacem et gratiam absque simulatione et dolo rediit. Rogamus itaque celsitudinem vestram, quam vera in Domino caritate plurimum dili-

1150 Oct. — Dec. gimus, ut predicto E(verhardo) presbitero, qui iam diu apostolicae mansuetudinis aures crebris clamoribus fatigavit, canonicam iusticiam de his, qui bona sua violenter invaserunt, sine prolixioris morae obstaculo faciatis, tum pro domni papae, qui hoc vestrae discretioni et viva voce et literis iniunxit, reverentia, tum pro nostrae petitionis interventu, qui vobis hoc vera et humili fide consulimus et ex promisso vestro per literas tanquam debitum reposcimus.

---

307. *Wibaldus Heinrico archiepiscopo Moguntino scribit de Folcwini de Sualenberg matrimonio dirimendo.* (M. 287.)

1150 ex. — 1151 in. Reverendo patri suo et domino H(einrico) sanctae Mogontinae aecclesiae venerabili archiepiscopo W(ibaldus) Dei gratia Corbeiensis aecclesiae servus exiguas[a] orationes et devotum servitium.

Referente domno Folwino de Sualenberg didicimus, quod iuxta sacerdotalis officii dignitatem erga ipsum et uxorem eius districte iusticiam custodiatis et, relicta carnis et sanguinis caritate, spiritum, qui libertatis est auctor et propagator, sequamini. Unde et nos glorie vestre plurimum in Domino congaudemus, quippe qui in hac causa nichil aliud quam veritatem querimus, nichil aliud quam veritatem diligimus, et si quos offendimus, propter veritatem offendimus. Testatur siquidem predictus F(olwinus), quod, antequam eandem uxorem suam desponsaverit, á quibusdam pro certo compertum habuerit, quod morbo caduco laboraret; et multorum ac religiosorum virorum testimonio se probare posse asserit, quod eam sibi copulare nollet, si veraciter tali infirmitate detineretur, et hoc parentibus puelle palam indicaverit. Novit autem eruditio vestra, quod, cum in omni contractu fraus et dolus abesse debeat, precipue in contrahendo matrimonio, ubi fides et sacramentum spectatur, nullius doli debet esse subposita commixtio. Quod si ita est, nulla regula constringi potest ad sequendum id, quod nec intendit cum faceret, nec voluit cum sentiret. Scienti legem loquimur et non ignoranti, sub quo lapsus periculo et laicus et iuvenis iam longo tempore

a. ciguas *c*.

versetur. Quodsi ad partes nostras accesseritis, venire ad vestram celsitudinem pro eadem causa parati erimus. 1150 ex. – 1151 in.

---

308. *Wibaldus Heinricum episcopum Mindensem monet, ut Regenbernum canonicum contra abbatissam S. Mariae in monte tueatur.* (M. 288.)

Reverendo in Christo patri et domino H(einrico) sanctae Mindensis aecclesiae venerabili episcopo et dilectis fratribus et dominis suis eiusdem aecclesiae canonicis frater W(ibaldus) Dei gratia Corbeiensis aecclesiae servus exiguas orationes et devotum servitium. 1150 ex. – 1151 in.

Veniens ad nos frater Regenbernus, canonicus ecclesiae beatae Mariae in monte, retulit nobis ex ordine, qualiter occasione cuiusdam verbi prefatae ecclesiae abbatissa eum inordinate, quemadmodum nobis videtur, gravaverit et prebendam suam ei interdixerit. Quia igitur in ecclesia vestra cepimus esse pacis amatores et concordiae cooperatores, paternitatem vestram per fraternam caritatem, de qua plurimum apud vos confidimus, intime rogamus et quantum licet in Domino cohortamur, ut nullam dissensionem in ecclesia vestra nasci et crescere sinatis; quoniam sepe fieri solet, ut de minimis scintillis maxima oriantur incendia. Siquidem eruditioni vestrae brevi sermone satis suggestum est, quod quedam secularia iura confundi cum aecclesiasticis ac permisceri non possunt. Hoc ideo dicimus, quod predictus clericus nec per hominagium canonicam suam potuit accipere nec recusato hominagio amittere.

---

309. *Wibaldus Wernero praeposito Mindensi Regenberni canonici causa scribit.* (M. 289.)

Frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in ecclesia catholica, dilecto fratri et amico suo W(ernero) venerabili sanctae Mindensis ecclesiae maioris preposito benedictionem et vitam usque in seculum. 1150 ex. – 1151 in.

Dilectionem vestram, de qua plurimum confidimus, intime rogamus, ut, sicut proximis litteris nos ammonere et cohortari

1150 ex. — 1151 in. curastis, quatinus ad pacem et concordiam Mindensis ecclesiae in causa magistri Godeboldi laboraremus, ita nunc in causa Regenberni benigno adniti studio dignemini, ne quid in eum vel ipsius possessionem preter ius et equum admittatur. Siquidem ecclesiasticae possessiones seculari iure non sunt omnimodo censendae; et sicut canonica clerici iure laico regulariter non accipitur, ita etiam non nisi ordine canonico amittitur. Sapienti sat dictum est, quia de parvis odiorum fomentis maximae interdum inimiciciae et infiniti labores succrescunt.

---

310. *Wibaldus Stabulenses consulit, num eis praeesse cesset. Exponit, cur ex eorum monasterio se clam Corbeiam subduxerit.* (M. 293.)

1150 ex. — 1151 in. Frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, R(oberto) decano et ceteris Stabulensis aecclesiae filiis, spiritu consilii et fortitudinis abundare.

Deliberare cogimur de verbo et ad effectum rei perducere, quod sepe in conventu vestro tractasse nos recolit vestra fraternitas, videlicet quod duobus monasteriis tam longe distantibus, tam amplae possessionis et familiae preesse nequaquam sufficimus, licet á magistris aecclesiarum et a domino nostro rege serenissimo clementer permittamur. Quanta enim malitia temporibus istis increverit, quando nec per aecclesiasticam nec per secularem iusticiam adiuvamur, miserabilis vexatio, quae cotidianis rapinis et incursionibus monasterium vestrum dissipat et affligit, experientiam vestram crudelibus documentis intelligere fecerunt. Set sicut ad regimen Corbeiensis monasterii precipiti ambitione non declinavimus, set post divinam per electionis canonicae titulum vocationem vestra in omnibus auctoritate consilio et ordinatione usi fuimus; ita nunc, rerum difficultates et pericula sollicite pensantes et tanto ponderi penitus succumbentes, ad consuetum vestri consilii oraculum refugimus, nullo modo dubitantes, quin hoc, quod in re tam ancipiti et á nostrae optionis capacitate tam remota nobis a vestrae fraternitatis unanimitate fuerit iniunctum, á divina sit misericordia et dispensatione pro-

curatum. Absit autem á pietate cordium vestrorum, ut credatis, nos in has cogitationes aut ira impellente vel motu cogente aut alicuius laboris suffugio suadente repente incidisse, cum divina iudicia in his multa mentis contritione formidemus et hominum sententias et clamores nonnichil metuamus. Etsi nos duplicatae dignitatis gradus delectatio titillaret, palam tamen sit omnibus recte considerantibus, quod et morum et possessionum inreparabilia detrimenta in procuratione tam remotarum et tam grandium rerum cotidie suscipiamus. Exitus autem noster á vobis, qui visus est quibusdam perturbatus et repentinus, longe ante fuerat provisus et propter quasdam vociferationes, quae á Corbeiensi monasterio nos molestabant, necessarius; cum anima nostra turbata esset valde in rebus vestris, non propter alicuius verbi commotionem, set propter totius terrae per cedes per incendia per rapinas assiduam vastationem. Et tacitam esse oportuit nostram egressionem propter afflicti populi reclamationes et retentiones inportunas et propter magnorum et multorum latronum, omnia fere itinera obsidentium, insidias. Valete, et in hac matris vestrae causa sancti Spiritus assit vobis gratia. 1150 ex. – 1151 in.

---

311. *Wibaldus Henrico monacho Stabulensi explicat, quae causae se a regendo monasterio Stabulensi deterreant.* (M. 294.)

Frater W(ibaldus) dictus abbas dilecto filio suo H(enrico) benedictionem. 1150 ex. – 1151 in.

De statu, immo de nutatione animi nostri certius ex litteris communibus[1] valebis addiscere. Quae autem nos á regimine Stabulensis monasterii deterreant, licet ignorare non possis, breviter tamen tuae vigilantiae annotabimus. In primis magna est ruina ordinis nostri, quam in tam multiplici rerum necessariarum defectu nos sublevare posse non confidimus. Porro tanta est apud vos rerum tenuitas et prebendae cotidianae defectus, ut etiamsi totum regnum firmissima pace frueretur, vix tamen valeret se Stabulensis ecclesia sustentare. Advocati vestri peccatis facientibus non sunt pauperum defensores, set crudelissimi

1. ep. 310 supra.

1150 ex. – 1151 in. vastatores et libertatis vestrae inimicissimi insidiatores. Ministeriales vestri, qui maxime deberent aecclesiam sustentare, conversi sunt in arcum pravum[1] et neque mandatis obtemperant neque agriculturam, ubi ipsi villici sunt, exercere adiuvant, set, quod deterius est, impediunt et vastant. A quibus detrimentis nulla fere ecclesiae vestrae possessio aliena est; et maxime curtes illae vacuae et neglectae sunt, de quibus precipua monasterii et prebendae supplementa capi solebant. Inter haec autem divina flagella nullum nobis auxilium prestatur[a] vel ab aecclesiastica vel á seculari potestate. Non est itaque mirum, si haec omnia diligenter considerata tabescere faciunt sicut araneam animam nostram[2] et de salute nostra et nobis commissorum sollicitius cogitare. Qualiter vero nostra ordinatio in Corbeiensi aecclesia sit a domno papa Eugenio in civitate Meldis confirmata, tu melius nosti, qui presens eras[3], et nos absentes fuimus.

---

312. *Stabulenses a Wibaldo abbate dimitti nolunt.* (M. 295.)

1150 ex. – 1151 in. Domino et patri suo venerabili Stabulensi abbati W(ibaldo) frater R(obertus) cum omnibus Stabulensibus, viriliter agere et confortari in Domino[4].

Acceptis, amantissime pater, sinceritatis vestrae litteris, quae animi non commoti set futura precaventis, non fluctuantis set tempora mores et pondera rerum considerantis intentionem aperiebant, ac per hoc deliberationis vestrae vias demonstrabant, appositus est nobis dolor super dolorem. Nam — cum simus in hoc constituti, ut, cum non transierit apud nos unum ve, aliud et aliud superveniat; cum unus nunciorum Iob loquatur, et alius sine dilatione veniat; cum Deus noster opposuerit nubem sibi, ne oratio transeat[5] — tum maxime viscerabiliter doluimus, cum nos, qui in oppressionibus nostris frequenter vestris consolationibus sublevari consuevimus, nunc demum in necessitate positos á vestrae paternitatis dulcedine pro quavis causa destitui

a. prestant *c.*

1. Ps. 77, 57. 2. Ps. 38, 12. 3. V. ep. 46 supra p. 123 sq. 4. Ps. 26, 14. 5. Thren. 3, 44.

debere intelleximus. Set nunquam Liae vel Rachel datus est libellus repudii, nunquam bonus pastor viso lupo officium pastoris deseruit[1]. Set et de manu speculatoris negligentis sanguis pereuntis requiritur[2]. Non debet pietas patris suos filios abdicare. Ceterum, si de retentione abbatiae Corbeiensis agitur, prima vocatio, prima sponsa respicienda potius est et tenenda. Nam et recolit prudentia vestra, quod, quando tam litteris et peticione domni regis et principum quam Corbeiensis ecclesiae ad regimen eiusdem ecclesiae vocabamini, prestitus á nobis potius estis quam datus, ut emancipationem vel abrenunciationem Stabulensis ecclesiae nemo intelligeret. Quod quia viva voce et scriptis tunc sufficienter quibuscumque significavimus, vos, conventus et capituli nostri super hoc recognita sinceritate et veritate rei iuste librata, nunquam ab animo Stabulensem ecclesiam, matrem vestram, educatricem vestram, sponsam vestram, avellatis; nunquam fratrum vestrorum, filiorum vestrorum non tam adoptionis quam uteri, curam deseratis. Nec enim bonum est, ut, qui divitiis ecclesiae Corbeiensis secundum promissum adiuvari expectabamus, eius nunc occasione á vestrae paternitatis sollicitudine destitui debeamus. Spreta ergo omni tribulatione cordis, ad diligentes vos quantocius redite, et in necessitate multa constitutis cum Dei adiutorio expectantibus vos consilii vestri manu presentialiter subvenite. 1150 ex. – 1151 in.

---

313. *Henricus monachus Wibaldum obsecrat, ut monasterio Stabulensi renuntiare velle desistat.* (M. 296.)

Reverentissimo in Christo patri suo et domino W(ibaldo) Stabulensis aecclesiae venerabili abbati H(enricus), quicquid patri karissimo devotus debet filius. 1150 ex. – 1151 in.

Dignationis vestrae litteris diligenter perlectis, nichil, pater karissime, in eis invenire ingenioli mei potuit tarditas, quod vel benignitatis vestrae prudentiam á nobis deterrere vel mentis vestrae statum á Stabulensis ecclesiae regimine digne proturbare[a] valeat. Nam et ordinis incrementum et prebende restaurationem,

a. perturbare *c.*

1. Cf. Iohan. 10, 12. 2. Ezech. 33, 6.

1150 ex. – 1151 in. quandocumque ad haec apponere animum vestra curabit diligentia, ea vobis amministrabit caritas, quae in ruinis ecclesiae nostrae resarciendis absque graviori discrimine omnem benivolentiae vestrae semper amministravit copiam. Ministerialium vero nostrorum negligentiam et advocatorum insolentiam, quam satis aluit vestra interdum a nobis absentatio, non parum reprimet et cotidianus noster clamor et presentiae vestrae diuturnior assiduitas. Nam

Gutta cavat lapidem, non vi, sed sepe cadendo[a] [1].

Quod autem Meldis de ordinatione Corbeiensis ecclesiae me presente actum sit, nescio. Nam, si sapio, id quod scio nescio[2]. Levius autem sopiri solent illa, quae sub specie pietatis ad paupertatem redeunt, quam ea, quae sub nomine felicitatis tenuitatem rerum summis divitiis commutare intendunt. Ceterum, pater amantissime, ut ad ea, quae fratribus in commune scripsistis, breviter respondeam, nullo modo paternitatis vestrae gubernatione, nulla ratione moderationis vestrae regimine carere volumus aut possumus; cum in hoc convenerimus et fixum teneamus, quod potius eo ipso modico thesauro, qui[b] apud nos est[c], carere velimus, quam sub titulo alterius ecclesiae personae vestrae regimen amittere. Quare, pater, ea speciali confidentia, qua me semper filium vocare consuevistis, benignitatem vestram attente obsecro, ne nos super hoc verbo ultra perturbare intendatis, ne ruinam et desolationem loci, quem edificastis, quod absit, oculis corporalibus in brevi videatis.

---

314. *Wibaldus Stabulensium responsum praecipitatum reprehendit. Mandat, ut de deponenda abbatia et Malmundarienses et laicos ecclesiae in consilium adhibeant.* (M. 297.)

1150 ex. – 1151 in. Reverendis in Christo fratribus et dominis R(oberto) venerabili decano et ceteris Stabulensis aecclesiae filiis frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, magni consilii angelum.

a. gutta c. l. ñ. vi .s. *cod.* b. quod *c.* c. est *om. cod.*

1. Cf. Ovid. Pont. 4, 10. 5:

Gutta cavat lapidem, consumitur anulus usu.

2. Terentii Eunuchi IV. 4, 53. 54: „Tu pol, si sapis, quod scis nescis".

Recognovimus in litteris, quas proxime vestra unanimitas ad nos direxit, vestrum illum circa nos incorruptum et inexpugnabilem affectum, quo nos á principio amplecti et confovere perseverastis, ut vere vos amicos dixerimus, qui permansistis mecum in temptationibus[1]. Verum, fratres karissimi, dolemus, vos nimium properasse in re tam difficili, tam ardua, tam necessaria, super qua universitatis vestrae consilium tanquam divinum responsum quesivimus, ubi nec orationes premissae nec fratres Malmundarienses[a] vocati nec laici fideles et filii ecclesiae sunt invitati; veremurque, ut pace omnium dictum sit, ne de cordibus vestris prophetetis[2] et nobis, quibus res est pro anima, parum provide consulatis. In retransitu enim nostro ad vos, ut de domino nostro rege taceamus, plurimum domni papae offensam metuimus; quibus . . . . .[b] neglectis et adversum nos commotis, parum vobis vel alicui prodesse possemus. Fundendae igitur sunt ad Deum preces cum omni humilitate et devotione, querendum est non solum universae ecclesiae vestrae set etiam vicinarum consilium et suffragium, ut divina pietas talem vobis prestare dignetur pastorem, qui ex eius dono possit sanare contritos corde et alligare contriciones vestras[3]. In eo autem, quod scripsistis, quia nunquam bonus pastor viso lupo officium pastoris deseruit, recolere debet vestra prudentia, quam multos, quam magnos, quam atroces lupos in regimine Stabulensis ecclesiae his viginti annis, quibus ei servivimus[4], non absque periculo mortis et gravibus scandalis et obprobriis sustinuerimus, nec adhuc ferre detrectaremus, si eidem soli ecclesiae asscripti essemus. Set cum in Corbeiensi aecclesia lupi non desint et pastoris sit necessaria tam presentia quam vigilantia, elegimus uni, vel, si sic expedit, neutri servire, quam, utrique incubando, neutri prodesse. Et ut ad verba veteris historiae respondeamus, nullo modo credatis, quod amorem posterioris primae preposuerimus, quae nec pro mandragoris Ruben nos ad

1150 ex. – 1151 in.

a. Malmnd' *c.* b. *lacuna in cod.*

1. Cf. Eccli. 6, 7. 2. Cf. Ezech. 13, 2. 3. Ps. 146, 3. 4. ab exeunte anno 1130 ad exeuntem annum 1150.

1150 ex. – 1151 in. priorem ingredi ad propagandam sobolem equo animo patitur[1]; set in omnibus divinae bonitatis propositum per orationis et consilii vestri suffragium inquirimus. Spiritus sancti gratia illuminare dignetur corda vestra. Amen. Quanto maiores pressuras aecclesia vestra patitur, tanto magis indiget communi consilio; quia nichil temere aut precipitanter hoc in negotio agere volumus, set cum tanta maturitate consilii, ut et factum nostrum creatori nostro placeat et hominum recta iudicia non offendat.

---

315. *Wibaldus Henricum monachum Stabulensem de responsione parum severa castigat.* (M. 298.)

1150 ex. – 1151 in. Frater W(ibaldus) dictus abbas dilecto filio H(enrico) salutem et benedictionem.

Dolor capitis et invalitudo oculorum suadent, nos eruditioni tuae brevius scribere, quam vel tempus vel materia postulat; precipue cum haec, quae scribimus, tam secreta sint, ut alienae manus uti non presumamus amminiculo. Tacebimus nunc de bona spe, qua nos ad res difficiles immo fere inpossibiles ferendas et corrigendas benigna caritate cohortaris, et nos promovere temptas pietatis studio, ne illa etiam corporalibus oculis prolabi videamus, quae ad cultum divinae religionis in Stabulensi monasterio labore multo et sumptu edificavimus; quae satius fuerat in animarum cultibus quam in parietum nitore expensa fuisse. Ad illud respondebimus, quod scripsisti, te nescire, quid apud Meldas de ordinatione nostra in Corbeiensi aecclesia sit actum. Ais enim: *Nam, si sapio, id quod scio nescio;* et subiungis, quid tibi levius et plausibilius videatur, non quid ordo postulet, quid regula doceat, quid obedientia poscat. Et illud quidem proverbium non est sumptum de lege, de euangelio, de apostolo, de doctrina aecclesiastica; gentile est, seculare est, comicum est[2], personae est levis et aut verbera vel aliquam incommoditatem fugere suadentis; non est de salute animarum, non est de dilectione Dei et proximi, non est de metu gehennae, non est de desiderio celestis patriae. Nos iuvenes illa te docuimus

1. Cf. Gen. 30, 14. 15. 2. V. supra p. 442 n. 2.

puerum, quando in his studiis ludentes tuam capacitatem instruebamus, ut Latina plane intelligeres et recte proferres, non ut falsa loquereris aut vera contra Deum taceres. Nunc nostra scola hoc profitetur, hoc docet: *Si sapis, id quod scis, scis; et id quod nescis, inquiris et discis,* in his dumtaxat, quae ad religionem et cultum Dei et ad animarum salutem pertinent. Et ideo, fili karissime, sicut nobis, ita et tibi fugienda est inobedientia, ne in regimine alterius ecclesiae vel nos simus admissi non per ostium, aut grex audiat vocem alieni, et pastor sit fur et invasor, grex autem seductus et prevaricator. Nos, in quantum sapimus, id quod scimus scimus, videlicet quid domnus papa tam viva voce quam litteris de eodem verbo nobiscum egerit; et discere desideramus, quid in tam arduo negotio Deo nostro sit beneplacitum et saluti nostrae conveniens, et utrisque ecclesiis, quibus iam non sufficimus deservire, proficuum, nec ab hominum veris iudiciis[a] abhorrens. Set videmur tibi concupiscere divitias et paupertatem abhorrere. Michi crede, in Domino fili, non est verum; set Deum per viam obedientiae invenire satagimus, et ita relinquere alteram, ut alteri prodesse valeamus. Quod si non procedit, melius est utramque relinquere quam in neutra proficere. Magna res est et a Deo petenda. 1150 ex. – 1151 in.

---

316. *Stabulenses Wibaldo respondent, Malmundarienses secum consentire. Laicos, ne insolentiores fierent, non esse consultos. Petunt, ut sibi subveniat.* (M. 299.)

Domino et patri suo venerabili Stabulensi abbati W(ibaldo) frater R(obertus) et tota Stabulensis ecclesiae congregatio debitam subiectionem. 1150 ex. – 1151 in.

Sollicitudinis vestrae verbo accepto, fratres nostri Malmundarienses in nullo á nobis discrepant; nam idem sapimus omnes et non sunt in nobis scismata[1]. Quod sinceritati paternitatis vestrae eo significamus attentius, quo nunquam á paternitate vestra divelli, quo á regiminis vestri moderatione nunquam re-

a. non *add. cod.*

1. Corinth. 1, 10.

1150 ex. – 1151 in. cedere volumus. Quod autem laicis negotium hoc per nos non innotuit, ratio temporis poposcit, ne temerarie solito confidentius in nostra manus inicerent, ne fidei et constantiae nostrae in aliquo detrahere[a] possent, ne itum vel reditum vestrum in se consistere iactitarent. Orationes autem ad Deum pro magnis et continuis pressuris nostris, et ut nobis pacem mentis et corporis cum spiritu consilii et fortitudinis tribuat, incessanter fundimus. In pace enim vestra nostra consistit. Unde iterum iterumque universitatis nostrae petit facies, ut, fratrum filiorum et amicorum vestrorum memores, ecclesiae Stabulensi iam labenti et pauperum vobis commissorum multimodis tribulationibus subveniatis, et in ultimo necessitatis articulo iam pene constitutis consilii et auxilii manum non subtrahatis.

---

317. *Henricus monachus Stabulensis Wibaldum precatur, ut in regendo monasterio Stabulensi perseveret.* (M. 300.)

1150 ex. – 1151 in. Reverentissimo in Christo patri suo et domino W(ibaldo) venerabili Stabulensi abbati H(enricus), quicquid patri filius.

Licet, pater amantissime, multiplices querelae et cotidianae vexationes pauperum nostrorum ita cor et animam meam amaritudinibus repleverint, ut vix alia verba, quam ve et ve in mente habeam, tamen pietatis vestrae sinceritati pauca scribere curavi, non quo eruditionem vestram aut animum semper providum, semper alta sapientem, instruere intendam, set ut solita simplicitate filialem devotionem patri karissimo semper exhibeam. Pretermittens itaque omnium questionum propositiones et argumentorum conclusiones, quae de *scio* et *nescio* contracte sunt[1], quantum capacitatis mee intelligere potest tarditas, non ordo poscit, non regula docet, non obedientia precipit, non ius aut lex demonstrat, ut pater filios obedientes abdicet, ut mater filiis tempore necessitatis ubera subtrahat, ut bonus pastor oves congregatas alienis male dissipandas relinquat. Neque enim est contra salutem animarum sive contra dilectionem Dei et proximi

a. dethrahere *c*.

1. V. epp. 313 et 315 supra p. 442 et 444.

seu alienum á desiderio coelestis patriae, preesse et providere 1150 ex. — 1151 in.
filiis, diligere et regere aecclesiam, quam vobis commissam esse scitis; quae etsi modo peccatis exigentibus flagellatur, potens est liberare eam Deus, qui locum, in quo sita est, ad serviendum sibi elegit ante secula. Quare, pater karissime, paupertate ecclesiae nostrae, quae vos a prima fere etate nutrivit aluit et promovit, contentus[a], eam nequaquam deseratis; quia hoc secundum hominum iustam estimationem et vera iudicia longe esset á paterna caritate, et secundum Deum, secundum apostolum, secundum christianam doctrinam alienum esset ab omni religionis pietate. Ceterum, quare ad consilium fratrum laici non sunt admissi, ex litteris conventus plenius intelligetis. Nequaquam archana consilii nostri cum his participare volumus, qui semper contra nos sunt, qui semper nostra et vestra violenter diripiunt. Quod ergo ab aecclesia vestra ex consilio actum est, sincere factum esse, paternitatis vestrae intelligat prudentia.

---

318. *H. monachus Stabulensis a Wibaldo magnis precibus petit, ut Stabulensis coenobii dimittendi consilium omittat.* (M. 301.)

Karissimo domino suo W(ibaldo) venerabili Stabulensi abbati 1150 ex. — 1151 in.
humilis H. obedientiam subiectionem ac devotionem.

Decreveram, pater karissime, digitum ponere ori meo[1], ut, qui nescio loqui, saltem ut tacere noverim, incipiam discere. Sed dum pre oculis habeo, quanta in auro argento et gemmis variisque ornatibus ecclesiae nostrae contulistis, quam honestis et utilibus edificiis eam promovistis, quamque integras possessiones eius et fundos non solum custodistis verum etiam ab antecessoribus vestris male distractas recollegistis et auxistis, dum etiam reminiscor, quantum honestatis disciplinae ac sollicitudinis imitabilisque exempli circa vos perspexerim, ad ultimum vero, quod maxime cor meum tangit, quam pie ab infantia me collegistis, quam misericorditer habuistis, quam clementer educastis,

a. contemptus *c*.
1. Iob 21, 5.

1150 ex. – 1151 in. assumo, cogente pietate immo multa impellente necessitate, fiduciam, non erubesco iam humilis et indoctus, excelsum principem et disertissimum convenire oratorem. Quare nos, clementissime pater, vestra deserit mansuetudo? quare gregem, multis ecce lupis expositum, vestra sollers derelinquit pastoralitas? Quid in nobis paternitati vestrae displicuit, quia primo quidem per me nudis verbis, modo autem semel et iterum litteris et efficacibus nunciis ecclesiam vestram sollicitastis, immo turbastis, consilium de dimissione alterius abbatiae postulantes, et emissionem a nostra, quasi altera plus religionis et ordinis habeat, violenter, ut intelligimus, exigentes? An ignorat vestra prudentia, quia de nobis a nobis electus, apud nos investitus, apud nos consecratus, inter nos et super nos non sine perpetuo fructu 16 annis conversatus[1], quasi nuper vocationi Corbeiensium, peticioni regis et principum abbas noster et pastor prestitus estis potius quam datus? Quare de tam atroci negotio nostro, non alterius, ab alienis et extraneis consilium nos querere decernitis, cum penes nos firmum non dimittendi vos consilium habeamus? Quis hoc magnanimitati vestrae imposuit, ut ecclesiam, quae vos ab adolescentia educavit assumpsit et dilatavit, deserere cupientes, ei ecclesiae, cui prestitus estis, benedictionem nostram non sine supplantatione infundatis? Cesset, queso, domine, cesset huius vestrae sollicitudinis intentio, cesset pietas vestra suos filios tam crudeliter velle abicere, qui, ut breviter dictum sit, vagi et exules decreverunt mori potius, quam vos, dum vixeritis, patrem et dominum non habere. Haec me, pater, scripsisse fides coegit, caritas persuasit. Set, sicubi forte modum excessi, verba ad tantum principem impudenter et inculte proferendo, vestra mihi eruditio ignoscat, et, ut in veritate dicta sunt, simpliciter ac fideliter accipiat. De cetero Deus omnipotens vos custodiat, consiliumque vestrae ad nos celeris[a] reversionis vobis dirigat.

a. celerę *c.*

1. ab exeunte anno 1130 ad exeuntem annum 1146.

319. *Conradus III rex Wibaldo scribit, Heinricum Leonem, neglecta curia Ulmensi, Bavariam invasisse; seque eundem Ratisbonam in diem 11 Iunii vocavisse.* (M. 233.)

C(onradus) Dei gratia Romanorum rex W(ibaldo) Corbeiensi 1151 Ian.
abbati gratiam suam et omne bonum.

Sinceritati tuae notum sit, quod nos ex consilio et peticione principum duci H(einrico) Saxoniae ad expostulandam beneficialem iusticiam curiam Ulme in octava epiphaniae[1] indiximus. Ipse vero ad eandem curiam non solum venire neglexit, verum etiam armata manu ducatum Bawariae occupare conatus est. Nos itaque, debitum regalis censurae magis quam eius facta attendentes, aliam curiam ex iudicio principum in festo Barnabae apostoli[2] Ratispone ei prefiximus, querimoniae ipsius Deo auctore satisfacturi. Cetera nuntius.

---

320. *Heinricus Leo Wibaldum rogat, ut in curia Ratisbonensi die 12 Iunii sibi assit. Theodericum de Rikelingen commendat.* (M. 290.)

Domno W(ibaldo) venerabili Corbeiensis ecclesiae abbati 1151
H(einricus) Dei gratia dux Bawariae et Saxoniae, ascendere in montem Domini et stare in loco sancto eius[3].

Quoniam virtutis vestrae multa experimenta cognovimus, multum in benivolentia vestra confidimus. Hac itaque magna precedente confidentia, quia Dominus et vera loquendi audatiam eademque discrete proferendi vobis pre multis aliis contulit scientiam, vestram adimus obnixe deprecantes benivolentiam, quatinus in curia, quam rex 2 Idus Iunii[4] Ratispone celebrandam indixit, nobis assistatis et, quam in nos det sententiam, audiatis. Pollicitus est enim, quod secundum iusticiam vel principum consilia, qui ad curiam confluent, se nobis responsurum[a]. Valete, et de integerrimae dilectionis affectu ex nostri parte sitis indubii. Domnum Theodericum de Rikelingen filiosque eius dilectioni vestrae commendamus; et ut eis benignus existatis, intime rogamus.

a. *sic cod.*

1. Ian. 13. 2. Iun. 11. 3. Ps. 23, 3. 4. Iuni. 12. Cf. ep. 319.

321. *Wibaldus Eugenio III papae Regenbernum canonicum S. Mariae Mindensem commendat.* (M. 291.)

1151 Reverentissimo patri suo et domino E(ugenio) sanctae catholicae ecclesiae uni et universali papae frater W(ibaldus) Dei et vestra gratia id, quod est in ecclesia catholica, dilectionem filii et obsequium servi.

Lator presentium in ecclesia quadam Mindensis episcopatus canonica sua per violentiam, ut ipse conqueritur, spoliatus est; cui ante appellationem suffragium reconciliationis conferre conati fuimus[1]. In quo cum nequaquam proficeret, tandem vestrae celsitudinis presentiam appellavit et suos adversarios determinata dię ibidem auctoritate vestra invitavit. Unde sublimitatis vestrae pedibus animo devote advoluti, clementiam vestram, quantum nostrae parvitati conceditur, humiliter imploramus, ut causam ipsius pie audire dignemini et ad sublevandas ipsius oppressiones manum benignissimae defensionis extendere. Paternitatem vestram diu custodiat omnipotens Dominus.

---

322. *Corbeienses Wibaldo scribunt, quod ab eo Corbeiae petiissent, ut abbatiam Stabulensem abdicaret, id a sese iam non desiderari. De praeposito queruntur.* (M. 302.)

1151 Febr. ex. — Mart. in. Karissimo domino suo et patri W(ibaldo) venerabili abbati Corbeiensis ecclesiae conventus eiusdem ecclesiae debitam obedientiam.

Transmisimus ad sanctitatem vestram priorem nostrum et camerarium, eisque imposuimus vestrae paternitati suggerenda quedam verba ex communi deliberatione capituli nostri; quae vobis quidem, adhuc nobiscum posito, suggessisse debueramus, set consueto humanae naturae errore neglexeramus. Non dedignetur ergo pietas vestra adhuc clementer ea attendere et solita benignitate suscipere. Interpellavimus sanctitatem vestram, cum adhuc nobiscum presens essetis, de relinquenda Stabulensi abbatia, hoc modis omnibus desiderantes, ut iugiter apud nos essetis et, de aliis occupationibus expeditus, nostris necessitatibus

1. V. epp. 308 et 309 supra p. 437.

quietius et tranquillius providere possetis. Considerata autem 1151 Febr. ex. — Mart. in.
iniquitate presentium temporum, audita etiam tribulatione et incommoditate fratrum nostrorum Stabulensium, liquido animadvertimus, quod nostra peticio non esset congrua ad statum presentis temporis, nec sine maximo detrimento suo illa aecclesia posset á vobis hoc tempore relinqui. Eapropter nostram peticionem de relinquenda illa aecclesia in vestro arbitrio ponimus, tempusque relinquendi eam et oportunitatem integre ad nos transmigrandi in vestra discretione et voluntate dimittimus. Si qua alia capitula vestrae mansuetudini inconvenienter proposuimus, sicut presenti facere debuimus, pedibus vestris provoluti, paternitati vestrae satisfacimus et, ut ea de corde clementer dimittatis, humiliter obsecramus. Proxima transacta dominica prepositus in capitulo denunciavit, quod ab eadem die in quatuor septimanas panem et potum congregationi ministraret, postmodum vero nec haberet neque nobis ministraret. Quia ergo alium procuratorem, preposito nobis necessaria non dante, preter vos non habemus, omnem curam nostram de hoc verbo in vos proicimus et, ut curam habeatis de nobis, tanquam omni solatio destituti, paternitatem vestram rogamus.

---

323. *Wibaldus Heinrico priori Corbeiensi scribit de curia Nurenbergensi. Se cum rege Traiectum iturum esse. Num praepositus officio fungi an renunciare velit, scire cupit.* (M. 303.)

Frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in ecclesia ca- 1151 Mart.
tholica, dilecto filio H(einrico) salutem et benedictionem.

Iniquo tempore, frater, te priorem ordinavimus; et ob hoc predecessorem tuum[1] longo tempore amovere distulimus, quoniam in palam erat, neminem alium posse ordinari, in quem nostrae caritatis consensus accederet[a]. Remansisti enim nunc in medio solus, graviorem postmodum sarcinam laturus, cum nos decedere oportuerit. Siquidem aut cedendum erit multitudinis ambitioni cum magno iusticiae et ecclesiae detrimento, aut resistendum

a. *sic cod.*

1. Walterum.

1151 Mart. parvis suffragiis et maximo periculo. Quid de causa nostra in curia[1] sit actum, tam ex litteris domini nostri regis ad conventum missis quam ex viva legatorum nostrorum[2] voce plenius poteris addiscere. Domnus rex curiam in pascha[3] Spirae celebrabit, et in octava[4] ei occurrere apud Bopardam iussi sumus, descensuri cum eo usque in Ulterius Traiectum[5]; nec speramus, nos ab eo posse recedere ante octavam pentecostes[6], etiam si impetrare poterimus, ne secum usque Ratisbonam[7] transeamus.

Nunc ergo diligentia tua nobis celerrime renunciabit, utrum prepositus amministrare fratribus suis intendat[8] aut prepositurae officium abdicare. Non est enim nostri propositi, detrimentum sustinere in eo, in quo ipse fructum susceperit. Et quando cessabit amministrare, cesset et villicare; cum plane videamus, publicam substantiam privatis et inmoderatis sumptibus extirpari. Verumtamen, utcumque ipse se gerat, si defectum fecerit, tua industria, sumptis de thesauro ecclesiae pignoribus, necessaria fratribus sollicite providebit. Rescribe nobis de cunctis sollicite; et quid comes Herimannus postea de aecclesia Corbeiensi tractaverit, et quid ad litteras domni regis ad presens respondeat.

---

324. *Conradus III rex Eugenium III papam rogat, ut Herimannum episcopum Traiectensem confirmet, et Ottonem comitem de Ara ab Heinrico episcopo Leodiensi in communionem recipi iubeat.* (M. 306.)

1150 Mart. Dilectissimo patri suo E(ugenio) sanctae Romanae aecclesiae summo pontifici C(onradus) Dei gratia Romanorum rex et semper augustus filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Vacante Traiectensi episcopatu post discessum piae memoriae Harberti episcopi, misimus ad eandem ecclesiam legatos nostros cum mandatis, motus temerarios, qui in rebus huius-

1. Nurenbergensi, c. die 18 Martii. V. infra n. 5. 2. Hinc veri simillimum est, Wibaldum curiae Nurenbergensi interfuisse. 3. Apr. 8. 4. Apr. 15. 5. Nurenbergae circ. d. 18 Mart. Conradum regem hoc Traiectum eundi consilium cepisse, facile apparet ex ep. 324 infra. 6. Iuni. 3. 7. V. epp. 319 et 320 supra p. 449. 8. V. ep. 322 supra p. 451.

modi suboriri solent, et direptiones rerum aecclesiasticarum fieri auctoritate nostra prohibentes. Mandavimus etiam eiusdem urbis clero honoratis et populo, ut depositis partium studiis sese electioni futurae in spiritu concordiae et humilitatis prepararent, nec tale aliquid animositate certandi committerent, in quo libertas electionis canonicae ius libertatis amittere convinceretur. Verum ipsi, libertatem pietatis á patribus indultam in velamen maliciae assumentes, dissensionibus et ambitione rem totam perturbare ceperunt et longo tempore tantam potestatis tam in spiritualibus quam in secularibus rebus magnitudinem absque rectore fluctuare permiserunt. Ceterum ad animum rediens, maioris ecclesiae prepositus et eiusdem ecclesiae decanus cum reliquo clero et universis nobilibus unanimi consensu in domnum Herimannum, ecclesiae sancti Gereonis in Colonia prepositum, virum scilicet integrae vitae et probati testimonii, convenerunt. Set quidam ministeriales eiusdem ecclesiae, tumultu facto armisque illatis, coegerunt quosdam de eodem clero denominare et quodammodo eligere Frithericum prepositum sancti Georgii in Colonia, hominem videlicet infra aetatem et ordines, cuius ignorantia fautores ipsius ad subversionem ecclesiae abuterentur. Nos itaque, de tantae ecclesiae ruina compassione clementi condolentes, iterato misimus eis cum preceptis regalibus legatos, imperantes eis, quatinus omni occasione postposita mediante quadragesima[1], quae transacta est, nostro sese conspectui presentarent, accepturi ex regio more contentionum finem et urbis suae dominum, qui melioribus suffragiis iuvaretur. Venit itaque prefatus Herimannus ad presentiam[a] nostram cum suis electoribus. Set illi, qui iuvenem elegerant, iuveniliter agentes neque venerunt neque canonicam excusationem seu legitimam transmiserunt; nisi quod pater predicti F(itherici) prepositi, comes videlicet A(dolfus)[2], absque attestatione cleri et populi et certis per epistolas mandatis venit et negotium differri postulavit. Verum nos, adhibito episcoporum

1151 Mart.

a. *sic ex* prefatam *correctum est in cod.*

1. i. e. dominica „Laetare", 18 Mart. 1151. Hanc curiam Nurenbergae habitam esse, docet Otto Frising. Vita Friderici, L. I. c. 62. 2. de Huovele. V. Annal. Egmund. 1150 (Mon. Germ. SS. XVI. 456).

1151 Mart. et principum et virorum prudentium ac religiosorum consilio, consideravimus, electores predicti H(erimanni) prepositi sanioris esse consilii de persona á canonicis institutionibus non discrepante; quibus ex magno favore assentiebant omnes nobiles ac prepotentes eiusdem terrae, qui Traiectensem ecclesiam et in pace legibus honestant et in bello armis defensant. Itaque quia in nostra presentia nulla contradictio iuxta iuris ordinem huic electioni opponeretur, cum omnis aecclesia in nostram presentiam esset evocata, iudicatum est ab episcopis et principibus: nullam nos debere moram probabilibus desideriis inserere, set personam, absque vi et ulla mala machinatione electam et in sacris ordinibus aetate congrua inventam, provehere. Proinde celsitudinem sacerdotii vestri, quam vera in Domino caritate amplectimur, attente monendo rogamus, ut opus á nobis laudabiliter inchoatum benedictione sacrae manus vestrae perficere et confirmare non abnuatis, et labentis ecclesiae Traiectensis ruinam celeri benedictione fulciatis. Rogamus preterea sinceritatem vestram pro quodam consanguineo nostro, comite videlicet Ottone de Ara, quem quidam clericus nomine Ionathas per surreptionem á vobis excommunicari fecit, quatinus eum á Leodiensi episcopo[1] absolvi faciatis, eo scilicet rationis moderamine, ut, postquam fuerit absolutus, synodaliter vocetur, et causa, quae super quadam ecclesia inter eos agitur, canonico iudicio decidatur.

---

325. *Emanuel Graecorum imperator Wibaldum de sua in eum benevolentia certiorem facit. Hortatur, ut Conrado regi servire perseveret. Litteras poscit. Donum mittit.* (M. 321.)

1151 Mart. Imperiale ad preciosissimum aban monasterii Stabuli.

† Preciosissime aba monasterii Stavlú. Imperium meum, cum didicisset a multis in te florentem virtutem, quomodoque in honorem certas prenobilissimi regis Rome predilectissimique fratris et cognati imperii mei et in utilitatem christianorum, magnam devotionem et affectionem erga tuam preciositatem ob-

1. Heinrico II.

tinet, et orationem eius invocat perpetue. Vult igitur imperium meum, quo rursus etiam tua preciositas laboret in honorem predicti prenobilissimi regis. Numquam enim inveniet meliorem adiutorem in servitium contra Siculum et in caetera servitia sua. Vult autem et imperium meum, ut etiam per scripturas tuae preciositatis doceatur sospitatem ipsius. Magnam enim affectionem habet imperium meum in tuam preciositatem, ex quo certe cognovit florentem in te virtutem. Missa est ab Adon servata magna civitate, mense Martio, indictione 14. 1151 Mart.

✝ Missum est tibi examitum[1] megalogramon[2] diplarion[3] album ✝.

---

326. *Heinricus episcopus Leodiensis Eugenium III papam rogat, ut Arnoldum II electum archiepiscopum Coloniensem confirmet.* (M. 309.)

Reverendo patri suo et domino E(ugenio) summo et universali sanctae Romanae aecclesiae pontifici H(einricus) Dei gratia Leodiensis aecclesiae humilis minister tam devotam quam debitam totius subiectionis obedientiam et promptum ac fidele in omnibus obsequium. 1151

Post decessum bonae memoriae A(rnoldi) Coloniensis archiepiscopi[4] Coloniensis aecclesia nos et alios eiusdem metropolis suffraganeos ad diem electionis futuri antistitis ordine canonico evocavit. Et premissis ieiuniis et laetaniarum obsecrationibus et invocata sancti Spiritus gratia et exorato eo, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum[5] quique facit unanimes habitare in domo, elegit sibi, remoto omni privato studio, communi omnium non dicam favore et assensu set desiderio et acclamatione Arnoldum, eiusdem aecclesiae maiorem prepositum, regiae curiae cancellarium, virum utique moribus et natalibus, ordine et aetate et omnis prudentiae ratione sacerdotali officio congruentem, qui vitae merito et doctrinae scientia tam possit prodesse quam preesse. Tanta quippe fuit actionis illius in

1. holosericum. 2. striis magnis ornatum. 3. duplicatum.
4. Arnoldus I archiep. Colon. obiit 1151 Apr. 3. 5. Iacob. 1, 17.

1151 tempore brevitas, ut magis videatur esse optatum quam perpetratum et ipse magis raptus quam electus. Siquidem, in quo tunc accusari posse videbatur, ultra regularem modestiam renisus est et fere inobediens factus, trahi potius atque cogi quam vocari compulsus est. Proinde sanctitatis vestrae advoluti genibus, clementiae vestrae supplices preces effundimus, ut in hac persona, tantis omnium votis expetita, multiplices aecclesiae Coloniensis calamitates relevare dignemini, et unam de pulcherrimis sacrosanctae matris nostrae Romanae aecclesiae filiabus in pristinum dignitatis suae statum per manus beati Petri et vestras reformare. Veremur etenim et subintellexisse nos pro certo credimus, quod, nisi in manu vestra potenti adiutus et confortatus fuerit, onus omnino supportare detrectet et, reiecta ad pedes vestrae celsitudinis syndone qua amictus videbatur, nudus profugiat á vobis[1].

---

327. *Conradus III rex Heinricum archiepiscopum Moguntinum hortatur, ut Arnoldo II electo archiepiscopo Coloniensi, quae in praepositura Limburgensi abstulerit, restituat.* (M. 312.)

1151 C(onradus) Dei gratia Romanorum rex H(einrico) venerabili Moguntino archiepiscopo gratiam suam et omne bonum.

Rogaveramus experientiam tuam per litteras nostras et mandata plus quam tercio, ut, quod iuris tui esse cognoscitur in prepositura de Lempurch, ad nostrae voluntatis ac peticionis nutum in spe fidelis retributionis ordinares, oportuno scilicet tempore, quando hoc fieri sacrae leges non prohiberent. Tu vero peticionem nostram non solum non exaudisti, verum etiam aecclesiae Coloniensis electum, necdum eidem vocationi consentientem, contra canonica instituta possessione sua nudasti. Siquidem, cum adhuc detrectet onus ad ferendum suscipere et rem omnem distulerit usque ad presentiam et auctoritatem domni papae, amoveri á gradu inferiori non debuit, qui altiorem conscendere formidavit. Et cum examinatio precedat consecrationem, removeri quidam á summi sacerdotii officio possunt, qui tamen alias aecclesiae ychonomias recte amministrare possunt.

1. Marc. 14, 52.

Proinde prudentiam tuam attente monendo rogamus, ut factum 1151
tuum, quod canonice disciplinae regulam transgreditur, celeri ac discreta mutatione corrigas et, cum eadem prepositura ritę vacaverit, peticionem nostram exaudire non abnuas. Universa enim, quae á nobis habet, illibata ei usque ad consecrationem conservabimus.

---

328. *Conradus III rex monasterii Walciodorensis de cella Hasteriensi privilegium confirmat.* (M. 276.)

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Cuonradus di- 1151 Mai. 17
vina favente clementia Romanorum rex secundus. Ad imperialem munificentiam pertinet, bene de re publica merentibus premia rependere et ceteris, ad famulatum[a] imperii surgentibus, eos in exemplum aut bonae spei signum collocare. Quocirca noverit fidelium nostrorum tam futurae quam presentis etatis industria, quod interventu dilecti ac fidelis nostri Wibaldi abbatis, qui nunc Deo auctore Stabulensi et Corbeiensi monasterio preest, privilegia Walciodorensis monasterii, in quo predictus abbas sanctum religionis habitum suscepit[1] et iuxta regulam beati Benedicti et sanctorum patrum instituta professionem fecit, recitari et exponi iussimus. In quibus scriptum continebatur, quod vir quondam illustris Eilbertus comes in proprio hereditatis suae fundo monasterium secundum regulam et ordinem monachorum in pago Lummensi construxit et de suo iure ac proprietate in ius et dominationem regiam cessit et transegit. Quod monasterium cum omnibus appendiciis suis imperator Otto primus, cui á prefato comite, suo utique consanguineo, donatum fuerat, contulit Metensi aecclesiae per manum Deoderici venerabilis Metensis episcopi, hac scilicet interposita rationis observantia, ut idem pontifex quendam locum Hasteriam nomine, olim á sanctissimo predecessore suo Adelberone antistite ex proprio hereditatis iure sancto prothomartiri Stephano in Metensi aecclesia delegatum, supradicto cenobio gratia solaminis copularet, et quoniam proxima

a. asfamulatum *c.*

1. V. ep. 290 supra p. 417 n. 2.

1151 Mai. 17 vicinitate iunguntur, etiam sub unius ditione ordinationeque abbatis eadem prefata loca, Walciodorum videlicet atque Hasteria, indissolubili vinculo necterentur. Quae constitutio, tam a divae recordationis prenominato augusto per venerandae sanctionis paginam roborata quam apostolicis decretis per sanctissimum Benedictum papam confirmata, usque ad nostra tempora immobilis permansit et inconvulsa; licet alterius loci monachis, id est Hasteriensibus, studium semper fuerit, prerogative Walciodorensis cenobii obsistere et abbatum suorum ordinationibus temeraria presumtione resistere. Quae insolentia usque adeo stultis conatibus excrescere ausa est, ut sese á conexione et subiectione Walciodorensis cenobii et venerabilis Teoderici eiusdem loci abbatis abrumpere conati sint, donec iudicio curiae nostrae, legibus et ratione subnixo, compressi sunt et ad unitatem et obedientiam revocati. Auctoritate igitur in perpetuum valitura decernimus, ut Hasteriensis locus, Walciodorensi monasterio contraditus et conexus, eidem semper cenobio subdatur, sicut cella vel preposítura vel, quocumque nomine dicatur, aliquod inferius suo superiori debet adiacere. Et decedente eo, qui nunc ibi Deo prestante regulariter preest, T(eoderico) abbate, suisque successoribus in perpetuum regulariter ordinandis, Hasterienses monachi conveniant Walciodorum, tam ad exequias defuncti abbatis devote peragendas quam ad electionem futuri pastoris disciplinate et concorditer celebrandam; hoc videlicet discretionis tenore, ut primus assensus, prima vox, prima denominatio penes Walciodorensium constet arbitrium, et de ipsorum cetu persona, si fuerit idonea inventa, absque contradictione Hasteriensium eligatur. Quodsi ibi forte reperiri non poterit, atque in Hasteriensi aecclesia persona conveniens inventa fuerit, de ipsis potius quam de alio monasterio prelatus assumatur. Et ut hec constitutio rata et immobilis per cuncta successura tempora permaneat, presens preceptum conscribi mandavimus, nostraeque[a] signo imaginis impresso, testes, qui actioni et iudicio interfuerunt, subter notari iussimus. Arnoldus Coloniensis aecclesiae electus, nostrae

a. nostroque *c*.

curiae cancellarius, Heinricus Leodiensis episcopus, Otto frater noster Frisingensis episcopus, Warnerus Monasteriensis episcopus, Philippus Osebrugensis episcopus, Albertus Missinensis episcopus, Herimannus Traiectensis electus, Wibaldus Stabulensis et Corbeiensis abbas, Lambertus Werdenensis abbas, Adolfus comes de Montibus, Heinricus comes de Gelra, God(efridus) et Hermannus fratres de Kuic, Marquardus de Gruenbach, Albertus de Druendinga. 1151 Mai. 17

Signum domni Cuonradi secundi Romanorum regis invictissimi.

Actum in palatio Noviomagi anno dominicae incarnationis 1151, indictione 13, 16 Kalendas Iunii, regnante domno Cuonrado Romanorum rege secundo, anno regni sui 14, in Christo feliciter amen.

Ego Arnoldus cancellarius vice Heinrici Moguntini archiepiscopi et archicancellarii recognovi.

---

329. *Corbeienses Wibaldo significant, praepositum e monasterio die 19 Maii abiisse; seque inopia fameque premi. Rogant, ut ad se veniat.* (M. 304.)

Reverendo in Christo patri et domino W(ibaldo) Corbeiensi abbati frater H(einricus) prior et conventus Corbeiensis ecclesiae devotas orationes et debitam obedientiam. 1151 Mai.

Sicut in litteris vestris universitati nostrae iniunxeratis, ut cum preposito nostro conveniremus, ut absque defectu nostra nobis amministraret, facere studuimus; set nichil promovere potuimus, ipso defectum suum pretendente et nobis, ut necessaria ministraret, insistentibus. Denique inter eum et nos usque eo res processit post multas denunciationes, quibus defuturum nobis panem et potum denunciavit, quod tandem in diebus rogationum[1] et in ipsa sancta die ascensionis Domini[2] nos absque potu dimisit; et statim sequenti proximo sabbato[3] absque pane simul et potu, quod nunquam Corbeiae factum credimus, nos dereliquit. Cum ergo ipsa die, sedentes ad mensam secundum or-

1. Mai. 14—16. 2. Mai. 17. 3. Mai. 19.

1151 Mai. dinem et consuetudinem nostram, consuetam alimoniam expectaremus nec ab eo quicquam acciperemus, inpasti surreximus, et Deum secundum ordinem nostrum, euntes ad ecclesiam, cum psalmo benediximus. Statim igitur in unum congregati, quid facto opus esset, in commune consuluimus et, ut vestrae paternitati hanc necessitatem celeriter insinuaremus, inter nos convenimus. Interim autem fratri A(delberto) camerario nostro, licet invito et multum renitenti, hanc curam iniunximus, ut, donec redeat nuncius noster á vobis, panem et potum, undecumque possit mutuo acceptum, nobis provideat. Et argentum, quod ad sarcophagum hoc anno deputaveramus, in pignore accepit. Quoniam itaque imminentem nobis necessitatem videtis, obsecramus dilectam nobis paternitatem vestram, ut quantotius reditum vestrum ad nos acceleretis, ut de instanti periculo nos et aecclesiam eripiatis, quod sine presentia vestra evadere non possumus.

---

330. *Wibaldus Corbeiensium angustias dolet. De Lotharingiae difficultatibus addit. Confidit fore, ut paullo post diem 11 Iunii ad eos revertatur.* (M. 305.)

1151 Maio ex. Frater W(ibaldus) Dei gratia Corbeiensis abbas H(einrico) priori et ceteris Corbeiensis ecclesiae fratribus et filiis benedictionem et vitam usque in seculum.

Quod tanti et tam enormes defectus tempore hoc in aecclesia Corbeiensi contingunt, precordialiter Deo teste dolemus; set, magno rerum turbine deprehensi, nullum effectum bonae voluntatis nostrae operibus demonstrare valemus. Set unum in tantis malis nostrae miseriae solatium divina pietas providit, quod vos haec incommoda tam inordinata, tam inaudita, quae nunquam antehac Corbeiensi ecclesiae accidisse credimus, patienter et equo animo supportatis, neque absentiam nostram, quae vestris utilitatibus officere putatur, acerbo reprehensionis verbo fatigatis. In quo nostram sollicitudinem artissima vobis caritate obnoxiam ita devincitis, ut nullus de cetero labor sit, nulla iniuria, quam pro vestra dilectione et communi iusticia subire et ferre pro viribus recusemus. Ceterum, fratres karissimi, reditum nostrum

ad vos accelerare prohibet non solum Stabulensis ecclesiae verum 1151 Maio ex.
etiam totius Lotharingiae concussio et eversio, quae utique nostra patria est, quae nos genuit educavit et provexit; quam, prohibente domino nostro rege ac multis principibus regni, deserere et ad vos tam animo quam corpore migrare, non est nobis concessum, quamvis extremae impietatis non[a] esset, parentem in tantis cruciatibus positam abhorrere et fugere. Ad cuius[1] pacem reformandam ultra facultatis nostrae captum sex fere septimanis, quibus cum domino nostro rege fuimus[2], ardenter institimus; set, peccatis facientibus et cuncta in pravum trahentibus, nichil proficere potuimus. Verumtamen si in his proximis decem diebus[3] nulla pax vel finitiva vel per inducias intercesserit, de totius terrae[4] salute desperandum erit. Attamen modis quibuscunque poterimus efficere conabimur, ut non longe post festum Barnabae apostoli[5] aut ipsi ad vos transeamus aut tales nuncios dirigamus, qui vestris oportunitatibus certo possint providere consilio; cum non ignoret vestra eruditio, quam difficile sit hoc tempore, et nostrae domui, quae ultra claustralem modum sumptuosa est, et toti monasterio providere. Interim caritati vestrae iniungimus, ut studio prioris vestri et fratris A(delberti) camerarii vestri sic omnia pro tempore ordinentur, ut et fratribus non desint alimenta nec divina inter vos cessent obsequia.

---

331. *Wibaldus B. archidiacono Leodiensi significat, se ob valetudinem colloquio Hoiensi non affore. Monet, agat, ne de pace desperetur.* (M. 307.)

Dilecto fratri et amico suo B. sanctae Leodiensis aecclesiae 1151
venerabili archidiacono frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, benedictionem et dilectionem.

Frater noster, quem ad vos miseramus ad explorandum

a. non *addidi.*

1. Lotharingiae. 2. itaque a die 15 Aprilis (v. ep. 323 supra p. 452 n. 4) ad diem fere 27 Maii; quo quidem die regem scimus Confluentiae fuisse; v. Otton. Frising. Vit. Friderici L. I. c. 63. 3. ante regis ex Rheni partibus discessum in Bavariam, ubi curia Ratisbonensis die 11 Iunii habenda erat. V. ep. 319 supra p. 449. 4. Lotharingicae. 5. Iuni. 11.

1151 propositum domini nostri episcopi[1] et ad intelligendam de pace universitatis vestrae voluntatem, tardius ad nos rediit, quam oportunitatis ordo et rerum ratio exposceret. Cum igitur propter longiorem moram eius de colloquio apud Hoium[2] futuro desperavissemus, conversi ad curam corporis, sanguinem minuimus, paulo ante quam idem frater noster reverteretur. Excusatam itaque habeat vestra discretio nostram valitudinem; nec ullo modo in corde suo recipiat, quod propter privatas odiorum inimicitias pacem terrae et publicum statum turbari velimus et evertere. Neque enim mores nostros ita instituit et formavit illa vestra doctrix et domina, rerum divinarum et humanarum magistra et educatrix, philosophia, ut ob causae singularis titulum bona communia deseramus. Divina enim philosophia dicit: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*[3], et: *Beati pedes pacem portantes.* Umana philosophia non contempsit, etiam capitales inimicos in consortium magistratus ob rei publice salutem asciscere. Et quoniam tyrannos iam in insaniam versos esse comperimus, vestra industria cum omni humanitate et placiditate animi efficere curabit, ne spes pacis abrumpatur et efferate ad arma concurratur. Etenim post hoc triduum, viribus recuperatis, nec persone nec rebus parcendum fore in animum duximus, quatinus pax et tranquillitas populo christiano per nos peccatores, si divinitati ita complacuit, procuretur. Alias autem, quae proprie ad nos et aecclesiam nostram spectant, non minore studio repetemus.

---

332. *Wibaldus monachis Gladbacensibus auxilium pollicetur. Ministeriales eorum se vitio abbatis insolentius extulisse putat.* (M. 308.)

1151 Reverendis in Christo fratribus Cladebacensis aecclesiae monachis frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, benedictionem et vitam usque in seculum.

Duplex nos ratio ad vestrae dilectionis et caritatis affectum provocat, videlicet quod unius ordinis habitus et religionis no-

1. Leodiensis, Heinrici. 2. Huy, inter Leodium et Namucum. 3. Matth. 5, 9.

mine fruimur et unius eiusdemque patroni intercessione gloria- 1151
mur, videlicet beati Viti martyris; cuius nos, quamvis indigni Deo tamen sic ordinante, vicarii existimus, cuius ut patrocinio sublevemur et fidem congrua devotione sectemur, confidentissime expectamus. Quapropter, fratres karissimi, omnem nostri affectus karitatem vestrae fraternitati exponimus et, ut de nostri consilii et auxilii adiutorio omnimodis confidatis, prompta animi voluntate offerimus, sciturì, quod in cunctis, quibus secundum Deum poterimus, oportunitati vestrae[a] pro nostra facultate assistemus. De eo autem verbo, quo tam nos quam omnes catholicae aecclesiae filios interpellastis, gementes et supplices respondemus: quod filii matris nostrae pugnant adversum nos. Et mirum atque mirabile esse potest toti mundo, cui vel quibus ministeriales vestri respondere habeant, si vobis, quibus ministrare servire et obtemperare debent, non respondent; cum totum, quod sunt vel esse possunt, vestrum sit, et tam in eorum personas quam substantias potestas tam legibus quam canonibus vobis et monasterio vestro attributa sit. Si de causa capitali[b] et peremptoria vel de possessionis titulo ageretur, advocatis utique secularibus tanquam in causa seculari opus haberetis; verum cum de iniuria, de damno illato agitur, non solum hii, qui iure proprietario vestro monasterio pertinent, set etiam omne hominum genus, ut nostrae quidem parvitatis fert sententia, respondere et satisfacere vobis iuxta legum tramitem non posset contradicere. In qua presumtione vestrorum ministerialium dilecti confratris et coabbatis nostri culpanda est, ut pace ipsius dicamus, vigilantia, qui non ascendit ex adverso nec opponit murum pro domo Israel[1], set permittit, ut vulgo dicitur, scabella in scamna ascendere. Otio enim vacant, et ideo vociferantur[2]; et volunt matrem et dominam suam pedibus in luto conculcare; et cum de rebus aecclesiae alantur, inpinguati, incrassati, dilatati recalcitrant. De cetero de nostris orationibus et intimo servitio plurimum tam in hac quam in omni causa confidere debetis.

a. vestrae *addidi*. b. capituli *c*.

1. Ezech. 13, 5. 2. Exod. 5, 8.

333. *Arnoldus II electus archiepiscopus Coloniensis Wibaldo significat de rebus suis in Westphalia gestis et de Romano itinere suo prorogato. Rogat, scribat, quando ad se venturus sit.* (M. 314.)

1151 Iun. — Iul. Domno W(ibaldo) Dei gratia venerabili Stabulensi abbati A(rnoldus) eadem gratia quidquid est salutem et promtum ac fidele in omnibus obsequium.

Grates debitas celsitudini vestrae dicimus pro eo, quod vestrae prudentiae experientiam modis omnibus nostro honori accommodam sentimus[a]. Quid virtus Altissimi, sine qua nichil validum, nobis presentibus in Westfalia et in conterminio Saxoniae operata sit, ipse rerum eventus et rumor satis cognitus vobis intimabit. Preterea clerus honorati et ministeriales, pacem adhuc teneram ac novellam facile per nostram absentiam turbari timentes, iter nostrum ad domnum papam cum magna precum instantia ad presens differri persuaserunt, donec ad plenum solidata pax etiam post nostrum discessum nulla turbetur tempestate malorum. Ubi et quando nos videre et de negotiis nostris nobiscum agere velitis, nobis significate.

---

334. *Wibaldus Arnoldo II electo archiepiscopo Coloniensi de pacis opere gratulatur. Se cum episcopo Leodiensi conventurum esse. Itineris Romani dilationem dissuadet. Addit de legatis papalibus venturis. In Saxoniam se circiter 24 Augusti reversurum esse.* (M. 315.)

1151 c. Iul. Reverentissimo patri suo et domino A(rnoldo) sanctae Coloniensis ecclesiae venerabili electo frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Quod res vestrae prosperis successibus, Deo eas augente, provehuntur, et pax diu á bonis desiderata per vestram industriam, compressa latronum audatia, reformatur, duplex nobis leticiae extat materia, tum quia nostris temporibus, qui iam fere á bonis[b] desperavimus, haec fiunt, tum quia ab experientia vestra,

a. sitimus *c.* b. *sic cod.; an* ab annis?

quam á longis retro temporibus diligere et laudibus ornare studuimus, haec fiunt. Set positis nobis in nostra veteri nemorum solitudine[1] rarius haec gaudiorum vota ad noticiam perveniunt. Eadem die, qua frater Hillinus ad nos á vobis rediens pervenit, venerunt ad nos plures de religiosis abbatibus Leodiensis episcopatus prope monasterium nostrum, orantes enixius, ut, omissa interim iniuria, quam tum a domno Leodiensi episcopo[2] tum á comite Namucense[3] et operibus et verbis gravem frequenter accepimus, de pace inter ipsos componenda tractaremus. Et quia domnus episcopus in vicino erat, pollicentes tam honestis viris operam nostram, pro eodem verbo pariter episcopum convenimus. Itaque ex ipsius beneplacito dies usque in proximum sabbatum prefixa est, quando religiosi et sapientes viri de toto episcopatu conveniant et ad pacem terrae, si ita summae divinitati complacuit, omne studium[a] et diligentiam adhibeant. Quia igitur rebus publicis ad presens impliciti sumus, de nostro ad vestram presentiam adventu, sicut mandastis, certum vobis in instanti responsum reddere non possumus. Super hoc autem, quod nobis vestra celsitudo notificare dignata est, quod universali ecclesiae vestrae consilio iter vestrum ad domnum papam hoc tempore distulistis, nichil contra niti vel obviare presumimus, cum rerum eventus eorum commoda respiciat, qui sunt sententiae auctores. Verumtamen, quia unusquisque in suo sensu abundat[4], nobis, qui frequenter horribilibus periculis iactati sumus, et precipue periculis in falsis fratribus, cum de summa dignitatis obtinendae agitur, nichil satis festinari posse videtur; quoniam, cum ad ardua tenditur, non solum regressus set etiam mora non immerito formidatur. Paternae siquidem regulae et decreta sanctissimis diffinita conciliis vetant sedem metropolitanam ultra trium mensium spatium viduatam manere; quod vestram eruditionem plenius recognoscere non ignoramus. Preterea legati Romanae ecclesiae[5] ad has partes perveniunt, causam Traie-

1151 c. Iul.

a. stadium *c*.

1. in monasterio Stabulensi. 2. Heinrico. 3. Heinrico. 4. Rom. 14, 5. 5. Octavianus pr. card. tit. S. Caeciliae et Iordanus pr. card. tit. S. Susannae. Cf. Annales Palidenses (Mon. Germ. SS. XVI, 86).

1151 c. Iul. ctensis electionis terminaturi; et videat aecclesia vestra, cuius vos consilium sequi condecet, qualiter in urbe vestra idem legati in hoc rerum statu suscipiantur et ad eandem litem decidendam[a], sicut decet Romanam et Coloniensem aecclesiam et vestrae personae honorem, teneantur. Circa festum beati Bartholomei apostoli[1] versus Saxoniam nos retransituros speramus. Et ubi tunc vestrae discretioni placuerit, vobis colloqui et subservire parati erimus.

---

335. *Conradus III rex Wibaldum in diem 15 m. Septembris Herbipolim vocat.* (M. 316.)

1151 Sept. in. C(onradus) Dei gratia Romanorum rex W(ibaldo) Corbeiensi abbati gratiam suam et omne bonum.

Discretioni tuae volumus esse cognitum, quod octava die post proximam nativitatem sanctae Mariae[2] nonnulli principum nostro se conspectui presentabunt apud Herbipolim, de negotiis ecclesiae et regni et de nostra expeditione nobiscum tractaturi. In quibus et tua opus habemus presentia, utpote cum quo familiarius et plenius singula intendimus pertractare. Per presentia igitur scripta sollicitudini tuae mandamus, quatinus, omni dilatione et occasione postposita, in termino supra memorato, modico comitatu contentus, nostro te conspectui represenfes.

---

336. *Heribertus regis capellanus Heinrico priori Corbeiensi mandat, ut regis litteras Wibaldo nulla mora mittat.* (M. 317.)

1151 Sept. in. Domno Heinrico venerabili priori Corbeiensis ecclesiae Heribertus capellanus[3] servitium suum.

Sollicitudini vestrae artius iniungere presumo, ut litteras[4] domni regis domno abbati sine mora transmittatis, quia pro magnis[b] et etiam privatis negotiis ad curiam vocatur.

---

a. decidandam *c.* b. publicis *excidisse videtur.*

1. Aug. 24. 2. Sept. 15. 3. Conradi regis. 4. ep. 335.

337. *Sueno Danorum rex Conradi III regis colloquium petit. Ad Slavos bello lacessendos hortatur.* (M. 318.)

C(onrado) Dei gratia Romano imperatori glorioso et semper 1151
augusto Sueno, eiusdem nutu Danorum rex, filialem dilectionem et debitam subiectionem.

Inpensi beneficii haut immemor, paternitatis vestrae clementiae semper gratias agimus; omniumque remuneratorem Deum iugiter exoramus, ut, ubi nostrae parvitatis vicissitudo defecerit, summa sua misericordia retribuere dignetur. Serenitatis autem vestrae experta dulcedo[a] accipiat, quoniam in vestra maiestate manutentionis nostrae anchoram á primevae iuventutis flore fiximus et immutabiliter esse fixam post Deum semper exoptamus, eique vita comite decenter usque desideramus[b]. Convenit igitur paternitati vestrae, filii honori providere et, si qui ad nostri destructionem emerserint, eorum temeritatem compescere. Curiae autem decorem et desiderabilem celsitudinis vestrae vultum videre cupientes, intime precamur, quatenus et locum adeundi commodum et tempus apparatus idoneum designetis et securum ducatum nobis procuretis. Hiis vero amicis nostris fidelibus, videlicet domno Bremensi archiepiscopo[1] et O.[2] marchioni, legationem nostram commisimus, ut ducis[3] insidias declinaremus. Valete. Et principes vestros ad Slavorum depressionem excitate. Et super haec, quae digna videntur, rescribite.

---

338. *Kanutus deiectus Danorum rex Conradi III regis opem implorat.* (M. 319.)

C(onrado) Dei gratia Romanorum imperatori augusto Ka- 1151
nutus rex Danorum salutem.

Quoniam vos Rex regum ad hoc constituit et unum ex multis elegit nominisque sui gloria decoravit, ut pater iusticiae filiusque pacis fieretis, merito debetis in omnibus iusticiam corroborare et iniuste afflictis solatia adhibere. Privati igitur non

a. ducedo *c.* b. *sic cod.*

1. Hartwico. 2. an C(onrado) marchioni Misnensi? 3. Heinrici Leonis.

1151 solum regno verum eciam patrimonio, Christo et vobis conquerimur, ut iusticia dictante nobis exulibus condescendatis et compatiamini. Ad imperium enim Romanum expulsi confugimus, quia ibi consilium et auxilium invenire speravimus. Vestram itaque regiam potestatem suppliciter exoramus, quod nobis subveniatis et pro vestro honore nobiscum paterne agatis et, quae iniuste amisimus, gladii vestri severitate rehabeamus. Nos vero vestra precepta in omnibus velut filii constanter sequemur.

---

339. *Wibaldus Conradum III regem hortatur, ne colloquio Cranahensi desit, utque Heinricum Leonem ducem fortiter oppugnet et Hermannum comitem sibi satisfacere iubeat.* (M. 240.)

1151 Inclito triumphatori et magnifico domino suo C(onrado) Dei gratia Romanorum imperatori augusto frater W(ibaldus) eadem gratia id, quod est in aecclesia catholica, salutem in eo, qui dat salutem regibus[1].

Licet extra fines Saxonum longiuscule simus positi et crebris eorum colloquiis interesse non possimus, tamen cum omni studio et instantia sollicite inquirimus, ne forte adversus vestram quietem aliquid quoquo modo agatur. De quibus omnibus licet capellanus vester Herebertus, qui nuper totam terram peragravit et universa subtiliter perquisivit, vestram possit plenius submonere prudentiam; tamen vestrae celsitudini breviter suggerimus, quod nichil omnino sentire potuimus, quod vestram debeat magnanimitatem commovere. Non deerunt tamen aliqui, qui sub specię firmioris fidei, sub colore propensioris karitatis, quaedam horribilia et grandia vestrae sapientiae proponant, ut hoc tamquam piae sollicitudinis et premonitionis titulo emolumentum a vobis accipiant. Set ingens illa prudentia, quae ab omnium bonorum largitore vobis habundantius collata est, omnia probabit et quod bonum est tenebit[2]. Nulli vero assensum prebeat vestra maiestas dehortanti, quod ad colloquium apud Cranaha[3] non veniatis; quoniam principum vestrorum animi fatigarentur, et quandam

1. Ps. 143, 10. 2. 1 Thessal. 5, 21. 3. Kronach, a Bamberga inter septemtriones et orientem.

argutae coniecturae materiam sumerent, quod eos suspectos habueretis, quos tociens vocatos videre non velletis. Veniatis autem, sicuti dominum et imperatorem decet, maxime cum colloquium breve futurum sit; et, si cuius fides claudicare putatur, ita instaurabitis, ut, si vobiscum in veritate non operatur, tamen ab inimicis vestris ei postmodum non facile credatur. Nullius autem suggestio, nullius blanditiae, nullius etiam minae vestram fortitudinem a proposito evertant, quin illum[1] hostiliter invadatis et sub pedibus vestris conculcetis, qui totum imperium vestrum replet mendaciis et in hoc non sapienter gloriatur, quod contra vos aliquid velle vel posse agere existimatur. Per fratrem Iohannem diligenter et fortiter ammonebitis comitem Herimannum, ut nobiscum efficatius agat; ne cogamur contra voluntatem nostram alia patrocinia querere. 1151

---

340. *Conradus III rex Eugenium III papam rogat, ut Arnoldum II electum archiepiscopum Coloniensem confirmet privilegiisque augeat. Wibaldum abbatem et Heinricum notarium, legatos suos, commendat*[a]. (M. 313.)

Dilectissimo in Christo patri suo E(ugenio) sanctae Romanae aecclesiae summo pontifici C(onradus) Dei gratia Romanorum rex et semper augustus filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam. 1151 post Sept. 15

Coloniensis aecclesia, quae sui magnitudine ac decore omnes fere Germaniae et Galliae preminebat aecclesias, ad tantam ex pastorum suorum negligentia calamitatem deciderat, ut omni tam religione quam dignitate miserabiliter spoliata cerneretur. Deo igitur res humanas moderante et cuius vult miserante[b], subtractus est ab hac vita eiusdem aecclesiae antistes Arnoldus, cuius Apr. 3 tempore conquassata[c] plurimum et attrita[d] fuerat. Et tunc fideles

a. *Haec epistola in codice bis legitur* 1. *fol.* 110 — 110*v*, 2. *fol.* 122 — 123. *Et in fol.* 110 — 110*v quidem habetur prior epistolae forma, a Wibaldo paullo post electum Arnoldum archiepiscopum scripta. Post diem autem* 15 *Sept. commutata et aucta epistola est, quemadmodum legitur in codicis fol.* 122—123. b. miserente 1. c. *sic ex* conquassante *corr. in* 1. d. atrita 2.

1. Heinricum Leonem.

1151 Apr. filii prefatae ecclesiae[a] clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, ut de necessitatibus suis eriperet eos[1]. Quorum devotas preces Deus ex abdito misericordiae suae exaudiens, misit eis spiritum consolationis et unanimitatis, ut pari voto parique sententia et consona omnium acclamatione eligerent sibi in patrem et pastorem animarum suarum et dominum Coloniensis urbis Arnoldum, eiusdem urbis[b] maiorem prepositum, nostrae curiae cancellarium, pro eo quod eius scientia et honestate cum Dei adiutorio et vestra benedictione ac nostro presidio sperabant et pacem in terra revocari et latrocinia coherceri et reformari leges et honestari mores. Ipse autem ultra humilitatis et obedientiae regulas et[c] reclamabat et renitebatur, pro hoc[d] quod ad tantas[e] et tam multiplices ruinas intus et foris resarciendas se infirmum et debilem arbitrabatur; et, sese mori malle vel in perpetuum exulare[f], quam matrem suam se prelato ab improbis lacerari ac subverti[g], protestabatur. Irruentibus itaque in eum tam clero quam honoratis et populo, tractus est in aecclesiam violenter; nec, more vel ordine suo renitens, intronizari potuit, dicens[h], huius consilii et rei summam usque ad vestrae celsitudinis assensum et iussionem se[i] velle differre. Accessimus[k] interim, nichil adhuc de obitu antistitis illius audientes[k], ad eas partes Lotharingiae ad reprimendos motus bellicos et vindicandas latronum incursiones, qui totam episcopatus illius regionem rapinis et incendiis perturbaverant et inreparabilis metu vastationis cuncta
Mai. compleverant. Ingressi vero[l] urbem Coloniensem — quae tota erat coronata gaudio spe et alacritate tam unanimis in tam excellentem personam electionis et nostro celeri inopinato[m] quasi divino nutu ad eandem rem confirmandam adventu — coegerunt nos electores religiosa quadam et humili violentia, a principali[n] aecclesia beati Petri principis apostolorum, in qua more regio sollempniter suscepti eramus, non discedere, donec electionem cano-

a. prefatae ecclesiae *om.* 2. b. aecclesiae 2. c. et *om.* 1. d. eo 1. e. tentas 2. f. exulari 2. g. substerni 1. h. decens 2. i. se *om.* 1. k. Descenderamus tunc 1 *pro* Accessimus — audientes. l. ergo 1. m. inopinato — nutu *om.* 1. n. templo in quo 1 *pro* a principali — sollempniter.

1. Ps. 106, 6.

nice et concorditer factam pro nostrae[a] dignitatis privilegio confirmaremus et electum ad reformandam pacem et iusticias seculares faciendas proveheremus et adiuvaremus. Verum ille solito more[b] contradicere persistebat, asserens, se nequaquam sufficere ad sanandas contritiones eorum; cum lacrimabili spectaculo tota Coloniensis aecclesia ad pedes eius prostrata iaceret, flens et supplicans, ut lapse et destitute[c] matri suae tamquam pius filius manum erectionis[d] accommodaret. Nos igitur de vestra bonitate et discretione[e], quam[f] plurimum in Domino diligimus, confisi, promisimus tam aecclesiae Coloniensi quam ipsi electo[g], quod apud sublimitatem vestram modis omnibus obtineremus, quatinus ipsa Coloniensis aecclesia tum in privilegiis suis antiquis, set neglectis at nunc per vestrae benedictionis largitatem renovandis et confirmandis, roboraretur, tum[h] persona ipsius pristina dignitate iuxta formam predecessorum suorum honestaretur. Et adfuit divina pietas[i], bonis principiis meliores augens successus; quoniam ad ingressum eius, nostra cooperante clementia, et bellorum tuba conticuit et latronum grex, tante fortitudinis manu perterritus, in suae malitiae absconso delituit. Proinde sinceritatem vestram attente mandando ac[k] monendo exoramus[l], quatinus pro nostrae dilectionis ac peticionis intuitu eundem electum, ad vestrae mansuetudinis presentiam venientem, gratanter suscipiatis et, apostolicae benedictionis gratia consecratum, cum privilegiis suis renovatis[m] et auctis celeriter ad nos remittatis.

1151 Mai.

ex cod. fol. 110'.	*ex cod. fol.* 122'—123.
Cum enim ex officio Coloniensis ecclesiae in Italico regno cancellarius existat et nobis in cisalpinis partibus tam ex magnitu-	Nec patiamini eum[n] honus impositum a se reicere et ad pedes vestros sicut ipse intendit deponere; quia sanctitati vestrae pro certo significamus, per alium hoc tempore casum aecclesiae illius nequaquam posse resurgere; siquidem de statu universalis aecclesiae tanta vobis cura est, quantam esse non frustra spe-

a. regio more 1 *pro* pro nostrae — privilegio. b. studio 1. c. labenti et corruenti 1. d. erectionis *om.* 1. e. et discretione *om.* 1. f. qua 2. g. sibi 1 *pro* ipsi electo. h. ipsa *add.* 2. i. clementia 1. k. mandando ac *om.* 1. l. rogamus 1. m. renovans 2. n. eo *c.*

1151 post Sept. 15 dine sui principatus quam ex diuturna familiaritate oportunus et profuturus esse non dubitetur, tum sacrosanctae matri nostrae Romanae ecclesiae tum imperio nostro favorabile et fructuosum videtur, si persona idonea maioribus incrementis et maiori prerogativa per vos promoveatur.

———

ramus. Iste enim tanto semper se moderamine libravit, ut redderentur[a] Deo quae sunt Dei et cesari quae sunt cesaris; et propter obedientiam tam vestrae persone quam devotionem sanctae Romanae aecclesiae Christum et nos, contemptis et relictis omnibus, sequens, medius quasi inter utrumque parietem, faciens utraque unum, nos[b], etsi dissidere nec volumus vel debemus, ipse colligatos tercio[c] karitatis funiculo nequaquam vacillare permittet[d], set ad laudem et gloriam eius, qui supra solidam petram dignatus est fundare aecclesiam suam, sua sollicitudine ac providentia nostram integritatem conservabit. Pro hoc enim ad vestrae beatitudinis presentiam destinavimus W(ibaldum) abbatem Corbeiensem et magistrum H(einricum) curiae nostrae notarium, viros utique prudentes et honestos et nobis in omni secreto ut nostis familiarissimos, ad hanc precipue causam iuxta nostrae voluntatis propositum promovendam et ad alia quedam aecclesiae et regni negocia vestrae discretioni perfectius intimanda. Quos pro nostrae dilectionis respectu ut benigne suscipiatis et in suis peticionibus clementer exauditos cum honore et gaudio celeriter ad nos remittatis, attente monendo rogamus.

---

341. *Colonienses ab Eugenio III papa petunt, ut Arnoldum II electum archiepiscopum consecret.* (M. 310.)

1151 Reverentissimo patri suo et domino E(ugenio) sancte Romane aecclesiae summo pontifici W(alterus) decanus, archidiaconi, abbates, prepositi, clerus, honorati et universus populus Coloniensis aecclesiae, tam devotam quam debitam totius dilectionis ac subiectionis obedientiam.

Excellentiae vestrae notitiam preterisse non credimus, quod

a. reddētur *c.* b. nos *addidi.* c. *an* triplici? *Cf. Eccle.* 4, 12 d. permittat *c.*

mater nostra Coloniensis aecclesia, una utique de inclitis filiabus 1151
sacrosanctae matris[a] nostrae Romane aecclesiae, cui nunc Deo auctore feliciter presidetis, promta et alacri non solum constantia verum etiam efficatia militavit, tum videlicet, quando eadem Romana aecclesia pro assertione veritatis et ortodoxe religionis ac sanctarum constitutionum defensione arma contra tirannos sumere et sese viriliter tueri et in propriam libertatem vendicare coacta est. In quo certamine, quantum universalis status catholicae ecclesiae virium et incrementi suscepisse visus est, tantum procul dubio res nostra familiaris tum in suae pacis perturbatione tum in suarum possessionum diminutione detrimenti accepit. Siquidem tunc patria nostra occubuisse credenda est, cum extinctis iustitiae defensoribus inermis et absque protectore relicta est, tanto ruinae suae maiorem factura iacturam, quanto sublimitatis suae potiorem perceperat gloriam. Nam ex prelatorum suorum et nostra communi negligentia de celsitudine sua venit in abiectionem, de regula in abusionem, de divitiis in egestatem, in commotionem de tranquillitate, in ignominiam de splendore, in infamiam de nobilitate. Et hoc quidem factum est sanctissimis ac iustissimis divine providentiae iuditiis, set á nostra cognitione penitus remotis; cum in omni patrum nostrorum decessu nostra mens omnium fere et concordia fuerit, ut tales Deo auctore in patres et pastores animarum eligere possemus, qui ad tale onus portandum et ad tantam dignitatem decorandam suffitientes et idonei crederentur. Omni enim capite languido, necesse est omne cor merens existere et a planta pedis usque ad verticem in eodem corpore nullam esse sanitatem. Set divini ordinis sapientia, quae attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter[1], nostras voluntates ad suum nutum convertebat, ut non in edificationem set potius in subversionem nostrae procederet electionis coniventia. Omnium tamen suffragiis et precipuis votis expetebatur iam tercio is, qui nunc Deo res nostras miserante electus est, quia, ut de patriarcha Iacob legitur, erat vir in cunctis prospere agens[2]; sed cum suam nimis importune

a. matri *c.*

1. Sap. 8, 1. 2. Gen. 39, 2.

1151 pretenderet humilitatem, celestem ut credimus offendebat maiestatem. Verum cur diximus *electus*, cum universorum non solum lacrimis et precibus quin etiam violentis manibus sit tractus
Apr. 3 et coactus? Etenim post obitum patris nostri Arnoldi archiepiscopi, Coloniensis aecclesia, salutem et protectionem suam iam a longis retro temporibus esuriens, triduanum ieiunium cum desiderio cunctorum indixit et, comportatis per omnes vicos urbis sanctorum confessorum corporibus Severini, Cuniberti et Ailulfi, qui Coloniensem aecclesiam viventes in carne plantaverant et in caritate divina dilataverant, Dei omnipotentis clementiam humili prece et sincera devotione interpellabant: ut pastor aeternus talem suis ovibus pastorem per merita et intercessiones predictorum pastorum ostendere et ordinare dignaretur, qui, eorum imitando vestigia, populo Dei posset et utiliter preesse et efficaciter prodesse. Die vero, qua futuri antistitis erat formanda electio, invocata devotius et attentius sancti Spiritus gratia, votis concordibus et pari cunctorum ordinum acclamatione traximus ad inthronizandum virum venerabilem, vestrae sanctitatis filium, Arnoldum, maioris aecclesiae prepositum; qui ita ministraverat, ut bono gradu esset[a] dignior, et in modico antea fidelis[1], postmodum supra multa constitutus, demum in sui domini gaudium introiret. Renitens vero et reclamans excusabat se ipsum, pretendens humilius quam verius virium suarum inbecillitatem, et ad memoriam reducens multiplices ecclesiae nostrae conquassationes et ruinas, et eos precipue defectus merens, quod Coloniensis aecclesia omni fere dignitate ac potestate, quam á sede apostolica priscis temporibus gloriose acceperat, nudata prorsus et spoliata videretur. Et licet nostrae fraternitatis universitas in eodem merore iam diu contabuerit, tamen, de vestra misericordia confisi, spe bona consolabamur eum; futurum non dubitantes, quod vestra clementia ipsius desiderium et nostram peticionem nequaquam desereret. Mittimus itaque ad vestrae sublimitatis pedes unum de senioribus Israel, quem nos novimus, quod senex populi sit ac magister, non solum aetate corporis legitima sed

a. esse *cod.*
1. Luc. 19, 17.

etiam senectute mentis et gravitate sacerdotali: quatinus divinae 1151
potentiae operatio per vestrae benedictionis gratiam de spiritu vestro tradat ei, ut sustentet vobiscum onus populi. Si enim á vestra benignitate non fuerit clementer, quod Deus avertat, susceptus et stola prima, quam Coloniensis aecclesia iam dudum se amisisse dolet, vestitus, elegit abiectus esse in domo Dei sui magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum[1]; et sic fructus, qui iam in flore apparuit uberrimus, peribit, et terra nostra duplici contritione conteretur.

---

342. *Wibaldus Arnoldo II electo archiepiscopo Coloniensi mittit epistolae a se formatae exemplum, quod sicut velit commutet.* (M. 311.)

Reverendo patri suo et domino A(rnoldo) sanctae Coloniensis 1151
ecclesiae venerabili electo antistiti frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Non sumus de scola Pitagorae, ut auditores nostros in verba nostra iurare cogamus. Licebit itaque vobis de scriptura nostra[2] imminuere demere et adicere sine ingenii nostri acerba offensione. Unusquisque enim in suo sensu abundat[3]. Deum, quem nec spatia locorum nec intervalla temporum ab his, quos tuetur, abiungunt, nos et fratres nostri, vestri utique pro vestris beneficiis famuli, suppliciter exoramus, ut viam vestram gratia sua precedente dirigat et subsequente comitari dignetur, ut de actu et incolumitate vestra secundum misericordiae suae presidia gaudeatis.

---

343. *Wibaldus Emanueli Graecorum imperatori de bello contra Rogerium Siciliae regem decreto significat. De munere misso gratias agit.* (M. 320.)

Inclito triumphatori ac serenissimo dominatori, glorioso ac 1151
sanctissimo imperatori Grecorum et Romaniae Manueli, excelso, post Sept. 15

1. Ps. 83, 11. 2. Non potest esse dubium, quin Wibaldus his verbis designet exemplum prius epistolae 340; v. supra p. 469 n. a. 3. Rom. 14, 5.

1151 post Sept. 15 sublimi, Porphirogenito, Wiboldus Dei gratia duorum nobilium monasteriorum abbas, Stabulensis scilicet et Corbeiae, devotum et perpetuum in Domino famulatum et assiduas ad Deum orationes.

Largitori omnium bonorum Deo infinitas gratiarum actiones referimus, qui vestrae mansuetudini dignatus est inspirare, ut nostrae parvitati scribere[1] et de vestrae voluntatis nutu significare dignaremini. Facimus itaque, quod iussistis; et humilibus atque assiduis precibus Dei omnipotentis clementiam cum nobis commissis fratribus exorare studemus, ut tam vestrae celsitudini quam domino meo, fratri vestro, C(onrado) Romanorum imperatori augusto sanitatem et incolomitatem et de inimicis victoriam conferre dignetur, et dilatet atque magnificet imperia vestra super omnia regna orbis terrarum, sicut priscis temporibus fuisse per historias veterum cognoscuntur. Hortamur etiam et continuis monitis suggerimus, ut precelsus et gloriosissimus imperator noster amiciciam et societatem vestram fideliter ac firmiter conservet et omnia vestrae maiestati promissa sine ulla diminutione compleat. In quo proposito ipse felicissimus princeps cum magna mentis constantia perseverans, ordinat viriliter expeditionem suam ad partes Siciliae et Apuliae contra communem hostem utriusque
Sept. 15 imperii. Inde est, quod mediante preterito mense Septembre apud civitatem Herbipolim quosdam principes imperii sui evocavit; ubi etiam convenerunt Coloniensis archiepiscopus[2], Bremensis archiepiscopus[3], Halverstadensis episcopus[4], Cicensis episcopus[5], Bavenbergensis episcopus[6], Mersburgensis episcopus[7], Herbipolensis episcopus[8], Argentinensis episcopus[9], Wormaciensis episcopus[10], Pragensis episcopus[11] et legati diversorum episcoporum ac principum; et de laicis principibus convenerunt marchio de Witin[12], marchio de Brandeburch[13], palatinus comes de Bawaria[14], comes de Wincenburch[15] in Saxonia, prefectus urbis Moguntiae[16], prefectus urbis Herbipolis[17], prefectus urbis Bavenberch[18], et alii

1. V. ep. 325 supra p. 454. 2. Arnoldus II. 3. Hartwicus. 4. Udalricus. 5. Wichmannus. 6. Eberhardus. 7. Reinhardus. 8. Gebehardus. 9. Burchardus. 10. Conradus. 11. Daniel I. 12. Conradus. 13. Albertus. 14. Otto. 15. Herimannus. 16. Ludovicus. 17. Poppo. 18. Guichardus.

multi comites, honorati et nobiles. Qui omnes cum magna voluntatis hilaritate, fide data et iuramento prestito, promiserunt, quod ad eandem expeditionem cum omni virtute et potentia militiae suae venient et prosequentur. Nos quoque in eadem expeditione cum nostra militia domino nostro famulantes, sanctissimam faciem vestram et permaximi imperii vestri decorem videre Deo prestante merebimur. Munificentiae imperiali gratias referimus, quod benedictionem vestram nobis adhuc ignotis transmisistis. 1151 Sept. 15

---

344. *Conradus III rex Pisanis scribit de bello contra Rogerium regem decreto. Legatos suos, Arnoldum archiepiscopum Coloniensem, Wibaldum, Heinricum notarium, commendat.* (M. 324.)

C(onradus) Dei gratia Romanorum rex et semper augustus consulibus, capitaneis et universo populo Pisano, tam minoribus quam maioribus, gratiam suam et bonam voluntatem. 1151 post Sept. 15

Post reditum nostrum á Iherosolimitana expeditione omnem animi nostri intentionem converteramus, ut absque morae prolixioris interventu ad res Italiae ordinandas et pacandas ingrederemur. Inde fuit, quod legatos excellentissimi fratris nostri Grecorum imperatoris ad universitatem vestram direximus; de fide et constantia vestra plurimum confidentes, quatinus ipsorum industria et vestra potenti virtute hostis utriusque imperii usque ad adventum nostrum sine intermissione bellicis incursibus quassaretur. Decet itaque patriae principem, grates ac benivolentiam rependere his, qui ad tam egregium opus peragendum animo et opere inparati non fuerunt, sicut illis non immerito pena debetur acerbior, qui tantos rei publicae provectus demoliri temptaverunt. Set ardentissimum nostrae voluntatis studium manus divina, quam nemo mortalium potuit evadere, inmissa coelitus infirmitate aliquamdiu repressit. Set recuperata per eundem misericordissimum Deum sospitate, transacto sacrae[a] pentecostes Mai. 27
festo, generalem curiam apud Ratisponam celebrantes, expeditio- Iuni.
nem nostram regio more versus Italiam cum magno principum favore et totius militiae alacritate indiximus. Similiter et apud

a. sacri *c.*

1151 Sept. 15 Herbipolim mediante mense Septembre factum est; ita deinceps firmato mentis proposito, ut, ad omnes regni nobis a Deo concessi partes celerius accedentes et pace per Dei gratiam ubique firmata, sic ad Urbem et ad vos pervenire valeamus, ut tam bene merentibus premia quam rebellibus poenam rependere debeamus. Ad huius rei evidentem noticiam adque certitudinem faciendam direximus presentes legatos nostros, viros utique illustres ac nobis inter principes nostros familiarissimos, Arnoldum videlicet Coloniensis aecclesiae venerabilem archiepiscopum, Wiboldum Stabulensem et Corbeiensem abbatem, Heinricum curiae nostrae notarium, ad reverendum patrem nostrum papam Eugenium et ad urbem Romam nec non ad ceteras urbes Italiae. Quos venientes ad urbem vestram, quae semper ab inicio in pace et in bello terra marique imperii Romani consuevit esse domicilium, honorifice, ut vestra probitas consuevit, suscipiatis; et tam de militum quam de navium numero, quas in expeditionem Siciliae ob perpetuam felicis remunerationis mercedem exhibebitis, per illorum noticiam nos certos efficiatis. Porro de verbo, quod de inimicorum vestrorum sempiterna humiliatione nobis per legatos nostros, scilicet Constantiensem[1] et Basiliensem[2] episcopos, atque[a] marchionem de Montefarrato[3] suggessistis, preces vestras exauditas esse sciatis. Et quicquid super hoc predicti nuncii nostri vobis confirmaverint, nos esse observaturos non dubitetis; scientes, quod inimicis vestris inimici sumus et odientes vos affligemus.

---

345. *Conradus III rex Romanis legatos suos commendat.* (M. 322.)

1151 post Sept. 15 Cuonradus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus prefecto Urbis, consulibus, capitaneis et omni populo Romano, tam minoribus quam maioribus, gratiam suam et bonam voluntatem.

Post reditum nostrum á Ierosolymitana expeditione litteras universitatis vestrae frequenter accepimus, in quibus continebatur, quanto fidei ac devotionis studio pro personae nostrae dignitate provehenda et imperii Romani statu reformando indefessis

a. adque *c.*

1. Hermannum. 2. Ortliebum. 3. Wilhelmum.

animis decertetis. Et licet epistolarum de ulsi[a] tantis rebus, quas perferebant, impares viderentur, pergratam tamen animo habemus vestram benivolentiam ex cepto tenore[b] procedentem et[c] imperiali retributione honorare decrevimus. Proinde á vestra prudentia, sicut oportuit, decenter invitati, expeditionem Ytalicam et adventum nostrum ad Urbem magno cum principum nostrorum favore et totius militie alacritate efficaciter ordinavimus, primo quidem in celebri curia Rathisbone, secundo in civitate Erbipoli; firmato deinceps proposito nostro, ut, ad ceteras regni nostri partes celerius accedentes, pace per Dei misericordiam ubique[d] firmata, ad[e] res Urbis[f] et Ythaliae pacandas et firmandas sic transeamus, ut tam fidelibus gratiam quam rebellibus penam Deo adiutore retribuere valeamus. Eapropter mittimus ad universitatis vestrae experientiam legatos nostros, viros utique illustres ac moderatos, Arnoldum videlicet nostrae curiae cancellarium, Coloniensis aecclesiae electum archiepiscopum, et Wibaldum Corbeiensem abbatem et Heinricum notarium, imperio nostro fidelissimos ac familiarissimos, ut per eos voluntatis nostre et consilii certitudinem adiscatis. Quocirca industriae vestrae attente mandando committimus, quatinus eosdem legatos nostros pro nostra reverentia et Urbis[g] disciplina honeste suscipiatis, et ab ipsis tamquam[h] ab ore nostro, que in hoc temporis[i] statu agenda sunt, accipiatis, et eos honorifice et commode, quo itineris res postulat, perducatis.

1151 post Sept. 15 — Iuni. — Sept. 15

---

346. *Conradus III rex Eugenio III papae de Italico bello decreto significat. Rogat, ut Hartwico archiepiscopo Bremensi moram concedat. Wibaldum commendat.* (M. 323.)

Karissimo in Christo patri suo Eugenio sancte Romane aecclesiae summo pontifici Cuonradus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam. 1151 post Sept. 15

Sicut paternitatis vestrae benivolentiam in omnibus nostris

a. *sic cod.; an* decursus insulsi? b. *an* amore? c. et *om. cod.* d. uñq; *c.* e. á *c.* f. urbes *c.* g. ubıs *c.* h. atamquam *c.* i. tempori *c.*

1151 post Sept. 15 nostrorumque negotiis sepe usque[a] nunc experti sumus, sic etiam adhuc in cunctis sentire non dubitamus; celsitudini vestre hoc repromittentes, quod ad promovendum aecclesiae Dei et vestrum honorem, quanta debemus diligentia, semper erimus parati. Inde est, quod nos generalem curiam apud Herbipolim medio mense Sept. 15 Septembri celebravimus ibique expeditionem Italicam, receptis á principibus qui convenerant fide et sacramentis, efficaciter ordinavimus. In qua rite peragenda quoniam presentia et consilio dilecti nostri Har(twici) venerabilis Bremensis archiepiscopi carere nec debemus nec volumus, paternitatis vestrae serenitatem attenta benivolentia rogamus, ut diem et terminum pro conservanda Bremensis aecclesiae dignitate sibi constitutum benigne illi remittatis, et causam ipsius usque ad nostrum adventum differatis, hac interposita ..... constantia[b], ut in nostro adventu eadem causa in vestra presentia secundum tenorem veritatis et iustitiae terminetur. Confisi enim de vestra sinceritate, fretique consilio dilecti nostri O(ctaviani) cardinalis[1] vestri, qui tunc presens erat, prefatum archiepiscopum, cum iam ad iter faciendum succinctus esset, apud nos retinuimus, ut in tanta et tam celebri expeditione eum promtiorem habere valeamus. Sanctitati vestrae attente commendamus karissimum nobis Corbeiensem abbatem Wibaldum, virum utique prudentem et tam vobis quam sacrosanctae matri nostre Romane aecclesiae per omnia fidelissimum, ut eum pro nostrae dilectionis et petitionis intuitu clementer excipiatis, tam in privilegiis suis confirmandis quam in aliis suis petitionibus benigne exaudiatis, et aliqua vestrae benedictionis et gratiae prerogativa insignitum ad nos cum gaudio celerius remittatis.

---

347. *Promissa Romanorum*[c].

1150-1151 Hec sunt, que senatores promittunt facere et adtendere, et sacramento firmare voluerunt et volunt.

a. usque *addidi.* b. interposita nr .... constantia *c. an* interposita nostrae fidei constantia? c. *Edidit Pertzius Mon. Germ. Hist. Leg. II.* 88.

1. pr. card. tit. S. Caeciliae.

Ipsi vobis fidelitatem iurabunt cum beneficio quingentarum librarum, secundum quod consueverunt Romani iurare pontificibus Romanis. Quatuor de populo per unamquamque contradam facient iurare securitatem et pacem vobis et rebus vestris et omnibus aecclesiis et omnibus ad vestram curiam venientibus et redeuntibus, et personis et rebus episcoporum et cardinalium. Regalia vobis integre restituent, excepto quod in Reiano et Maliano arx non fiat. Pecuniam ablatam aecclesiis et regalibus, excepta quae expensa est in guerra Bitervii, bona fide recuperare studebunt et reddent. Fortitudines omnes extra Urbem reddent. Munitiones Sancti Gregorii et turrim de Sclaceis dabunt ad tenendum talibus hominibus, qui vobis placeant, et illis usque ad quatuor annos; quibus expletis, reddentur dominis suis; et si Romam reversi fueritis, ita cum eis agere poteritis, quod non tenebuntur per medium annum. Et rogant, ut pacem de Bitervio cum honore vestro et Urbis et senatus, sicut pater et dominus, et pacem inter Urbem et extra, in quantum potestis, provideatis. Quicquid vobis de his placuerit, nobis statim rescribite[a] ...... Et inter predictos iurabunt Nicolaus, Syxtus et Guido, recuperata gratia vestra precibus senatorum. 1150-1151

---

348. *Eugenius III papa Coloniensibus Arnoldum archiepiscopum, a se consecratum pallioque donatum, commendat.* (M. 326.)

Eugenius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Gu(altero) preposito, F. decano, archidiaconibus, prioribus et universo clero ac populo Coloniensis aecclesiae salutem et apostolicam benedictionem. 1152 Ian. 8

Venientem ad apostolicae sedis clementiam venerabilem fratrem nostrum A(rnoldum) electum vestrum — cum dilectis filiis nostris, W(ibaldo) Corbeiensi N(icolao) Sigbergensi et T(heoderico) Campensi abbatibus atque magistro H(einrico) karissimi filii nostri C(onradi) Romanorum regis notario, A. preposito et G(ualtero) decano Sancti Gereonis — debita benignitate suscepimus; et electionem, quam de ipso tamquam de prudenti et industrio

a. *sequitur lacuna exigua in cod.*

1152 Ian. 8 viro unanimiter feceratis, post diligentem examinationem auctore Domino ratam habentes, eum plurimum renitentem nostris tamquam beati Petri manibus preeunte sancti Spiritus gratia vobis in archiepiscopum consecravimus, et inter fratres nostros, donec circa nos voluit commorari, carum habuimus, honeste tractavimus, et pallium sibi, plenitudinem scilicet pontificalis officii, ex consueta sedis apostolicae benignitate contulimus. Ipsum ergo infula pontificalis officii decoratum, ad ecclesiam suam et ad vos cum gratia sanctae Romanae aecclesiae et litterarum nostrarum prosecutione, comitante Domino, redeuntem, universitati vestrae duximus attentius commendandum. Per apostolica itaque vobis scripta mandamus, quatinus eum benigne ac reverenter suscipiatis et ei, tamquam Christi vicario et animarum vestrarum pastori, honorem debitum ac reverentiam et oboedientiam humiliter deferatis: quatinus per ipsius doctrinam et pastoralem vigilantiam salutem in vobis omnipotentis Dei gratia operetur, ecclesia vestra, quae tam in spiritualibus quam in temporalibus valde attrita est, ad integritatis suae statum Domino largiente resurgat, et vos de ipso gaudium et ipse de vobis coronam et fructum multiplicem in conspectu Domini consequatur. Nichilominus quoque vobis mandamus, ut pro reformando religionis et honestatis ipsius aecclesiae statu et pro recuperandis eiusdem aecclesiae bonis et possessionibus sive beneficiis, quae sive de mensa vel de camera seu elemosina ipsius archiepiscopi, sive de abbatum prepositorum et abbatissarum suarum mensa, vel de canonicorum suorum prebenda illicite concessa distracta vel alienata sunt, vires ei et auxilium sicut boni et devoti filii efficaciter tribuatis. Sane nos iudicium, quod super his, quae laicis concessa sunt, in conspectu filii nostri C(onradi) illustris Romanorum regis apud Coloniam rationabili providentia noviter promulgatum est, favoris nostri assertione firmamus. Preterea, quoniam quidam ex vobis, prout accepimus, post inceptum iter antedicti fratris nostri veniendi ad nos aliquas de eisdem possessionibus per violentiam et contra iusticiam invaserunt vel occuparunt, presentium auctoritate mandamus, ut, nisi infra qua-

draginta dies post commonitionem memorati fratris nostri A(r- 1152 Ian. 8
noldi) archiepiscopi vestri possessiones ipsas eidem aecclesiae restituerint, ecclesiasticae animadversionis censurae subiaceant. Data Signiae 6 Idus Ianuarii.

---

349. *Eugenius III papa Conrado III regi significat de legatis eius benigne receptis, de Arnoldo archiepiscopo Coloniensi confirmato, de Moguntino et Bremensi archiepiscopis ampliatis.* (M. 327.)

Domnus papa E(ugenius) Romanorum regi C(on- 1152 Ian. 9
rado).

Quanto sepius de incolumitatis tuae statu et bona voluntate, quam erga beatum Petrum, celorum regni clavigerum, atque matrem tuam sacrosanctam Romanam aecclesiam gerere diceris, per litteras et nuncios magnificentiae tuae instruimur, tanto magis ac magis gaudium et laeticiam in nostris mentibus diebus singulis augmentatur, cor nostrum ad amorem tuum vehementius affectu paterno accenditur et ad exaudiendas postulationes tuas, in quantum cum Deo possumus, aures benivolas commodamus. Inde est, quod venientem fratrem nostrum Arnoldum Coloniensem archiepiscopum et dilectos filios nostros W(ibaldum) Corbeiensem abbatem et magistrum H(einricum) notarium tuum, quos ad nostram presentiam tua serenitas destinavit, tamquam prudentes et industrios viros debita benignitate suscepimus, honeste tractavimus, et petitionibus tuis, quas et litteris et eorum viva voce intelleximus, sicut honori Dei et regni utilitati expedire cognovimus, gratum assensum prebuimus. Predictum namque fratrem nostrum, licet invitum et renitentem atque lacrimarum copiam effundentem, ad pontificalis dignitatis apicem Domino auctore promovimus; et venerabilibus fratribus nostris H(einrico) Maguntino et A(rtwico) Bremensi archiepiscopis prefixos terminos veniendi ad nos prolongavimus; et tam ipsos quam alios archiepiscopos episcopos sive principes regni tui ad servitium tuum et expeditionem, quam ad honorem Dei[a] et aecclesiae suae sanctae atque

a. Dei *addidi.*

1152 Ian. 9 exaltationem regni facere divina favente clementia ordinasti, per apostolica scripta commonere et animare diligenter curavimus. Tua itaque, karissime fili, interest, pro commissi tibi regni et sanctae Dei aecclesiae honore et exaltatione, tamquam inter alios orbis christianos reges precipuus et excellentior princeps, attentam curam et sollicitudinem gerere, ut adventum tuum, quem ad provectum aecclesiae ac regni et salutem christiani populi expectamus, cum desiderato fructu prestante Domino percipere valeamus. Data Signiae 5 Idus Ianuarii.

---

350. *Eugenius III papa Heinrico episcopo Leodiensi mandat, ut comites de Lon et de Monte Acuto monasterio Stabulensi ablata restituere cogat.* (M. 328.)

1152 Ian. 9 Domnus papa Eugenius Heinrico Leodiensi episcopo.

Ad eorum subventum, qui de nostra specialiter protectione confidunt, promptius debemus assurgere et ipsos infestantes digna animadversione punire. Venientis ad apostolicae sedis clementiam dilecti filii nostri W(ibaldi) Stabulensis abbatis adversus L(udovicum) comitem de Lon et G(odefridum) comitem de Monte Acuto gravem querelam accepimus, quod in bonis Stabulensis aecclesiae diabolico instinctu incendia caedes et rapinas commiserint et ammoniti de tanta nequicia satisfacere minime velint. Quia igitur tantae iniquitatis excessum impunitum relinquere nec possumus nec debemus, per presentia scripta tibi mandamus, quatinus prefatum L(udovicum) comitem de Lon et eius complices districte commoneas, ut, quae Stabulensis monasterii fratribus per violentiam abstulerunt, restituant et de illatis iniuriis eisdem fratribus condignam satisfactionem exhibeant. Quodsi forte tuis monitis oboedire noluerint, infra spacium duorum mensium, postquam presentia scripta susceperis, prefatus comes et eius fautores anathematis gladio feriantur. Comitem vero de Monte Acuto, qui bona ipsius monasterii presumpsit invadere, districte commoneas, ut de predictis dampnis fratribus eiusdem coenobii dignam satisfactionem exhibeat. Data Signiae 5 Idus Ianuarii.

---

351. *Gregorius et Iacinthus cardinales Heinricum episcopum Leodiensem rogant, ut Wibaldo illata damna resarciat.* (M. 329.)

Leodiensi episcopo H(einrico) Gregorius Sancti Angeli et Iac(inthus) Sanctae Mariae[1] diaconi cardinales salutem. 1152 Ian.

Ubi mandatum et auctoritas precedit apostolica[2], securius, maxime apud amicum, scribere et preces amicas possumus et debemus interserere. Inde est, quod nos dilectioni vestrae scribentes accurate mandamus, amicabiliter obsecrantes, ut, cum dilectissimus noster W(ibaldus) abbas Stabulensis in illo eventu bellice altercationis inter vos et Namucensem[3] multa immo infinita per militiam vestram perdiderit et aecclesia eius in multis et magnis dampnum irrecuperabile sustinuerit, prudentia et discretio vestra sic se[a] adversus eum per condignam recompensationem gerat et habeat, quatinus alter cum altero unum et idem, quod fuit et esse competit, inseparabiliter permaneat, et postmodum ad nos verbum huius rei sine sua emendatione non redeat.

---

352. *Eugenius III Hartwico archiepiscopo Bremensi mandat, Kaminatensi et Corbeiensi ecclesiis erepta reddi iubeat.* (M. 330.)

Domnus papa Eugenius H(artwico) Bremensi archiepiscopo. 1152 Ian. 9

Ex conquestione dilecti filii nostri W(ibaldi) Corbeiensis abbatis accepimus, quod quidam parrochiani tui, videlicet Odiko, Ricbertus, Thederus, Rainerus et Hermannus, quasdam possessiones Kaminatensis monasterii, quae in tuo episcopatu esse noscuntur, á Iudith quondam abbatissa, postquam á regimine aecclesiae semota fuerat, illicite receperint, et eas contra iusticiam detineant, atque predictae aecclesiae ipsas restituere modis omnibus contradicant. Quia igitur ad nostrum spectat officium, errata corrigere et, quae male ac contra sanctorum patrum instituta fiunt, in irritum revocare et ad rectitudinis statum reducere, per presentia scripta tibi mandamus, quatinus predictos parrochianos tuos districte commoneas, ut supra fato monasterio pos-

a. se *addidi.*

1. in Cosmidin. 2. V. ep. 350. 3. comitem Heinricum.

1152 Ian. 9 sessiones ipsas restituant et ab eiusdem aecclesiae infestatione desistant. Quodsi forte tuis monitis oboedire contempserint, canonicam de ipsis iusticiam facias. Preterea nichilominus tibi mandamus, ut fratribus Corbeiensis aecclesiae de piscatione de Hokwar, quae á parrochianis tuis, sicut accepimus, illicite detinetur, quod iustum fuerit, facias exhiberi. Data Signiae 5 Idus Ianuarii.

---

353. *Eugenius III papa Heinrico archiepiscopo Moguntino mandat, ut monasterio Corbeiensi de praedio ablato ius dicat.* (M. 331.)

1152 Ian. 9 Idem H(einrico) Maguntino archiepiscopo.

Unumquemque propriis manere contentum nec ad aliena nedum ad ecclesiastica illicite manus extendere[a], naturalia iura et sanctorum patrum scita pariter contestantur. Quo contra quidam parrochiani tui predium Ostohf, quod, prout nobis suggestum est, ad Corbeiensem aecclesiam proprie spectare dinoscitur, Dei timore postposito, contra fas contra iusticiam invaserunt et, in sua nequitia perdurantes, prefatae aecclesiae restituere modis omnibus contradicunt. Quia igitur, ut ecclesiasticarum possessionum raptores ab alienarum[b] rerum discant invasione cessare, pastoralis maxime cura debet existere, per presentia tibi scripta mandamus, quatinus de invasoribus dilecto filio nostro W(ibaldo) Corbeiensi abbati et fratribus ipsius debitam iusticiam facias. Data ut supra.

1152 Ian. 9 354. Idem scriptum est Cuonrado Wormaciensi episcopo, quod Maguntino.

---

355. *Eugenius III papa Bernardo episcopo Paderbornensi mandat, cogat Widikindum, ut monasterio Corbeiensi quae abstulerit reddat.* (M. 332.)

1152 Ian. 9 Domnus papa Eugenius Bernardo Patherburnensi episcopo.

Veniens ad nostram presentiam dilectus filius noster W(ibal-

a. debere *excidisse videtur.* b. aliarum *c.*

dus) Corbeiensis abbas gravem in auribus nostris querelam deposuit, quod Widikindus parrochianus tuus cum quibusdam satellitibus suis cimiterium Corbeiensis monasterii violenter intraverit et valens 100 marcarum ausu sacrilego inde abstulerit, nec non capellam, quae in porta ipsius cimiterii constituta est, violavit et, quae ibi invenit, ausu nefario auferre presumpsit. Quia igitur ad nostrum spectat officium, errata corrigere et laicorum presumptionem freno iusticiae cohercere, per presentia tibi scripta mandamus, quatinus predictum Widikindum et illos omnes, quos in prefata nequicia secum habuisse dinoscitur, districte commoneas, ut prefato monasterio ablata restituant et de tanto sacrilegio condignam satisfactionem exhibeant; alioquin Widikindum et complices suos gladio anathematis Domino auctore percellas. Data Signiae ut supra. 1152 Ian. 9

---

356. *Eugenius III papa Herimanno episcopo Traiectensi mandat, ut ecclesiam Linewertensem et Merthen praedium, monasterii Corbeiensis possessiones, tueatur.* (M. 333.)

Idem papa Herimanno Traiectensi episcopo. 1152 Ian. 9

Officii nos ammonet et hortatur auctoritas, ut fidelium omnium, maxime religiosorum, commodis paterno affectu prospicere et eorum utilitati Domino auctore salubriter providere[a]. Quocirca per presentia scripta fraternitati tuae mandamus, quatinus possessiones Corbeiensis aecclesiae, quae in tua diocesi esse noscuntur, videlicet aecclesiam de Linewert et predium de Merthen, ad Corbeiensium fratrum utilitatem ab illis, qui eas moliuntur auferre, defendas ac manuteneas; quae autem de eisdem possessionibus alienata seu impedita cognoveris, expedire ac recolligere nichilominus elabores. Et sic de caetero super hoc te volumus esse sollicitum, ne Corbeiensis aecclesia in eisdem possessionibus aliqua possit dampna sentire. Data Signiae 5 Idus Ianuarii.

a. debeamus *excidisse videtur.*

357. *Eugenius III papa Uolricum episcopum Halberstadensem hortatur, ne monasterio Corbeiensi decimas quasdam auferri sinat.* (M. 334.)

1152 Ian. 9 Idem papa Uolrico Halverstadensi episcopo.

Suscepti regiminis nos hortatur auctoritas, ut ecclesiasticarum rerum defensores simus promptissimi, et illis, qui ipsa conantur diripere, nos murum tutissimum opponamus. Pervenit ad aures nostras, quod quidam parrochiani tui contra iusticiam Corbeiense infestent coenobium super decimis in Gruninga et super decimis terrae dominicatae; quas predictae aecclesiae violenter auferunt et iniuste retinere presumunt. Quia ergo ad pastorale spectat officium, pravorum hominum excessus corrigere et ad rectitudinis statum freno iusticiae cohercere, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus predictos parrochianos tuos districte commoneas, ut á tanta presumptione desistant et de caetero eis super ipsas decimas nullam molestiam inferant. Quod si facere forte contempserint, canonicam de ipsis iusticiam facias. Data Signiae 5 Idus Ianuarii.

---

358. *Eugenius III papa Heinrico Leoni Wibaldum commendat.* (M. 335.)

1152 Ian. 9 Idem papa Heinrico illustri duci Saxoniae.

Inter precipua facta virorum potentum nichil est, quod Deo nostro eos ita reddat acceptos, quam si aecclesiis et earum prelatis honorem debitum et reverentiam curaverint exhibere. Unde, quia paterna te karitate diligimus et de tuae probitatis industria meliora speramus, dilectum filium nostrum W(ibaldum) Corbeiensem abbatem, qui pro suae honestatis prudentia honorandus dinoscitur, strenuitati tuae attentius commendamus, per presentia scripta nobilitatem tuam rogantes et exhortantes in Domino, quatinus ad recuperanda et conservanda aecclesiae ipsius bona pro nostris precibus fidelis et devotus coadiutor existas. Data Signiae 5 Idus Ianuarii.

---

359. *Eugenius III papa Hermanno episcopo Verdensi mandat, curet, ut monasterio Kaminatensi adempta bona restituantur.* (M. 336.)

Idem papa Ferdensi episcopo[1]. 1152

Si universalis aecclesiae curam, quam gerendam Deo auctore Ian. 9 suscepimus, diligenti consideratione pensemus, providendum nobis est, ut omnibus fidelibus, illis maxime qui specialiter ad tutelam nostram spectare noscuntur, taliter suam iusticiam conservemus, ut sub optentu subtractae iusticiae in sui rigore officii non debeant negligentes existere. Dilecti filii nostri W(ibaldi) Corbeiensis abbatis nuper suggestione didicimus, quod Hungoldus frater tuus, unde valde miramur, W. et Ge. et quidam alii parrochiani tui bona Kaminatensis ecclesiae, quae ad ius ipsius spectare dinoscitur, violenter auferant et iniuste detineant. Quia igitur ecclesiastica bona et precipue Corbeiensis aecclesiae, et quae ad ipsam spectant, sub defensione et tutela nostra consistunt, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus germanum tuum et alios prefatos invasores districte commoneas, ut prefatae aecclesiae ablata restituant et ab eius infestatione desistant. Quodsi tuis monitis obtemperare noluerint, debitam de ipsis iusticiam facias. Data ut supra.

---

360. *Eugenius III papa Heinrico episcopo Mindensi mandat, ut de bonis monasterio Kaminatensi ablatis Wibaldo opem ferat.* (M. 337.)

Idem papa Mindensi episcopo[2]. 1152

Gratum nobis est et acceptum, quod, sicut ex relatione Ian. 9 dilecti filii nostri Corbeiensis abbatis accepimus, iuxta tenorem litterarum, quas tibi transmisimus[3], ad utilitatem ipsius aecclesiae sollicitus et benivolus extitisti. Quia igitur non incipienti set perseveranti premium deberi dinoscitur, per presentia scripta fraternitati tuae mandamus, quatinus bonis iniciis potiora studeas augmenta conferre et prenominato filio nostro Corbeiensi abbati de quibusdam parrochianis tuis tam clericis quam laicis, qui

1. Hermanno. 2. Heinrico. 3. v. ep. 270 supra p. 398.

1152 Ian. 9 bona Kaminatensis aecclesiae presumunt auferre, debitam iusticiam facias. Data ut supra.

---

361. *Eugenius III papa abbati Luneburgensi mandat, ne monasterium Corbeiense ab Heinrico deiecto abbate vexari patiatur.* (M. 338.)

1152 (Ian. 9) Idem papa abbati de Lunenburch.

Tuae dilectioni notum fieri volumus, quod Heinricus, quondam Corbeiensis abbas, ad nostram presentiam veniens humiliter postulavit, ut ipsum in suo restitueremus officio. Quod quia rationi consentaneum minime videbatur et quantitas culpae ipsius pene huius allevatione videbatur indigna, nullam omnino restitutionem de ipso nos fecisse cognoscas. Insinuatum est siquidem nobis, quod temerario ausu contra depositionis sententiam, quae á bonae memoriae Thoma presbitero cardinali, tunc apostolicae sędis legato, in eum prolata esse dinoscitur, contraire presumat. Quod quam rationi contrarium et á sanctorum patrum institutionibus penitus sit alienum, qui zelo rectitudinis utitur, penitus non ignorat. Quia igitur ad apostolatus nostri officium spectat, errata corrigere et tam nefarias presumptiones de medio extirpare, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus predictum H(einricum) districte commoneas, ut á tanta presumptione desistat et predictae sententiae in ipsum prolatae minime contraire presumat. Si autem de reliquo Corbeiensem abbatiam vexare seu molestare temptaverit, digna ipsum ultione coherceas.

---

362. *Eugenius III papa episcopos, comites, barones Alamanniae hortatur, ut Conrado III regi Romam eunti fideliter serviant.* (M. 339.)

1152 Ian. 27 Eugenius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archyepiscopis episcopis, et dilectis filiis comitibus et baronibus, per Alamanniam constitutis salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut á rectore[a] Deo ad salutem humani generis duo kari-

a. omnium *excidisse videtur.*

tatis precepta principaliter sunt inventa, ita et ab ipso duo sunt quibus hic mundus regitur constituta, scilicet auctoritas sacra pontificum et imperialis potestas; quae duo si ad invicem bene conveniunt et sui honoris integritate consistunt, in sancta aecclesia religio secura et Deo grata servatur et tam vigore iusticiae quam aequitatis moderamine christianus populus salubriter gubernatur. Universitati itaque vestrae certum esse nequaquam ambigimus, quod karissimus filius noster C(onradus) illustris Romanorum rex pro sui honoris complemento ad honorem Dei et ecclesiae servitium atque tocius regni vigorem et exaltationem hoc tempore ad urbem regiam, vestro fretus auxilio, cum expeditione valida venire largiente Domino disposuerit. Quia ergo ad tam arduum opus per se ipsum non sufficit et propriae sibi vires non suppetunt, vestrum ei servicium tanquam vestro principi studiose debetis pro vestris viribus ministrare. Ideoque per apostolica vobis scripta mandamus monemus et exhortamur in Domino, quatinus ad servitium regni et predicti filii nostri regis viriliter accingamini et ad expeditionem ipsam cum eo ita vos preparetis, ut et ipse dispositum iter, prout tantum principem decet, potestative facere valeat et sui honoris plenitudinem cum gaudio et exultatione[a] suscipere, atque nos adventum eius, quem ad provectum aecclesiae ac regni[b] et salutem christiani populi expectamus, cum desiderato fructu, beatorum apostolorum Petri et Pauli suffragantibus meritis, possimus percipere. Data Signiae 6 Kal. Februarii. 1152 Ian. 27

---

363. *Arnoldus II archiepiscopus Coloniensis Wibaldum hortatur, ne se deserat neve susceptam legationem inperfectam relinquat. Rogat, ut se exspectet. Addit de Lucensium fallaciis.* (M. 325.)

Domno Wibaldo Dei gratia venerabili Corbeiensi abbati A(rnoldus), Dei patientia quidquid est, salutem et obsequium. 1152 Ian. ex. — Febr. in.

Non parum nos conturbavit, quod sic inopinato nos deserere, et infecto quodammodo negotio domni regis, nec nobiscum

a. exultōne *c.* b. regnum *c.*

1152 Ian. ex. — Febr. in. redire nec ad ipsum[a] finem vestrae legationis vultis referre. Quod quia et nobis et vobis indecens, et domino nostro regi, qui vestrum expectat reditum, omnino est inutile et indecorum, monemus et intime rogamus antiquam illam vestram dilectionem, quam nos nunquam scindi cupimus, quatinus, sicut nos unquam dilexistis, tum nostri[b] obsequii tum vestrae honestatis tum regiae reverentiae intuitu[c] per diem crastinum nostrum velitis prestolari adventum, et sine mora et sine digressionis dispendio ad locum, unde movimus, et ad dominum nostrum regem cum gaudio et dilectione nobiscum remeare. Parati enim eramus et iam ocreas induere et vos adire, quia Lucenses, sicut predixeratis, solis verbis nos lactaverant, et ecce nuntius cum literis vestris advenit; et statim cum equos ascendere paravimus, consules cum magna precum instantia nos detinuerunt. Rogamus itaque et iterum rogamus, ut[d], domini nostri regis memor, cras nos per diem expectetis.

---

364. *Wibaldus Corbeiensibus significat, se ex Italia Coloniam reversum esse. De Conradi regis morte eos consolatur. Se brevi tempore ad eos rediturum.* (M. 340.)

1152 Febr. Frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, dilectis in Christo filiis et fratribus H(einrico) venerabili priori et ceteris Corbeiensis aecclesiae filiis benedictionem et vitam usque in seculum.

Dei omnipotentis gratia vias nostras comitante et orationibus vestris iter nostrum prosequentibus, sani et incolumes á domno papa et ab Urbe pro legatione regia, quam susceperamus, usque Coloniam reversi sumus[1], in omni negocio, quod nobis iniunctum est, cum gratia et benignitate plenam efficaciam reportantes. Sicut enim rerum ipsarum consequentia manifestabit, in omni petitione nostra tam privatarum quam publicarum rerum clementer exauditi sumus, ita ut neque in privilegiis neque in epistolis pro nostra oportunitate impetrandis ullam difficultatem sustinuerimus.

a. regem *excidisse videtur.* b. nostrae *c.* c. intnitū *c.* d. *sequitur in cod.* iure *correctum in* iuri, *sive* uiri. *Fortasse scribendum erat:* veri.

1. post Febr. 17. V. ep. 375 infra.

Set haec omnia pro voto adepta gaudia amaricavit obitus serenissimi domini nostri Romanorum regis incliti. Cuius transitus[1], licet non immerito universitatis vestrae animos commoverit, non tamen graviori concussione perturbare debet; quia potens est Deus, et Corbeiensem aecclesiam in suae dignitatis statu conservare et nostrae personae humilitatem usquequaque non deserere. Cuius clementissimi domini nostri exequias ut sollempni ac regio more celebretis, devotissime karitati omnium iniungimus. Set cur dominum dicimus eum, in quo semper plus quam paternae pietatis viscera persensimus? Filiis enim suis nos in omni[a] excellentiae gradu non postposuit, germanis suis, licet in altissimo principatus culmine constitutis, sepenumero anteposuit. Universa nobis sanctae pietatis et officia et nomina ab ipsius sacratissimo pectore manabant. Nunc inter dolorem amissi tam excellentis tam amici principis, inter sollicitudinem futurae de regno suo ordinationis ea nos precipue cura tenet attentos, ut vestrae fraternitati sine querela ab officialibus vestris amministretur. 1152 Febr.

Declinavimus paululum ad Stabulensem aecclesiam, ut, cum eam fuerimus consolati, ad vos, liberius et diutius mansuri, brevi elapso tempore revertamur. Universitati autem vestrae notum esse volumus, quod domnus Heinricus[2], qui monasterio vestro aliquando prefuit, ordinem sacerdotii, a quo depositus fuerat, á domno papa non recepit. Super cuius rei assertione nos litteras eiusdem domni papae accepimus[3].

---

365. *Wibaldus Stephanum episcopum Metensem rogat, ne controversiam de eligendo abbate Walciodorensi ortam, antequam novus rex electus sit, discernat.* (M. 341.)

Reverendo in Christo patri suo St(ephano) sanctae Metensis aecclesiae venerabili episcopo frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium. 1152 Febr.

a. omi *c*.

1. Febr. 15. 2. I abbas Corbeiensis. 3. ep. 361 supra p. 490.

1152 Febr. Audisse credimus excellentiam vestram, quod felicis memoriae dominus quondam noster, inclitus Romanorum rex C(onradus), nos ad domnum papam et ad urbem Romam pro rebus regni agendis transmiserat. Set ante reditum nostrum, domino nostro Walciodorense abbate[1] viam universae carnis ingresso, orta est dissensio inter monachos Walciodorenses et Hasterienses super electione futuri abbatis; pro qua controversia terminanda vos eisdem monachis locum et diem prefixisse intelleximus. Et quoniam mandata domni papae adhuc in manibus habemus, discretionis vestrae pedibus animo advoluti, benignitatem vestram intime rogamus, ut pro reverentia eiusdem domni papae agere cum eis differatis, donec — ordinato per omnipotentis Dei misericordiam novo rege, pro cuius electione principes regni crebra iam inter se habent colloquia et nos pro recenti legatione Italiae abesse non permittunt — eidem causae interesse possimus. Nec enim matris nostrae Walciodorensis aecclesiae labores negligere debemus aut volumus, quin ei in omni necessitate sua, salva dignitatis vestrae reverentia et sanctae Metensis aecclesiae honore, subservire parati simus[a].

---

366. *Wibaldus Walciodorensibus scribit, se post electum regem eis affore. Mittit Eugenii III bullam suarumque ad Stephanum episcopum Metensem et ad Hasterienses epistolarum exempla.* (M. 342.)

1152 Febr. Frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, dilectis in Christo fratribus suis universis Walciodorensis aecclesiae filiis benedictionem et vitam usque in seculum.

Audito per famam obitu reverendi patris nostri[2], plurimum propter multiplices aecclesiae vestrae labores, quos in rerum novitate futuros formidamus, animo vobis condoluimus; et precipue, cum de verbo electionis vestrae[3] intelleximus, quae universitati vestrae nullam omnino utilitatem afferre poterit et personae no-

a. sumus *c*.

1. Theoderico. 2. Theoderici abbatis Walciodorensis. 3. Cf. ep. 368 infra p. 496.

strae aliquantulum derogabit. Scire autem volumus dilectionem vestram, quod ad presens, in negotiis regni laborantes, usque Stabulaus pervenire non potuimus. Set ordinato nobis per omnipotentis Dei gratiam novo rege, et á publicis occupationibus paulo liberiores, necessitati vestrae assistere parati erimus; non quidem pro electionis verbo, set pro fraternitatis debito. Interim vero ad consolationem vestram misimus vobis privilegium[1], quod á domino et patre nostro papa Eugenio aecclesiae vestrae obtinuimus. Misimus etiam vobis litteras nostras, quas domno Metensi episcopo pro eadem causa transmittimus[2], monentes industriam vestram, ut eas sub omni celeritate ad ipsum perferri faciatis. Quarum exemplum cum exemplo illarum, quas Hasteriensibus transmisimus[3], vobis videndum destinare curavimus; quas amicis vestris et religiosis viris, et precipue coabbatibus nostris ostendi volumus. 1152 Febr.

---

367. *Wibaldus Hasterienses hortatur, post Theoderici abbatis Walciodorensis mortem orto discidio, ut quiescant, donec electo rege ipse rei intersit.* (M. 343.)

Frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, dilectis in Christo patribus I(ohanni) venerabili priori et ceteris Hasteriensis aecclesiae filiis benedictionem et vitam usque in seculum. 1152 Febr.

Audito per famam obitu reverendi patris nostri, plurimum propter multiplices aecclesiae vestrae labores, quos in rerum novitate futuros formidamus, animo vobis condoluimus; et precipue, cum de verbo dissensionis vestrae intelleximus, quae universitati vestrae plurimum nocebit et personae nostrae scandalum generabit. Et quoniam mandata domni papae, ad quem missi fuimus, adhuc in manibus habemus, et principes regni nostri nos ad colloquium suum, ubi de ordinatione futuri regis agetur, per litteras evocaverunt, pedibus universitatis vestrae animo advoluti, fraternitati vestrae intimę supplicamus, ut pro domni

1. Datum 1152 Ian. 12. V. Regesta pontificum Rom. n. 6614.
2. ep. 365 supra p. 493. 3. ep. 367.

1152 Febr. papae, in cuius legatione sumus, reverentia et pro nostro perpetuo servitio optinendo agere de ista controversia differatis, donec ad vos Deo ducente pervenientes, consilio abbatum, videlicet Gemblacensis[a], Florinensis, Lobiensis, Floreffiensis, Maloniensis, ea, quae sunt ad pacem inter vos et fratres nostros Walciodorenses, loqui et agere valeamus. Non enim credat discretio vestra, quod aliquid in eadem causa queramus, quod meum sit, set quae Iesu Christi. Et matrem nostram Walciodorensem aecclesiam violari et imminui non debemus pati aut possumus, etiamsi omnem substantiam, quam possidere cernimur, pro eadem causa expendere haberemus.

---

368. *Walciodorenses Wibaldum rogant, ne ipsorum abbatiam accipere abnuat.* (M. 349.)

1152 Febr. Doctrina totius prudentiae insigni domno W(ibaldo), abbatum egregio, consolationis suae esuriens prudentiam Walciodorensium conventus, utriusque vitae iocunditatem per moderationem sacrae dispensationis adquirere.

Venerande pater et domine, destituto grege nostro pii pastoris[1] solatio, eius ovile morsibus plurimorum circumquaque unanimiter latrantium[b] patuit. Metuque istius impetus vehementer commoti, procul dubio cognoscimus talibus inditiis, quoniam eius mortis occasus nostrae erit desolationis eventus, nisi periclitantibus nobis vestrae prudentiae presens adfuerit consolationis portus. Hac itaque conturbationis controversia pavefacti, post Deum eiusque genitricem, beatissimam videlicet Mariam, spei nostrae anchora in sinu vestrae consolationis collocata, sub vestrarum alarum protectione confugimus; ac de vestra fisi magnifica pietate, quatinus ab imminenti periculo et nos et nostra vestro moderamine liberentur, vos ad regimen animarum nostrarum custodiamque imminentium adversitatum communi assensu omnium in abbatem elegimus. Votis igitur precordialibus, consilium vestrae amminiculationis nobis adesse, deposcimus, qua-

a. Glembacensis *c.* b. latrantium (with ° over t) *c.*

1. Theoderici abbatis.

tinus, vestra freti consolatione, sub vestrae dispensationis regimine corporis et animae tranquillitatem valeamus adquirere; ipsumque regimen ne vestra faceta urbanitas alicuius excusationis pondere valeat postponere, illud vos, vestris genibus provoluti, suppliciter precamur suscipere. Omnium bonorum custos, Spiritus sanctus, ad communem utilitatem regni et aecclesiae et nostram dignetur vos regere et conservare. 1152 Febr.

---

369. *Heinricus episcopus Leodiensis Stephanum episcopum Metensem hortatur, corrigat monachos Hasterienses, qui duos abbates monasterio Walciodorensi praefici velint.* (M. 350.)

Reverendo fratri suo et amico Stephano Metensis aecclesiae venerabili episcopo H(einricus) Dei gratia sanctae Leodiensis aecclesiae humilis minister fraternas orationes et debitam in Domino dilectionem. 1152 c. Febr.

Pastoralis officii sollicitudo nos ammonet, ut commissarum nobis ovium vigilanti studio curam exerceamus, ut tam errantes instar summi pastoris ad ovile reportemus, quam obedientes et nulla discordiae labę infectos ad vitae pascua adducamus[a] et nominatim vocemus. Eapropter discretioni vestrae suggerendo notificamus, quod monachi Hasterienses, vagi et erronei ac novitatibus intendentes, res eiusdem monasterii prorsus destruunt et quosdam perversitatis suae fautores tam precio quam promissionibus alliciunt, hoc suae pertinatiae emolumentum capere cupientes: ut in una, hoc est Walciodorensi, abbatia duo abbates contra sacrorum canonum instituta et apostolici privilegii auctoritatem ordinentur. Monemus itaque dilectam nobis in Christo prudentiam vestram, ne tam grave scandalum apud vos foveri et crescere sinatis; et ita de iure proprietario, quod in Walciodorensi abbatia aecclesia Metensis habere dinoscitur, moderata discretione tractetis, ut Leodiensis aecclesiae, ad cuius offitium pertinet electionem examinare et[b] electum consecrare, terminos non attingatis. Nos enim, divinam ultionem metuentes, diutius

a. aducamus *c.* b. et *addidi.*

1152 c. Febr. dissimulare non possumus, quin eos ad regularis electionis ordinem canonica severitate pro nostri debito officii compellamus, cum precipue, paterne ammoniti, delegatis etiam quinque religiosis ad eorum visitationem abbatibus obedire hactenus contempserint.

---

370. *Heinricus episcopus Leodiensis Walciodorenses et Hasterienses hortatur, ut adhibitis nonnullis abbatibus bonum abbatem sibi eligant.* (M. 351.)

1152 c. Febr. H(einricus) Dei gratia Leodiensium episcopus fratribus, qui sunt Walciodoro et Hasterie, spiritu consilii et pietatis habundare.

Quoniam abbas vester viam universae carnis ingressus est et secundum curam nobis commissam sollicitudo nobis aecclesiarum quoque vestrarum imposita est, vota ad Deum fundimus, ut talem suo gregi ministrum substituat, cuius ope et studio beata monachorum religio vires accipiat et accrescat. Quae quia inter vos aliquamdiu tepuit et odorem bonae opinionis suae, supra quam necesse esset, turbavit, auctoritate a Deo nobis indulta vobis precipimus, ut, congregatis de circuitu religiosis abbatibus Floriensi, Broniensi, Gemblacensi[a] et Floreffiensi, talem vobis eligatis pastorem, qui iam pene emortuam in vobis resuscitet religionem. Valete.

---

371. *Catalogus abbatum Walciodorensium.* (M. 351.)

1152 Haec sunt nomina abbatum, qui Walciodorensi cenobio prefuerunt et Hasteriensem aecclesiam cum omnibus suis appendiciis sub unius abbatiae nomine simul tenuerunt: Domnus Forannanus episcopus et abbas, domnus Kadroe, domnus Machalanus, domnus Immo, domnus Theodericus, domnus Frimbertus, domnus Rodulfus, domnus Lambertus, domnus Godescalcus, domnus Widricus, domnus Theodericus.

---

a. Glemblacensi *cod.*

372. *Fridericus I rex Eugenio III papae significat, se regem constitutum esse. Ecclesiae defensionem promittit. Legatos suos commendat*[1]. (M. 345.)

Dilectissimo in Christo patri suo E(ugenio) sanctae Romanae aecclesiae summo pontifici Fredericus Dei gratia Romanorum rex et semper augustus filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam. 1152 Mart.

Patrem patriae decet, veneranda priscorum instituta regum vigilanter observare et sacris eorum disciplinis tenaci studio inherere, ut noverit regnum sibi á Deo collatum legibus ac moribus non minus adornare quam armis et bello defensare. Sollemnem itaque imperii Romani morem á proavis nostris, imperatoribus videlicet et regibus, ad nos transmissum sequentes, legatum nostrum, virum scilicet discretum et honestum, E(berhardum) venerabilem Bavenbergensem episcopum, adiunctis sibi H(illino) Trevirensi electo et A(damo) Everacensi abbate, ad vestrae sanctitatis presentiam et ad Urbem destinare curavimus, ut tam ex presentis paginae indicio quam ex ipsorum viva voce de nostris provectibus et totius aecclesiae ac regni statu certiores esse possitis.

Itaque, quando placuit terribili et ei qui aufert spiritum Febr. 15
principum, terribili apud reges terrae[2], in cuius manu sunt omnium potestates et omnium iura regnorum, felicis memoriae patruum ac nutritorem nostrum, gloriosum Romanorum regem C(onradum) de presenti vita evocare, universi principes regni,
tamquam divino spiritu suscitati, 17 die post depositionem eius Mart. 5
in oppidum Frankenevurt tam per se ipsos quam per responsales honoratos convenerunt, et absque ullius morae interiecto spacio eadem die cum ingenti divinitus data concordia ipsi principes et caeteri proceres cum totius populi favore et alacritate
nos in regni fastigium elegerunt. Quinta postmodum die, id est Mart. 9
transacta proxime mediante quadragesima[3], pari et eodem con-

1. Haec epistola, a Wibaldo formata, vereor ut sine commutatione ad papam missa sit. Cf. epp. 374 et 376 et 377 infra. 2. Ps. 75, 12. 13. 3. i. e. dominica Laetare.

1152 Mart. 9 sensu cum benivola populi acclamatione in oppido Aquisgrani nos per sacratissimas devoti filii vestri A(rnoldi) Coloniensis metropolitani et venerabilium episcoporum manus oleo sanctificationis regaliter unxerunt et in solio regni cum benedictione sollempni collocaverunt. Nos vero in multiplicibus regiae dignitatis ornamentis, quibus partim per laicorum principum obsequia partim per reverendas pontificum benedictiones vestiti sumus, regium animum induimus, tota mentis virtute intendentes, ut iuxta professionis nostrae formulam, quam ab orthodoxis presulibus in ipso regni throno et unctione sacra accepimus: honorem vobis et dilectionem, et sacrosanctae matri nostre Romanae aecclesiae et omnibus ecclesiasticis personis promptam et debitam iusticiam ac defensionem exhibeamus, viduis ac pupillis et universo populo nobis commisso legem et pacem faciamus et conservemus.

Cum enim duo sint, quibus principaliter hic mundus regitur, videlicet auctoritas sacra pontificum et regalis potestas, omnium Christi sacerdotum oboedientiae devoti colla submittere parati sumus, ut propitia divinitate temporibus nostri principatus verbum Dei expedite currere non prohibeatur et paternas regulas ac decreta sanctissimis diffinita conciliis nullus audeat absque penae gravioris vindicta violare; quatinus per studii nostri instantiam catholica ecclesia suae dignitatis privilegiis decoretur et Romani imperii celsitudo in pristinum suae excellentiae robur Deo adiuvante reformetur.

Et quoniam beatitudinis vestrae animum de obitu predicti serenissimi principis scimus non immerito perturbatum, vobis tamquam patri karissimo constanter promittimus, quod, sicut eidem glorioso quondam regi in regni solio successimus, ita hereditariam dilectionem tam ad vestram personam omnino specialem quam ad sacrosanctae matris nostrae Romanae aecclesiae promptissimam ac devotissimam defensionem suscepimus; hac scilicet ordinis ratione, ut, quaecumque ad liberationem et honorationem apostolicae sedis intenderat et ordinaverat, nos constanter perficere studeamus, ita ut, iuxta felicem ad sanctum virum Domini

promissionem, inimicis vestris inimici simus et odientes vos affligamus[1]. 1152 Mart.

Sane prenominatos legatos nostros benignitati vestrae attente committimus, ut eos pro nostrae dilectionis intuitu benigne tractetis et in suis petitionibus clementer exaudiatis; intime etiam rogantes, ut domnum abbatem de Evera, nobis tam in divinis quam in humanis rebus necessarium, liberum nobis remittatis.

---

373. *Stephanus episcopus Metensis Wibaldo scribit, ut Walciodorensium et Hasteriensium causa ad se veniat.* (M. 352.)

S(tephanus) Dei gratia Metensis episcopus W(ibaldo) eadem gratia abbati Stabulensi dilecto suo salutem et omne bonum. 1152 Mart.?

Litteras dilectionis vestrae libenter suscepimus, ex quibus adventum vestrum apud nos pro controversia Walcidorensium et Hasteriensium intelleximus. Set quoniam diem a vobis postulatam observare non possumus, statuimus vobis aliam, scilicet proximam secundam feriam[2] post sextam[3] a vobis nominatam; et hoc Meti. Valete.

---

374. *Wibaldus Eberhardum episcopum Bambergensem hortatur, ne Friderici I regis ad papam epistolae a se formatae capita commutet. At quae verba a rege mandata sint, ea papae mitigata tradi vult. Addit de litteris ad Romanos mittendis*[4]. (M. 346.)

Reverentissimo patri suo et domino E(berhardo) sanctae Bavenbergensis aecclesiae venerabili episcopo frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium. 1152 Mart. 27

Non sumus de scola Phitagore, ut auditores nostros in verba nostra iurare cogamus. Licebit itaque vobis absque ingenii nostri acerba reprehensione de scriptura nostra[5] immutare de-

1. Cf. Exod. 23, 22; Ps. 88, 24. 2. Mart. 24? 3. Mart. 21? 4. Hanc epistolam die 27 Martii ad Eberhardum missam esse, docet Wibaldus in ep. 377 infra p. 506. 5. id est: de Friderici regis ad Eugenium papam epistola, a Wibaldo formata (supra ep. 372), ut liquet ex extremae istius epistolae verbis his: „uti litteris vestris, quae ad domnum papam scriptae sunt“ cet.

1152 Mart. 27 mere vel adicere; unusquisque enim in suo sensu abundat[1]. Verumtamen, quoniam ars nulla sine preceptore usque ad plenam rerum certitudinem capitur, licet benignum pectus vestrum scientia et eloquentia non deseratur, nostra tamen verborum liniamenta[2], quae disertitudinis vestrae picturae substravimus, nullo erunt facundiae ornamento penitus oblitteranda.

Siquidem, cum nos adhuc iuvenes curiam intravissemus ante annos sursum versum plus minusve triginta[3], invenimus in quibusdam viris gravioribus imperatoriae maiestatis reliquias de contubernio et disciplina imperatoris Heinrici senioris[4], qui verba, quae ad domnum papam et ad Urbem ab imperatore diriguntur, tanquam appensa et dimensa memoriter retinebant, neque novis legationibus immutari vel á rudibus legatis alterari permittebant; ne videlicet maiestas imperii et ordo disciplinae obsolesceret.

Et ad comparationem quidem aliorum regum, videlicet Constantinopolitani, Ungarorum, Danorum, Northweghorum et aliorum tam barbarorum quam Latinorum, nostri principis[5] verba humilia sunt. Et subtili appendiculo cavendum, ne inter duas et interdum dissidentes potestates, quibus fidei vinculo alligati sumus, sinceritatis nostrae rectitudinem ullo dicendi vel agendi modo distorqueamus.

Reddetis nobis, cum Deo ducente prosperum reditum habueritis, studii nostri vicem, de alacritate eventus vestri nos certificare non abnuentes; quia, licet officio et dignitate preeatis, comitate tamen par esse[a] non dedignabimini.

Si scribere placuerit populo Romano, quod nobis quidem faciendum in hoc articulo plurimum videtur, poterit eruditio vestra uti litteris vestris, quae ad domnum papam scriptae sunt, eisdem de similibus verbis ac sententiis, paucis admodum, pro personarum varietate mutatis.

a. parcē *c.*

1. Rom. 14, 5. 2. i. e. epistolae capita. 3. i. e. circiter a. 1122. 4. Heinrici IV. 5. Friderici I regis.

375. *Wibaldus Eugenio III papae de Friderico I rege constituto deque rerum statu commutato ostendit.* (M. 344.)

Reverendo patri suo et domino E(ugenio) divina gratia uni 1152 Mart.
et universali papae frater ille vester[1], Dei et vestra gratia id, quod est in aecclesia catholica, se ipsum in fide et veritate.

Ecce, venerande pater, quod verebar accidit. Et ob hoc quasi divino et prescio spiritu, cum essem apud vos, non dissimulavi neque silui, suggerens et contestans, ut pacem populi Romani, si honesta et tuta esse posset, sine dilatione reciperetis. Etsi enim casum hunc, de quo non inmerito dolemus, minime persentiebamus, quadam tamen presensione futurorum angebamur, ne forte spes vestra, quam de expeditione futura conceperatis, aliquo rerum eventu vacillaret. Multa enim, quae legimus et audivimus et vidimus[a] inter reverendos Urbis pontifices et imperatores facta et dicta, non indebita nos sollicitudine terrebant.

Et licet discreta eruditio vestra de omni statu Theotonici regni plenius in presentiarum doceatur tum per literas gloriosi filii vestri et domini nostri Frederici Romanorum regis invictissimi tum etiam per scripta devotorum filiorum vestrorum, quorundam videlicet episcoporum, tamen devotio nostra circa vos et sacrosanctam matrem nostram Romanam aecclesiam languere non debuit, quin celsitudinem vestram de rebus maxime ad vos pertinentibus aliqua ex parte premoneremus. Et unusquisque in suo sensu abundat[2].

Pervenientibus nobis Spiram in reditu á vobis, occurrit Febr. 17
nobis fama omni auditu horribilior, omni furia terribilior, quod
videlicet tercia illa[b] die de hac vita migrasset dulcissimus ac Febr. 15
devotissimus filius vester, serenissimus quondam Romanorum rex Cuonradus. Dubitare non oportet aut querere sinceritatem vestram, quantus dolor animos nostros pervaserit de amissione tam clementis tam misericordis circa nos principis, de metu futurae in imperio mutationis. Enavigavimus ita summa cum

a. vidivimus *c.* b. illā *c.*

1. Caret igitur haec epistola nomine scribentis. 2. Rom. 14, 5.

1152 Febr. celeritate Coloniam, ut tanto esset Coloniensis[1] ad providendum rei publicae cautior ac liberior, quanto esset inter suos ab omni turbulentae conventionis impetu securior.

Ceperunt deinde summi principum sese per nuncios et literas de habendo inter se colloquio pro regni ordinatione sollicitare. Sicque factum est, ut, cum pauci admodum crederentur
Mart. venturi, maxima tamen optimatum multitudo 17 die post obitum[2] predicti magnifici principis in oppidum Frankenevort convenerit. Itaque, concurrentibus omnium votis, immo, ut verius dictum sit,
Mart. 5 precurrere certantibus singulorum desideriis, electus est cum summo universorum favore is, qui nunc rerum potitur, Fridericus, dux antea Sueviae. Et pari et eadem alacritate et ammi-
Mart. 9 ratione quinta postmodum die unctione sacra pontificum in solio regni more maiorum Aquisgrani sublimatus est. Salva sane in omnibus divinae omnipotentiae reverentia, quae operabatur in cordibus hominum ad inclinandum eorum voluntates quocunque vellet, in hac tam incredibili tam celeri concordia trahebat sua quemque voluntas[3].

Multorum vox erat, ut in ipsa impositione diadematis expeditionem Ytalicam, quam patruus eius strenue ordinaverat, ipse
Mart. 10 firmaret ac perficeret. Sequenti vero die tam Coloniensis quam episcoporum, qui illic aderant, consilium et exhortatio erat, ut, eadem die[a] militiae sacramentis acceptis, expeditionem Ytalicam ad propulsandas apostolicae sedis iniurias promoveret. Set laici principes, simplici fortasse animo, studiose suggerebant: non oportere in hac rerum novitate tam gravi sponsione principem devinciri, ne improbitas rebellantium, de ipsius celeri egressu certa, in extremam dementie audatiam prorumperet; decere etiam, ut vocatus á vobis potius quam sponte sua veniret. Ita de facili labor in quietem permutatus est. Et quidem cor regis in manu Dei est, et pro subiectorum meritis, quo placet, convertit illud.

a. die *addidi.*

1. Arnoldus II archiepiscopus. 2. „17 die post depositionem eius" legimus in ep. 372 supra p. 499. 3. Wibaldus non sine ratione videtur usus esse Virgilii (Ecl. II. 65) verbis his: — „trahit sua quemque voluptas".

Hoc ideo dicimus, quod princeps noster, nondum ut credimus annorum triginta, fuit antehac ingenio acer, consilio promtus, bello felix, rerum arduarum et gloriae appetens, iniuriae omnino impatiens, affabilis ac liberalis, et splendide disertus iuxta gentile idioma[a] linguae suae. Augeat in eo Deus omnium virtutum nutrimenta, ut faciat iudicium et iusticiam in terra. Et sit vobiscum magni consilii angelus[b], ut declaretis eum in regem ac defensorem Romane aecclesiae; et illa ipsi ac principibus suis facere iniungatis, quae ad honorem catholicae aecclesiae et salutem populi christiani proficiant. 1152 Mart.

---

376. *Heinricus regiae curiae notarius Wibaldum exagitat et de sigillo bullisque aureis nondum missis et de verbosa epistola ad papam mittenda. De rege addit.* (M. 347.)

Domino suo dilecto W(ibaldo) Corbeiensi abbati H(einricus) regiae curiae notarius servitium servi. 1152 Mart.

Sapientis est, propositum sibi negocium ex consilio et deliberatione promovendum assumere, assumptum compensata rerum et temporis oportunitate effectui mancipare. Bavenbergensis episcopus[1], vir prudens et constans, ad peragendam legationem domni regis sibi iniunctam sigillum et bullas aureas, sicut promisistis, ex parte vestra[c], iam dudum succinctus ad iter, exspectat. Vos autem nudas litteras ad opus domni regis[2] ad curiam transmisistis. Certe, si nobis tanta esset copia bullarum aurearum, quanta verborum, legatio domni regis ex omni parte promota et maturata iam dudum processisset. De statu et processu domni regis sciatis, quia bene sanus est et, omnibus in Traiecto rite peractis, per Daventriam versus partes Saxoniae procedit.

---

377. *Wibaldus Heinrico notario non sine molestia rescribit, seque de sigillis bullisque aureis purgat. Num rex Corbeiam iturus sit, scire vult.* (M. 348.)

Frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catho- 1152 Apr.

a. indioma *c*. b. angelorum *c*. c. vestri *c*.

1. Eberhardus. 2. Cf. ep. 374 supra p. 501 n. 5.

1152 Apr. lica, dilecto in Christo sodali et amico suo H(einrico) magistro regiae curiae notario, recte iudicare inter filios hominum[1].

Placuit eruditioni tuae, temeritatis nos et inconstantiae, proposita philosophica[a] sententia, tamquam nota censoria[b] redarguere, pro eo scilicet, quod tibi, ut asseris, nudas litteras transmisimus, et domnum Bavenbergensem episcopum, virum prudentem atque constantem, ad legationem domini nostri regis peragendam iam accinctum, retardavimus. Vulgari proverbio apud nos dicitur, quod tibi, licet inconcinne, e verbo transferre curabimus: *Male audire facit male intelligere, et male intelligere facit errare.*

Siquidem dominus noster rex, presente et annuente domno Bavembergensi, ita instrumenta legationi necessaria ordinavit, ut, postquam a nobis diligenter perfecta fuissent, Anselmo villico Aquensi transmitterentur, perferenda per ipsum usque ad Bavenbergensem. Quod nos cum maxima et instanti sollicitudine per-
Mart. 18 ficere studuimus. Nam die quinta post exitum vestrum á nobis, Aquisgrani dedimus puero nostro Godino perferendum sigillum argenteum perfectum, ne videlicet illo novitio et non permansuro res regni diutius consignarentur. De nudis vero litteris, quas cum eodem sigillo misimus, lectores et auditores iudicabunt, utrum splendore sententiarum et ornamentis verborum prorsus nudae sint. Quas nos tamen ex regio mandato et pro episcoporum precibus, non ad doctrinam vestram, set tanquam picturae vestrae quedam liniamenta propter materiae novitatem coacti substravimus, et vobis ad noticiam rerum conservandam custodiendas transmisimus.

Mart. 27 Decima postmodum die, hoc est in cena Domini, perfecta sunt ferramenta ad bullandum de auro; quae vobis per prepositum de Marna sub celeritate transmisimus. Eadem vero die misimus Aquensi villico sigillum stagneum, diligenter expressum ad formam argentei, et duas bullas aureas perfectas, cum omnibus litteris et salutationibus, quae domno Bavembergensi opor-

a. philosopyca *c.* b. sensoria *c.*

1. Cf. Ps. 57, 2.

tunae erant, additis insuper propriis ammonitionis nostrae litteris. 1152 Apr.
Quas quarta feria paschalis ebdomadae[1] recipere, si per nuncios neglectum non est, absque dubitatione potuit.

Non igitur oportuit prudentiam tuam aures principis inquietare, tanquam opus ipsius et mandatum fuisset á nobis omissum; cum á iuventute nostra sub tribus inclitis augustis[2] principali iussioni vigilanter optemperare didicerimus. Set ab ingressu quorundam in regiam curiam, qui nec scientia nec experientia rerum maiestatem et imperii dignitatem perceperant, nostra et quorundam aliorum principum opera vel prorsus cessavit vel[a] superflua visa est. Neque hoc dicimus, quod, quietis nostrae impatientes, evagari et aliena curare concupiscamus et, iudicandi ab omnibus, ferre de cunctis sententiam desideremus.

Ceterum super hoc plurimum gaudemus, quod de copia verborum in responsis regiis procurandis gloriatus es; quorum habundantia non á nobis solum, set á multis regni fidelibus diu satisque desiderata est.

Gratias autem referimus omnipotenti Deo de sospitate domini nostri regis. Set nos, a tua industria de statu ipsius requirentes, non ad incolumitatem corporis, quae tamen nobis curae est, set ad primordia novi regnatoris animum intendimus: utrum diligeret iusticiam qui iudicat terram, utrum in eodem proposito fervens esset an lentus, efficax an vacuus.

Remisimus autem tam ad ipsum dominum nostrum quam ad tuam experientiam presentem puerum nostrum, ut nobis absque retardatione remandes, utrum dominus noster per Corbeiam transitum sit habiturus.

---

378. *Wibaldus a Iordano legato apostolico petit, ut Tiebaldi praepositi Xantensis causam Arnoldo II archiepiscopo Coloniensi discernendam permittat.* (M. 355.)

Reverendo patri suo et domino Ior(dano) sanctae Romanae 1152
aecclesiae venerabili presbitero cardinali[3], apostolicae sedis legato,

a. nec *c.*

1. Apr. 2. 2. Heinrico V, Lothario, Conrado III. 3. tit. S. Susannae.

1152 frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Dignationi vestrae multiplices gratiarum actiones referimus, quod, quamdiu in Lotharingia fuistis, memoriam nostrae parvitatis in magna benivolentia et benedictione habuistis nostrosque ac nostra iuxta temporis oportunitatem prompta defensione adiuvistis, sicut per litteras fidelium nostrorum, longe remoti, didicimus. Pro his igitur tam paternae misericordiae officiis et personam vestram propensius de cetero diligere et Romanam curiam attentius venerari disposuimus, ita ut neque mors neque vita nos ab ipsius caritate possit divellere. Cum revertentes ab Urbe Coloniam cum domno archiepiscopo pervenissemus, invenimus domnum T(iebaldum) Xantensem prepositum gravi et longa infirmitate ádeo debilitatum, ut, cute ossibus adherente, infirmum vix traheret spiritum. Audivimus autem priores Coloniensis aecclesiae in magno clericorum conventu confitentes, quod predictus prepositus se ad omnem iusticiam frequenter in Coloniensi aecclesia exhibuisset super querela, quam canonici sui adversus eum habuerant, cum idem canonici sepe á maiore preposito et prioribus pro hoc vocati venire supersedissent. Proinde nos, filii vestri, ausu verae caritatis, qua vos in Domino diligimus, vestrae oculatae discretioni suggerimus, ut eandem causam domno Coloniensi archiepiscopo tractandam terminandamque remittatis, nec de gravamine prenominati prepositi vobis ab aliquo persuaderi permittatis.

---

379. *Arnoldus II archiepiscopus Coloniensis Heinricum episcopum Mindensem de mutilato caecatoque fratre Vorthlevio Coloniam in ius vocat.* (M. 358.)

1152 Apr. A(rnoldus) Dei gratia si quid est sanctae Coloniensis aecclesiae humilis minister H(einrico) eadem gratia venerabili Mindensi episcopo salutem et orationes in Domino.

Luctuosa quidem et omnino miserabilis querimonia de novo et infandissimo scelere ad nos et sanctam matrem nostram Coloniensem aecclesiam perlata omnium mentes acerbissimo dolore

turbavit, horrore terruit, compassione commovit. Rediit siquidem a Mindensi civitate ad Coloniensem urbem, ubi natus est, frater Vorthlevius, vir utique, dum apud nos vixit, inculpatae vitae; qui in domo beati Petri, presente tota Coloniensi aecclesia et pluribus principibus, qui ad sollempnitatem regiae susceptionis[1] convenerant, subito ad pedes nostros prostratus, horridas vulnerum cicatrices et cavernas oculorum, ipsis orbatas oculis, miserabiliter premonstrans, gravem et a vestra utinam serenitate alienam querimoniam in vestram personam intendit; affirmans: quod vestro[a] instinctu et nutu, facta de ipso ad fideles vestros querimonia[b], ab eisdem membris truncatus et, quod miserrimum in vita est, cecus factus sit. Quia vero in cathedra beati Petri licet indigni auctoritate tamen apostolicae preceptionis vim passi residemus, iusticiae lineis inherentes, habito conventu abbatum et omnium priorum Coloniensium, et coram eis iterata querimonia, quae in vos prolata est, iudicio ecclesiae ad quadraginta dies post acceptas has nostras litteras, sicut ratio temporis canonicas inducias diffinit, vestram nobis presentiam Coloniae exhiberi, ex apostolica auctoritate et nostra fraternitati vestrae mandamus. Et quia crudelis est, qui famam suam negligit[2], quod Deus á vestra serenitate avertat, nichilominus mandamus, ut eos, quos prefatus V(orthlevius) huius tanti sacrilegii auctores astruit et quos post perpetratum facinus ad vos regressos et vobiscum in domo familiariter commoratos dicit, ad famam gloriae vestrae[c] pro se responsuros Coloniam eadem die venire districte commoneatis. Novit enim vestra erudicio, quid in huiusmodi malefactores apostolica decreta sanxerint. Preterea eos, quos idem Vor(thlevius) testes invocat, quod eis presentibus minae vestrae in eum et querimonia ad eos, qui ipsum excecaverunt, prolatae sint, et duos fratres, quos de traditione notavit, modis omnibus vobiscum petimus nobis exhiberi, ut et[d] factorum et dictorum 1152 Apr.

a. vestro *addidi.* b. *sequuntur in cod. abrasae voces hae:* in vestram personam. c. tuendam *excidisse videtur.* d. et ut *c.*

1. Fridericum regem anno 1152 tum die 30 Martii tum d. 20 Aprilis Coloniae fuisse scimus. 2. Augustini sermo 355 c. 1 (Opp. ed. Caillau T. XXI p. 348).

1152 Apr. veritas pateat, et eo fine cuique sua iusticia tribuatur, ut spiritus salvus fiat. Predictorum nomina subter notavimus. Malefactores: Elgerus, Wlverus, Bęrnardus, Poppo, Fridericus, Wikerus, Arnoldus, Eilvardus, Robertus. Testes invocantur: abbas de Insula, Wernerus prepositus, Anno prepositus, Robertus decanus, Godeboldus magister scolarum, Nithardus abbas de Buresvelde. Tradicionis notati: Eppo, Reimarus.

---

380. *Arnoldus II archiepiscopus Coloniensis Wibaldum rogat, ut sibi scribat, quibus diebus liceat moniales velari.* (M. 356.)

1152 c. Mai. A(rnoldus) Dei gratia si quid est sanctae Coloniensis aecclesiae humilis minister domno W(ibaldo) eadem gratia venerabili Corbeiensi abbati salutem et obsequium.

In octava pentecostes[1] sanctimoniales velare disposuimus; set quidam ad nos referebant, hoc non licere nisi in epiphania Domini[2] et in natali[a] apostolorum[3] et secunda feria pascae. Quocirca, non plenę memores, quid super hoc á domno papa docti simus, prudentiam vestram, quae sacri iuris articulos plenius agnoscit, consulentes, rogamus, quatinus super hoc vestra eruditio scripto nos certificare dignetur, an in predictis dumtaxat sollempnitatibus — an in diebus tantum dominicis, quod á domno papa accepisse videmur — liceat velari sanctimoniales.

---

381. *Wibaldus Arnoldo II archiepiscopo Coloniensi de diebus velandarum monialium rescribit. Addit de Friderici regis erga eum benevolentia. De castello expugnato gratulatur. Abbatem Prumiensem et monachos Marnenses commendat; seque Coloniam venturum esse, significat.* (M. 357.)

1152 Mai. Reverendo in Christo patri suo et domino A(rnoldo) sanctae Coloniensis aecclesiae venerabili archiepiscopo frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

a. natal' *c.*

1. 25 Mai. 1152. 2. Ian. 6. 3. Iuni. 29.

Humilitas excellentissimi preceptoris, qui imitatoribus suis 1152 Mai.
precipit: *Vos autem nolite vocari Rabbi*[1], et karitas, quae non inflatur[2], vos docuerunt, ut sacrorum canonum instituta, quorum scientia eruditioni vestrae notissima est, á nostra parvitate investigare dignaremini. Siquidem quo tempore debeat fieri virginum consecratio, habemus ex decretis Gelasii papae capitulo undecimo ita dicentis: *Devotis quoque virginibus nisi aut in epiphania aut in albis paschalibus aut in nataliciis apostolorum sacrum minime velamen imponatur, et non ante viginti quinque annos, nisi forte, sicut de baptismate dictum est, gravi languore correptis, ne sine hoc munere de seculo exeant, implorantibus non negetur*[3]. Si igitur ab aliquo episcoporum contra huius sacrae regulae formam factum meministis, quod ab uno vel á paucis vel necessitate presumptum vel ignorantia neglectum est, in observantiam universorum transire non potest. Verum quod non plene memor estis, quid á domno papa de sanctimonialium velatione doctus sitis, in quantum memoria nostra recolligere possumus, non de sanctimonialium set de episcoporum consecratione fuit, super qua, quod in natali[a] apostolorum et in aliis sollempnitatibus, set in dominicis tantum diebus, fieri debeat, auctoritatem canonum exstare asseruit. Quae quidem huiusmodi est. Ex epistola Leonis ad Dioscorum: *Quod die dominico ordinationes sacerdotum celebrantur, non tantum ex consuetudine set et ex apostolica novimus venire doctrina; scriptura manifestante, quod, cum apostoli Paulum et Barnaban ex Spiritus sancti precepto ad ewangelium gentibus mitterent predicandum, ieiunantes et orantes imposuerunt eis manus: ut intelligamus, quanta et dantium et accipientium devotione curandum sit, ne tantae benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum. Et ideo pie et laudabiliter apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum sacerdotum formam per aecclesias, quibus Dominus preesse te voluit, et ipse reservaveris, ut his, qui consecrandi*

a. natal' *c.*

1. Matth. 23, 8. 2. 1 Corinth. 13, 14. 3. Cf. Decr. Gratiani P. II. c. 20. q. 1, 11.

1152 Mai. *sunt, nunquam benedictio nisi in die resurrectionis dominicae tribuatur, cui a vesperę sabbati inicium constat ascribi; quae tantis divinarum dispensationum misteriis est consecrata, ut, quicquid*[a] *á Domino insignius est constitutum, in huius diei dignitate sit gestum. In hac mundus sumpsit exordium, in hac per resurrectionem Christi et mors interitum et vita accepit incrementum*[1].

Princeps noster[2] bonam de se merentibus spei fiduciam prestat. Qui magna cum benivolentia et iocunditate beneficii vestri recordatur, quod ei gratis et plus quam gratis in suis ad imperii culmen provectibus exhibuistis, et postmodum in suis primordiis singulari fide et constantia ad rei publicae[b] et sua emolumenta indeficienter astitistis. Inde est, quod regnum Lotharingiae vestrum est, et per vestram provisionem et operationem cuncta disponere intendit[3]. Fideles monitores super hac re sunt cancellarius[4] et notarius[5], oportuni sane propter quorundam laicorum oblatrationes.

De castello, quod nuper gloriose expugnastis, licet vobis absque regiae mentis offensa, quicquid commodissimum est, ordinare.

Parcite Prumiensi abbati, ne serenus augustus in Deum peccet cum suae famae vel modico detrimento.

Veniemus ad vos in martyrio apostolorum Petri et Pauli[6]; set, licet á Mindensi episcopo pro causa ipsius[7] obnixe rogati, apud vos tamen et vobiscum futuri.

Monachi Sancti Remigii, qui sunt in Marna, multum vexantur calliditate Gozwini; quos nisi pietas vestra protexerit, omnino illudentur.

a. quicquic *c*. b. r. p. *c*.

1. Cf. Decr. Grat. P. I. D. 75, 5. 2. Fridericus rex. 3. Et hic et alii huius epistolae loci docent, eam in curia regia esse scriptam, idque ut videtur in curia Merseburgensi d. 18 Maii habita, ubi et Wibaldum et Heinricum episcopum Mindensem (cuius mentio in hac eadem epistola fit) fuisse, intelligimus ex Friderici I regis tabula ap. Erhard Reg. Westph. II Cod. dipl. p. 65. 4. Arnoldus. 5. Heinricus. 6. Iuni. 29. 7. V. ep. 379 supra p. 508.

382. *Eugenius III papa Friderico I regi constituto gratulatur. Sperat, promissa Conradi regis per eum impletum iri. Addit, se legatum propediem missurum esse*[a]. (M. 378.)

Eugenius episcopus servus servorum Dei karissimo in Christo filio F(riderico) illustri Romanorum regi salutem et apostolicam benedictionem. 1152 Mai. 17

Nuntiis egregiae tuae nobilitatis et litteris benigne ac honeste susceptis, et ipsorum fideli et prudenti narratione et illarum diligentissima inspectione, personam tuam, iam pridem nobis dilectam, post decessum patrui tui, recolendae memoriae C(onradi) Romanorum regis, pari voto et unanimi consensu principum in regni fastigium promotam esse, manifeste cognovimus. Quod tanto uberiore[b] exultatione suscepimus, quanto per dilecti filii nostri O(ctaviani) presbiteri cardinalis[1] narrationem et tuarum litterarum susceptionem spem certiorem de tua industria iam antea tenebamus. Deo igitur, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum[2], de corde gratias debitas persolventes, quod de tua strennuitate divina clementia disponente tam concorditer factum esse cognovimus, benigno favore sedis apostolicae approbamus. Credimus enim[c], quod bonum, á iam dicto patruo et predecessore tuo firmiter nobis et aecclesiae Romanae promissum, per generosae devotionis tuae studium desideratum á nobis auxiliante Domino sortietur effectum. Nos siquidem ad honoris et exaltationis tuae augmentum pro debito commissi nobis officii, superna cooperante gratia, attentius intendimus laborare. Eapropter de communicato fratrum nostrorum consilio legatum de latere nostro ad tuam serenitatem disposuimus in proximo destinare, per quem intentionem et[d] propositum nostrum tuae gloriae disposuimus aperire. Interim autem regiam dignitatem tuam attente monemus, ut professionis regiae formam perspicaci lumine mentis semper attendas et aecclesiae Dei et aecclesiasticis personis promptam et debitam iu-

a. *Haec epistola in codice bis scripta est:* 1. *fol.* 134*v* — 135, 2. *fol.* 143 — 143*v*. b. uberiori 2. c. enim *om.* 2. d. ac 2.

1. tit. S. Caeciliae. 2. Iacob. 1, 17.

1152 Mai. 17 sticiam ac[a] defensionem infatigabiliter et semper exhibeas, viduis, pupillis, orphanis et universo populo regimini tuo subiecto sine tarditate pacem et iusticiam facias, ut ipsi, de tua protectione ac defensione pro regiae dignitatis excellentia muniti et tibi devote obedientes, letentur et tu de regia sollicitudine apud homines gloriam et apud illum, per quem reges regnant, cum sanctis regibus vitam percipere merearis aeternam. Data Signiae 16 Kal. Iunii.

---

383. *Pactio Friderici I regis et Bertolfi IV ducis de Zeringen.* (M. 353.)

1152 ante Iun. 1 Haec est conventio inter domnum regem F(ridericum) et ducem Bertolfum[1].

Domnus rex dabit eidem duci terram Burgundiae et Provinciae; et intrabit cum eodem duce in predictas terras et adiuvabit eum easdem terras subiugare per bonam fidem ex consilio principum, qui in eadem expeditione erunt. De terra, quam modo habet comes Willehelmus Matisconensis ex parte neptis suae[2], faciet duci iusticiam aut ex consilio principum aut ex iuditio ipsorum. Dominatum et ordinationem utriusque terrae domnus rex habebit, quamdiu in ipsis terris fuerit. Post discessum regis dux utrasque terras in potestate et ordinatione sua retinebit, preter archiepischopatus et epischopatus, qui specialiter ad manum domni regis pertinent. Si quos autem episcopos comes Willehelmus vel alii principes eiusdem terrae investierunt, eosdem dux investiat.

Et quod haec conventio ex parte domni regis observabitur, fide data firmavit Heinricus dux Saxoniae, domnus Welpho, Arnoldus cancellarius, comes Oudelricus de Lencenburch[b], comes Egeno, Oudelricus comes de Hournunge[c], Marcquardus de Grounbach, Arnoldus de Biberbach, Otto palatinus comes de Witelinesbach, Waltherus dapifer, Hildebrandus pincerna, Counradus Colbo et frater suus Sigefridus.

a. et 2. b. Lencenb̄. *c.* c. Hournun9ge *c.*

1. IV de Zeringen. 2. Beatricis, filiae Reinoldi III comitis Burgundiae; quam postea ipse Fridericus imperator in matrimonium duxit.

Dux Bertolfus habebit cum domno rege mille loricatos equi- 1152 ante Iun. 1
tes, quamdiu domnus rex in eisdem terris fuerit. In Italicam expeditionem ducet cum domno rege, quamdiu in ipsa expeditione fuerit, quingentos loricatos equites et quinquaginta arcobalistarios. Et quod dux haec omnia observabit sine dolo et sine fraude, dabit domno regi in pignore allodium suum, castrum scilicet Thecche[1] cum omnibus ministerialibus et prediis ibidem pertinentibus, Hetlingen[2], Williggen[3] et Erstein[4] cum omnibus eorum pertinentiis. Et quod dux haec omnia observabit, iuraverunt homines sui Burchardus et Wernherus.

Domnus autem rex expeditionem in predictas terras movebit a proximis Kalendis Iunii, quae sunt in indictione 15, infra annum[5].

---

384. *Wibaldus cum Friderico I rege de iniuria a Folcwino et Widekindo sibi illata queritur.* (M. 359.)

Inclito triumphatori ac serenissimo domino suo F(riderico) 1152 Iul. in.
Dei gratia glorioso Romanorum imperatori augusto frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, salutem in eo qui dat salutem regibus[6].

Iniuriam, quae Corbeiensi aecclesiae et nobis illata est, propriis verbis explanare non valentes, cum propheta ingemiscimus dicente: *Expectavimus pacem, et non venit; et tempus curationis, et ecce turbatio*[7]. Sperabamus enim in tempore et maxime in primordiis imperii vestri, quem Deus mirabili et celeri potentia sua omnium principum summa et desiderabili coniventia in regni solium sublimavit, latronum manus esse compressas, furta vindicata, perfidiam eliminatam, quippe cum vestrae potentiae nulla possit nequitia obsistere. In hac confidentia securos et nichil omnino metuentes, invaserunt nos homines nostri, qui nobis

1. Teck. 2. Oethlingen a Kirchheim inter occidentem et septemtriones. 3. Wellingen a Kirchheim ad septemtriones. 4. hodie prope Teck locus Erstein non reperitur. Nec vero de Alsatiae castro Erstein cogitare licet. 5. i. e. intervallo diei 1 Iunii 1152 et diei 1 Iunii 1153. 6. Ps. 143, 10. 7. Ierem. 14, 19.

1152 Iul. in. fidelitatem iuraverunt et magna beneficia a nobis habent; et armata manu intraverunt oppidum nostrum Huxariam et, premissa paulatim et per turmas militia, tandem armati et patentibus vexillis super incautos irruerunt, Folcwinus videlicet et Widekindus fratres; et in vastitate hostili totum locum occupaverunt. Triduo itaque ibidem commanentes et omnem circa regionem, quae ad prebendam fratrum specialiter pertinet, penitus devastantes, nefandissima scelera in viros ac mulieres passim commiserunt; et post publicam atque communem rapinam, quae estimata est fuisse nongentarum librarum denariorum, á captivis melioribus, quos á pauperiore turba segregaverant, ducentas quinquaginta tres libras nummorum extorserunt. Insuper vallum et munitiones, quae auctoritate regia et precipue privilegio beatae recordationis patrui ac predecessoris vestri constructae fuerant, cum advocati essent eiusdem loci, destruxerunt. Nullae inter nos et ipsos inimiciciae erant, set, proxime cum ab eis in osculo pacis recesseramus, nullam umquam querimoniam vel nobis vel alicui super predictos burgenses fecerant nec alicuius mali suspicio inter ipsos et nostros habebatur. Pro hac tam atroci contumelia fratres nostri, cum absentes essemus[1], corpora sanctorum Viti et Iustini, quae apud nos requiescunt, in terram deposuerunt, et humiliatis crucifixi Salvatoris nostri imaginibus, ab omni deinceps sollempni officio divino et á pulsatione campanarum abstinuerunt. Provoluti ergo genibus vestrae maiestatis, tam nos quam fratres nostri et tota familia Corbeiensis clementiam vestram suppliciter exoramus, ut, sicut decet principalem excellentiam, vindicare non differatis hanc insignem contumeliam, quae vestram dignitatem non modica ex parte obscurat. Alioquin non solum vobis et regno servire, sicut in precipuo desiderio habemus, ultra non poterimus, set etiam in terra Saxoniae cum honore habitare non valebimus.

1. Coloniae, circ. 29 Iuni. V. ep. 381 supra p. 512 et ep. 385 infra.

385. *Arnoldus II archiepiscopus Coloniensis Wibaldum, hostilia passum, consolatur. Addit de castri Seynensis obsidione.* (M. 361.)

U(uibaldo) dilecto fratri suo venerabili sanctae Corbeiensis 1152
aecclesiae abbati A(rnoldus) Dei gratia si quid est Coloniensium Iul.
humilis minister salutem cum intima dilectione et obsequium.

Etsi familiaritatis nostrae bene inchoatae bene deinceps conservatae series verbis exprimi non possit, paucis tamen de ipsa loqui et eius recordatione frui adeo suave est, ut sensu quidem intelligi possit set in sermone experimentum non habeat. Cum igitur omnibus adversitatibus vestris ex debito compatiar, maxime tamen et iustius doleo id, quod, cum ad synodum nostram veneratis[1], invasionem iniquorum[2] passus estis. Quicquid igitur super his honori vestro convenire videbitur, libenter prosequar, quousque satisfactio digna offeratur.

Nunc autem, ne status noster vos lateat, sciatis, quod in obsidione castri Seyne positi sumus, exitum rei adhuc ignorantes, et mentem domni Treverensis[3] quasi in pendulo reputantes. Multa tamen tam timenda quam speranda auribus nostris allabuntur; set karitas foras mittit timorem[4], spes autem non confundit[5]. Noscat Deus, qui scrutator omnium est, quod non pro privato odio, set pro iusticia et curae pastoralis debito violatores pacis persequar. Necesse enim est, ut, quia terra diu commota et conturbata est, sanentur eius contritiones. Nunc autem, quia omnes inimici pacis inimici mihi facti sunt, obsecro, orationes ab aecclesia vestra pro peccatis meis fieri, ut, sine quo nichil est validum, eius adiutorio possim subsistere. Valete. Si quid aliud nobis occurrerit, vos non latebit.

1. die 29 Iunii. V. ep. 381 supra p. 512. 2. Folcwini et Widekindi. V. ep. 384 supra p. 516. 3. Hillini archiepiscopi, quem ad curiam Ratisbonensem die 29 Iunii celebratam ex Italia reversum esse, retulit Otto Frising. in Vit. Frid. L. II. c. 6. 4. 1 Ioh. 4, 18. 5. Rom. 5, 5.

386. *Arnoldus II archiepiscopus Coloniensis Eugenio III papae significat, in synodo Coloniensi quid actum sit de Fortlivo clerico, a ministerialibus Heinrici episcopi Mindensis caecato.* (M. 362.)

1152 Iul. Reverendo patri ac summo pontifici E(ugenio) A(rnoldus) sanctae Coloniensis aecclesiae humilis minister, W(alterus) maioris aecclesiae prepositus, A(delbertus) decanus, T(hiebaldus) Xanctensis prepositus, G(erardus) Bunnensis prepositus et universus prefatae aecclesiae conventus debitam cum omni subiectione obedientiam.

De controversia, quae inter episcopum Mindensem et pauperem clericum Fortlivum nomine coram nobis ventilata fuit[1], ammoniti et rogati ab utraque parte testimonium dare super his, quae vidimus et audivimus et coram nobis tractata sunt, testimonium perhibemus. Notum igitur excellentiae maiestatis vestrae facimus, quod iam dictus pauper ad presentiam nostram veniens querimoniam miserabilem atque lacrimabilem coram nobis deposuit, quod consensu et iussu episcopi á ministerialibus suis excecatus sit. Communicato itaque consilio super hac causa cum fratribus nostris, visum fuit nobis, ut episcopus ad audientiam nostram evocaretur et super hoc verbo audiretur. Qui, cum responsurus impositis presentiae nostrae se exhibuisset et de hoc nefando facto pulsatus fuisset, confessus fuit, quod undecim ministeriales sui de domo sua egressi et ad eam regressi hoc scelus tam detestabile, se nesciente, perpetrassent. Adiecit quoque, cum in hos omnes tam consentientes quam facientes sententiam vestrae excommunicationis pronuntiasset, quod tumultu populi quosdam eorum, qui in comitatu fuerant, quoniam manum se in clericum misisse negaverunt, absolvere coactus sit. Post huiusmodi confessionem cum purgationem innocentiae suae nobis offerret, aecclesia tota fere reclamante, non fuimus ausi eam audire, tum quia periculosum nobis visum fuit propter huiusmodi confessionem, tum quia talium excessuum vindictam vobis soli servastis. In malefactores autem omnes, tam consentientes quam facientes,

1. Iuni. 29. V. epp. 381 et 385 supra p. 512 et 517.

sententiam vestram cum omnibus suffraganeis nostris[1], preter Traiectensem[2], qui tunc forte abfuit, ita promulgavimus, quatenus catenis nostris firmiter teneantur, quoadusque presentiae vestrae se exhibeant et secundum mandatum vestrum condignae satisfactioni se supponant. Vestrae igitur paternitatis interest, ut sub tali testimonio dictorum atque factorum in beneplacito discretionis vestrae et prudentiae super hoc negotio iudicetur. 1152 Iul.

---

387. *Otto episcopus Frisingensis Wibaldo de psalmi versu scribit. Iniurias ei a Saxonibus, antiquis regni hostibus, illatas dolet.* (M. 354.)

Venerabili in Christo fratri et amico precordiali W(ibaldo) Corbeiensi abbati O(tto) Frisingensis[a] aecclesiae id quod est salutem cum devoto obsequio. 1152

Quod negocium, pro quo ad curiam miseratis, debitum processum non habuit, in nobis non remansit.

De cetero super questione, quam nobis Aquis movistis, quomodo videlicet ad ascensionem Domini referri valeat, quod in psalmo legitur: *Tollite portas, principes, vestras, et elevamini portae eternales*[3]; et: *Quis est iste rex gloriae?*[4], breviter respondemus: triplicem in eadem auctoritate sensum repperiri. Quorum iste unus est: de ascensione. Legite glosas psalterii, et invenietis[5] super *Attollite portas: Virtutes*[6] *ministrae ad alias coelestes clamant, ut viam aperiant; quae, novo misterio carne induti stupefactae, querunt: Quis est?* Set et illum, quem dixistis de principibus tenebrarum et portis mortis, unde cantus ille: *Cum rex gloriae*[7] factus est, ibi invenire poteritis, ita tamen, ut portae aeternales non sint infernales, set item coe-

a. Frigis̄ *c.*

1. i. e. Heinrico episcopo Leodiensi, Friderico ep. Monasteriensi, Philippo ep. Osnabrugensi. 2. Hermannum. 3. Ps. 23, 7. 4. Ps. 23, 8. 5. in Walafridi Strabonis glossa ordinaria. V. Biblia sacra cum glossa ordinaria Antwerpiae 1634. T. III. 615—617. 6. „Virtutes — Quis est" ex Augustini enarrationibus in Psalmos. 7. Canticum triumphale, ex Augustini sermone 137 sumptum, apud Daniel Thesaur. hymnologicus II. 315: „Cum rex gloriae Christus infernum debellaturus intraret" cet.

1152 lestes. Unde est rursum illa glosa[1]: *Attollite, id est auferte portas mortis, quae a principe diabolo positae sunt. Et elevamini contra portas mortis. Portae aeternales: Omnis gratia, quae, veniente Christo, data est.* Et alibi[2]: *Angeli preeuntes ad infernum dicunt: Auferte potestatem vestram. Et in ascensione.* Dicunt secundum vos principibus tenebrarum in descensione ad inferos: *Attollite,* id est auferte, *portas, principes, vestras;* dicunt secundum nos principibus lucis in[a] ascensione ad coelos: *Tollite* pro *aperite,* ut idem sit *tollite portas* quod *et elevamini portae aeternales.* Tercius eiusdem lectionis sensus moralis est. Haec idcirco caritati vestrae scripsimus, non quod sapientiam vestram nostra insipientia doceri ambiamus, set quod nostram imperitiam apud vestram sollertiam excusatam esse desideramus: ut, quia multifarius scripturarum sensus noscitur, nobis non imputetis, quasi hanc auctoritatem in ascensione Domini, de ascensione ad populum loquentes, de nostro potius quam sanctorum patrum corde induximus, cum secundum primum sensum illi in psalmo dicant: *Quis est iste rex gloriae?* qui in propheta aiunt: *Quis est iste, qui venit de Edom?*[3] Stilo non succenseatis, quoniam festinanter scripsimus.

Personam vestram vera in Domino caritate diligimus, et de omnibus, quae vobis nocere possunt, precipue de his, quae a Saxonibus, antiquis regni hostibus, fraternitati vestre illata sunt[4], plurimum dolemus.

---

388. *Fridericus I rex Wibaldo scribit, se iniurias ei illatas vindicaturum esse. Curiae Wirzeburgensi eum interesse vult.*

(M. 366.)

1152 Iul. F(ridericus) Dei gratia Romanorum rex W(ibaldo) Corbeiensi abbati gratiam suam et omne bonum.

Preter communem karitatis legem, qua cunctos regni principes honorare compellimur, personam tuam speciali dilectione

a. ā *c.*

1. Cassiodori in Commento psalterii. 2. „Angeli — ascensione“ Augustini verba sunt. 3. Isai. 63, 1. 4. v. ep. 384 supra p. 515.

complectimur, et ea, quae ad honorem tuum spectare noscuntur, 1152 Iul.
libenter volumus per omnia promovere. Super iniuriis igitur aecclesiae Corbeiensi illatis debita tibi affectione compatientes, discretioni tuae commonendo consulimus, ut adversa, quae existunt, in presentiarum equanimiter sufferas nostramque vindictam mitigato animo prestolari non graveris. In brevi etenim, cum temporis oportunitas se nobis Domino favente prebuerit, talem tibi vindictam faciemus, quod alii similia committere trepidabunt. Preterea te ignorare nolumus, quod tercio Idus Octobris[1] curiam generalem ex consilio principum vita comite Wirceburo celebraturi sumus. In qua presentiam tuam nobis cupimus exhiberi.

---

389. *Fridericus I rex Corbeiensibus scribit, eorum iniurias castigatum iri. Ne sacris se abstineant.* (M. 367.)

F(ridericus) Dei gratia Romanorum rex universo conventui 1152 Iul.
Corbeiensis aecclesiae gratiam suam et omne bonum.

Universitatis vestrae doloribus debita affectione compatimur et vestris angustiis admodum condolemus. Cum autem oportunitas se nobis Domino favente prebuerit, ita vestras intendimus ulcisci iniurias, ut et dolor vester omnino mitigari debeat et omnes, qui vindictam persenserint, similia committere non presumant. Verum quia propter easdem iniurias divina, sicut accepimus, in vestra aecclesia siluerunt, cruces sternuntur, reliquiae sanctorum moventur, discretioni vestrae propensius commonendo consulimus et mandamus, ut, crucibus sanctisque reliquiis in statum pristinum restitutis, aecclesiastica celebrantes officia, divino cultui more solito insistatis, firmiter sperantes, quod plenariam vobis vindictam vita comite faciemus.

---

390. *Fridericus I rex Huxariensibus scribit, ne Folcwino et Widekindo promissam pecuniam solvant, utque destructas munitiones reficiant.* (M. 368.)

F(ridericus) Dei gratia Romanorum rex universis burgen- 1152 Iul.
sibus de Huxera gratiam suam et omne bonum.

1. Oct. 13.

1152 Iul. Iniurias a Folcwino et Widekindo vobis illatas satis audivimus; de quibus vita comite talem faciemus vindictam, quod alii similia committere non presument. Verum quia pecuniam eisdem malefactoribus, sicut accepimus, persolvere spopondistis, per presentia vobis scripta firmiter precipimus, ut nullam pecuniam eis persolvatis. Precipimus etiam, ut vallum et alias vestras munitiones, quae noviter destructae esse noscuntur, sub nostra tuitione reedificare pro viribus studeatis.

---

391. *Heinricus regiae curiae notarius Wibaldo scribit de Folcwino et Widekindo Wormatiam in ius vocatis deque rebus publicis.* (M. 370.)

1152 Iul. Domino suo W(ibaldo) venerabili Corbeiensi abbati H(einricus) regiae curiae notarius servitium servi.

Sicut parvitati meae iniunxistis, domno regi legationes et querimoniam vestram diligenter exposui. Qui, de iniuria et gravamine vestro non parum conturbatus, malefactores, videlicet F(olcwinum) et W(idekindum), in festo Bartholomei apostoli[1] Wormatie ad presentiam suam vocat, ut districto iudicio iniuriam vobis et aecclesiae Corbeiensi illatam expostulet. Ducem quoque Saxoniae intime rogat, ut plenariam iusticiam de predictis malefactoribus faciat. Corbeiensi quoque aecclesiae et burgensibus de Huxera, sicut mihi insinuastis, scribit et mandat[2].

De statu vero curiae sciatis, quod Bavenbergensis[3], a domno papa reversus[4], prospera nunciavit. Set laboris sui satis magnam mercedem quesivit, abatiam scilicet de Altha[5]; Bavenbergensi aecclesiae a domno rege contraditam. Althenses vero huic verbo cum magna indignatione contradicunt. Domnus rex nec contra Ungaros nec versus Arelatum hoc anno expeditionem movebit.

Cardinalem a latere domni papae ad nos directum expectamus.

1. Aug. 24. 2. V. epp. 389 et 390 supra. 3. episcopus Eberhardus. 4. ad curiam Ratisbonensem die 29 Iunii habitam; v. Otton. Frising. Vit. Friderici L. II. c. 6. 5. inferiore. Cf. Regesta pont. Rom. n. 6649; et Hermannum De institutione monasterii Altahensis et annales Altahenses, quos edidi in Mon. Germ. SS. XVII. 372 et 383.

Transacta apud Ulmam curia, domnus rex Spiram procedet. 1152 Iul.
Ibi neptim suam[1], a rege Hispanorum[2] desponsatam et magnifice dotatam, in magno comitatu deferendam tradet.

---

392. *Moniales Ostermerenses Wibaldum rogant, ne decumas sibi concessas auferri patiatur.* (M. 363.)

Patri eximio ac Deo dignissimo Corbeiensi abbati domino 1152
W(ibaldo) speciales eius filiae in loco, qui dicitur Ostermere, a lippitudine Liae ad speciositatem Rachelis profitiendo transire.

Quanta sublimitatis vestrae amplitudinem deceat laudum magnificentia[a], si litteris assignare conemur, pro nostri sensus parvitate deficimus. Vestri tamen memoriam, nobis dulcissimam, super altare incensi orationum nostrarum iugiter ignis adolebit: et ut paternae dignationi vestrae, quam nobis licet indignis hactenus in omnibus negociis nostris pie exhibuistis, superhabundans remunerator occurrat et serenitatis vestrae audientiam pauperum suorum querelis Christus indulgeat. Proinde, pater sanctissime, ad vos tamquam ad fontem misericordiae sitienter[b] exestuans nostra tendit oratio, ut causas negocii nostri, prout Spiritus sanctus pectori vestro dictaverit, plenarie discutiendo terminetis. Notum ergo facimus nobilitati vestrae, immo lacrimabiliter conquerimur mellifluae paternitati vestrae, quia ministeriales vestri vehementer nos infestant pro decima, quam, divina nobis annuente clementia, vestra concessit providentia, ac infringere et adnichilare, quae vestra auctoritate et consilio stabilita sunt, volunt et omnimodis auferre conantur, nisi á vestra dignitate commoneantur. Hanc igitur, domine reverentissime, tam ineffabilis doloris iniuriam vestraeque personae, quia ipse in causa fuistis, contumeliam per nos effugere non valemus, nisi vestra compassione fretae fuerimus. Quapropter, ó pium solamen miseriarum nostrarum, ó spes nostra post Dominum, licet corpore absentes, spiritu tamen presentes, toto cordis ac mentis

a. magnificentiā *c.* b. scienter *cod.*

1. Richildim, filiam Wladislai II ducis Poloniae et Agnetis sororis germanae Conradi III regis. 2. Alfonso II, rege Castiliae.

1152 affectu ad sinum paternae miserationis vestrae confugimus, pedibus sanctitatis vestrae humiliter provolutae, suppliciter et contritione spiritus nostri clementiam vestram obsecrantes, quatinus causa Dei et domini nostri archiepiscopi, qui nos clementiae vestrae perintime commendavit, litteras vestras ad episcopum Patherburnensem[1] dirigatis eumque rogetis, ut sua auctoritate confirmet, ne nos ulterius infestent, et quae iure possidemus, inconvulsa permaneant. Valete. Patrem nostrum karissimum sanctitati vestrae perintime commendamus, et ut ei in omnibus angustiis suis condescendatis, obnixe rogamus.

---

393. *Wibaldus Eugenio III papae Sifridum abbatem Ullesheimensem, ab Hermanno episcopo Verdensi expulsum, commendat.* (M. 364.)

1152 Reverendo in Christo patri suo et domino E(ugenio) sanctae Romanae aecclesiae summo pontifici frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Lator presentium, Corbeiensis aecclesiae filius, noster in Domino collega et confrater Sifridus abbas, assumptus fuit de monasterio Corbeiensi in prelationem abbatiae de Ullesheim[2]; quam etiam amministravit iam annis plus quam duodecim cum disciplina et augmento sui ordinis et rerum temporalium incremento, ita ut testimonium haberet ab his etiam, qui foris sunt. Hunc domnus H(ermannus) Ferdensis episcopus, in cuius parrochia idem monasterium consistit, sine vocatione et sine audientia, sine iuditio, non convictum, non confessum, de abbatia sua expulit et omnibus monasterii rebus plus quam per anni spacium iam spoliavit. Pro qua re non solum á nobis verum etiam á reverendis confratribus nostris, totius fere Saxoniae abbatibus, frequenter et officiose commonitus, nec restituere nec ordine canonico tractare ipsum confratrem nostrum voluit. Insuper ad intolerabilis contumeliae cumulum quosdam pseudomonachos, quos predictus abbas propter enormitatem vitae suae de monasterio

1. Bernhardum. 2. Ueltzen.

proiecerat, in illam aecclesiam malignantium tamquam in sentinam recollegit et, quicquid improbi et irati et sese ulcisci cupientes confingere in famam abbatis potuerunt, conscripsit et dispersit. Pedibus itaque vestrae celsitudinis animo advoluti cum universis fratribus nostris, supplices preces effundimus, ut venientem ad vestram clementiam predictum abbatem, virum utique honestum et litteratum, in mansuetudine bonitatis vestrae suscipiatis et, exauditum in necessitate sua, in plenitudine dignitatis suae litteris et mandatis auctoritatis vestrae per aliquem fidelem legatum vestrum restituatis. 1152

---

394. *Wibaldus A. abbati de Monte, quod Sifridum abbatem Hullesheimensem benigne receperit, gratias agit.* (M. 369.)

Reverendo in Christo patri et domino A. venerabili abbati de Monte frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, salutem in Domino et fraternae karitatis indissolubile vinculum. 1152

Multiplices gratiarum actiones vestrae in Christo dilectae fraternitati debemus, pro eo quod karissimum fratrem nostrum et in Domino collegam Sifridum, venerabilem abbatem de Hulleshem, venientem ad vos in tribulationibus et angustiis suis benigne suscepistis, et pii consolatoris affectum, quantum in vobis fuit, ei exhibuistis, et contumeliam, quae ordini nostro in persona eius irrogata est, debita compassione doluistis. Et nos ergo contemptam in eo iustitiam plurimum dolemus, tum pro totius monastici ordinis generali abiectione tum pro Corbeiensis aecclesiae, cuius ipse filius est et professus, speciali confusione. Hanc autem violentiam personae eius irrogatam in auribus vestrae sanctitatis et omnium fratrum, venerabilium scilicet coabbatum nostrorum nec non universorum, qui in sancta religione consistunt, cum lamentabili et affectuosa querimonia proclamamus: quod sine vocatione, sine iudicio, sine audientia, sine proprii oris confessione, dignitate et rebus abbatiae suae privatus est, neque per nostram supplicationem aut Corbeiensis aecclesiae seu alicuius ordinis aut dignitatis intercessionem post hoc factum

1152 obtinere potuit, ut in iuditium vocaretur et causa eius canonico ordine tractaretur. Huius igitur illatae sibi iniusticiae testimonium ei apud domnum papam et sanctam Romanam aecclesiam perhibemus[1], et quantum in nobis est, querimoniae eius, ubicunque indiguerit, ex debito officii nostri non deerimus; hoc á vestra paternitate obnixe efflagitantes, ut, quemadmodum hactenus fecistis, solatium vestrum ipsi clementer impendatis, ita videlicet, ut causam eius sanctis patribus in regione, quae circa vos est, notam faciatis et eos ad compatiendum afflictioni ipsius[a] et ad sublevandum eum tam per litteras testimonii ipsorum quam per alia humanitatis subsidia monitis et cohortationibus vestris studiose provocetis. Specialiter autem karissimo seniori nostro et in Christo fratri Ekberto, venerabili abbati de Huiusburc, cuius religionis sinceritatem vera in Domino karitate amplectimur, hunc pauperem nostrum deiectum et humiliatum commendamus; et, ut vicem Christi in causa eius doleat atque, in quantum potest, deiectionem eius consoletur, cum omni devotione supplicamus.

---

395. *Wibaldus Eugenio III papae de abbatum S. Laurentii et S. Egidii Leodiensium controversia significat.* (M. 371.)

1152 Reverentissimo patri suo et domino E(ugenio) sanctae Romanae aecclesiae summo pontifici frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, tam devotam quam debitam totius dilectionis et obedientiae plenitudinem.

De controversia, quae est inter abbatem monasterii sancti Laurentii in suburbio civitatis Leodiensis et abbatem de Monte publico, celsitudini vestrae ea in his litteris suggerere studebimus, quae super his in veritate didicimus ante annos ferme triginta septem[2], cum essemus pueri sub scolari disciplina in predicta civitate constituti. Non quod, ad consilium vel actionem talium rerum admissi, huiusmodi conventiones seu pactiones inspicere in testimonium rogaremur; set quod fama inter clerum

a. ei9psi9 *c.*

1. V. cp. 393 supra p. 524. 2. i. e. anno 1115.

et scolares collationes vulgabat, qualiter inter predictos abbates 1152
fuerat contractum, nobis ex celebri relatione non poterat esse omnino ignotum. Aecclesiam beati Egidii, quae est in Monte publico prenominatae civitatis, Berengerus abbas de monasterio sancti Laurentii dedit cuidam Gerrico regulari canonico cum quibusdam fratribus eiusdem professionis ad inhabitandum et amplificandum secundum ordinem beati Augustini, ea scilicet conditionis ratione: ut, si prenominatus locus eo usque per divinam largitatem crescendo proficeret, quod pastorem sibi fratres regulariter deberent eligere, idem electus corporalem investituram a predicto abbate susciperet, á quo etiam ad suscipiendam episcopalem benedictionem presentaretur; hac constitutione per omnes successiones valitura. Necdum in eis partibus terrae consuetudo processerat, ut canonici, qui regulares dicuntur, abbates crearent; nomine prepositorum in prelationis offitio contenti. Quod vero abbates ab abbatibus ordinari possint et soleant, auctoritate sacrae regulae beati Benedicti didicimus, ubi dicit[1]: „per ordinationem prepositi scandala sepius oriri, maxime in illis locis, ubi ab eodem sacerdote vel ab eis abbatibus, qui abbatem ordinant, ab ipsis etiam prepositus ordinatur". Superest usque hodie unus de primis habitatoribus eiusdem loci, et ipse primus abbas[2], vir religiosus ac timens Deum; qui, iam provectus in senectute bona et quasi in labro sepulchri positus, prescriptas conditiones coram tota Leodiensi aecclesia confitetur.

Verumtamen quidam ex predicto loco regulares á felicis memoriae papa Innocentio privilegium obtinuerunt, in quo prerogativa abbatis Sancti Laurentii reticetur. Simili fortasse simplicitatis forma, qua in eodem privilegio circa Stabulensem aecclesiam et nos usi sunt: quandoquidem possessionem nostram, aecclesiam scilicet de Heran, quae est iuris Stabulensis aecclesiae et quam[a] sub certae pensionis canone iure locationis obtinuerunt, inter proprios aecclesiae fundos asscribi fecerunt.

a. quam *addidi.*

1. Regula S. Benedicti c. 65 (ap. Holstenium, Cod. regularum II. 37).
2. Azo.

1152 Siquidem ante annos sedecim[1] nos, miserati paupertatem predictae aecclesiae et fratrum, quos in Domino diligebamus, prenominatam aecclesiam de Heran cum decimatione, quae Stabulensibus fratribus pertinet, eidem abbati, qui nunc superest, concessimus[2], et eum dono nostro investivimus, ut aecclesiae Stabulensi inde per singulos annos tres marcas et unum fertonem persolveret; quod etiam usque nunc diligenter observatum est. Set quia in eodem privilegio, quod modo primum rescivimus, fraudem aecclesiae Stabulensi, sicut predictum est, fecerunt, pactum, quod contractum fuerat, propter dolum malum, qui intervenit, a parte Stabulensis aecclesiae discissum est; et privilegium, quod acceperant, infirmandum est á vestra censura et abolendum.

Porro de innocentia abbatis monasterii sancti Laurentii nichil vestrae discretioni dubitandum fore credimus, cum in eodem monasterio, cui nunc Deo auctore preest, a parvulo sit non solum in regularibus set etiam in liberalibus disciplinis adprime eruditus; qui etiam predictis conventionibus interfuit; et nunc in lege Dei sui die ac nocte meditatur et horam vocationis suae lampade accensa expectat. Quem ut diligere et honorare dignemini, devote supplicamus.

---

396. *Wibaldus Eugenio III papae de prioribus suis ad eum litteris scribit. De Friderico rege. Has litteras perferentem commendat.* (M. 375.)

1152 Dilectissimo in Christo patri suo et domino E(ugenio) uni et universali papae frater W(ibaldus) Dei gratia et vestra id, quod est in aecclesia catholica, se ipsum et sua universa.

Litterae nostrae, quas post ordinationem domini nostri novi regis ad vestram celsitudinem scripsimus[3], ordine prepostero perlatae sunt. Siquidem illae, quae priores scriptae fuerunt et fratri Franconi ad perferendum traditae, cum crederemus eum mox ad vestram beatitudinem reversurum, posteriores presentatae sunt.

1. i. e. anno 1136. 2. V. tabulam a. 1136 datam ap. Martene Coll. II. 95. 3. V. ep. 375 supra p. 503.

Nam secundas, quas scripsimus, vestrae magnitudini prius apportaverat magister Baldricus Treverensis[1]. Et nunc quidem suspenso ac dubio aliquantulum animo scriptitamus propter legatum vestrum, quem venire audivimus[2] set pervenientem nondum accepimus, ut post auditum ex ipso beneplacitum vestrum, tamquam voluntarii servi vestri ad omnem nutum vestrum obedientes et parati, de mandatis vestris exequendis certiora quedam excellentiae vestrae intimaremus. 1152

Enimvero, si regnum nostrum á suis intestinis ac perniciosissimis motibus cessare aliquando posset, nichil esset claritati vestrae dubitandum, quin sacrosancta mater nostra Romana aecclesia pristinae dignitatis decorem per virtutem principis nostri[3] posset recipere. Atque utinam, bone Iesu, qui veraciter dixisti: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua*[4], etiam cum Patre, quem rogas, largiri digneris: ut humana defensione non egeat[5], set tuo tantum adiutorio et abstrahatur á noxiis et ad salutaria dirigatur. Durum est enim, eos servire, quos tu in altissimo imperii culmine dignatus es collocare. Set haec hactenus. Nam sapientia vestra a Deo illuminata et nos intelliget[a] et plurima prudenter disponere consuevit. Scribemus apertius et prolixius, cum ex legato vestro, quid opus sit facto, audierimus.

De causa latoris presentium pedes sanctitatis vestrae deosculamur, ut eum contra presumptionem laicorum solidare dignemini, ne glorientur, se hereditate sanctuarium Dei possidere; quod etiam per successionem, ordinando videlicet in aecclesia filios predecessorum, festinant profanare.

---

397. *Wibaldus Hillino archiepiscopo Treverensi dignitatis accessionem gratulatur. Suos commendat.* (M. 377.)

Reverendo patri suo et domino H(illino) sanctae Treverensis aecclesiae venerabili archiepiscopo frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium. 1152

a. intellig̅. *c.*

1. de quo cf. ep. 91 supra p. 164 n. 2. 2. V. ep. 391 supra p. 522. 3. Friderici regis. 4. Luc. 22, 32. 5. Suspirium hoc clare loquitur.

1152 Confidimus de vestrae benignitatis eruditione, quod familiaris caritas, quae hactenus inter nos vicissitudine obsequiorum succreverat, propter celsitudinis vestrae provectus inminui non debeat: quoniam, si experiéntiae regulam tenemus, quam sub prelationis sarcina in labore hominum conversati et cum hominibus flagellati[1] iam antea didicimus, tanto erunt sollertiae vestrae viri fidei ac constantie, qui vos non vestra diligant, cariores, quanto possunt in tota generis humani multitudine inveniri rariores. In quorum paucitate nos, qui nec fallere debemus nec falli volumus, integro benivolentiae studio annumerati, plurimum in Domino gratulamur de tam gloriosa personae vestre promotione; cui á propitia divinitate concessum est, ut antiquissimae ac nobilissimae civitati, quae totius Galliae Belgicae caput ac metropolis esse dinoscitur, possitis tam prodesse quam preesse. Ad vestrae igitur dignitatis suffragium prompta devotione offerimus, quicquid illud est, quod in aecclesia sua Deus nos esse vel dici vel posse voluit; optantes, ut absque prosperitatis vestrae detrimento vobis oportunum fiat, quo dilectionis nostrae ac fidei evidens experimentum capiatis. Cum vero á partibus Saxoniae versus Lotharingiam proxime retransire poterimus, etiam corporali presentia vestram beatitudinem visitare et salutare desideramus. Interim commendamus dulcedini vestrae fratres nostros Corbeienses, qui sunt apud Liciacum, et omnes res nostras, tam Corbeiensis monasterii quam Stabulensis, quae in vestro episcopatu sitae sunt, quatinus pro nostrae dilectionis intuitu in vestrae protectionis defensionem eas assumere dignemini.

---

398. *Bernhardus episcopus Paderbornensis a Wibaldo petit, ut Heinricum priorem Corbeiensem monasterio S. Mariae Sualenbergensi abbatem concedat.* (M. 379.)

1152 Amico suo dilecto in Christo domino W(ibaldo) reverendo sanctae Corbeiensis ecclesie abbati B(ernhardus) Patherburnensis humilis minister orationis et servitutis suae fidelem exibitionem.

Fratres de monasterio sanctae Mariae[2], orbati suo abbate[3] —

1. Ps. 72, 5. 2. Sualenbergensis (Marienmünster). 3. Conrado. V. ep. 399 infra.

post multas ammonitiones et preces nostras, scilicet ne gregem 1152
sibi commissum desereret, heremiticae tamen vitae labores aggresso, ut ipse tunc asserebat se habere in animo — venerabilem fratrem domnum H(einricum), monasterii vestri priorem, abbatem sibi unanimiter elegerunt. Vestram itaque paternitatem intime oramus et exoratam esse toto animi desiderio cupimus, quatinus ipsum eis clementer concedatis, novelle plantationis nostre notam vobis necessitatem benigna miseratione attendentes. Qui si vestra permissione propriaque benignitate oblati oneris cure se summittere voluerit, in omnibus eum consolari eique assistere et fideliter opitulari studebimus.

---

399. *Wibaldus Bernhardo episcopo Paderbornensi rescribit, quare Heinricus prior Corbeiensis monasterio S. Mariae abbas tribuendus non sit.* (M. 380.)

Reverendo in Christo patri et domino B(ernhardo) sanctae 1152
Patherburnensis aecclesiae venerabili episcopo frater W(ibaldus) Dei gratia Corbeiensis aecclesiae abbas orationum et obsequii intimam devotionem.

Fratres quidam de monasterio sanctae Mariae ad nos cum litteris vestrae sanctitatis[1] venerunt, quae hoc obnixe postulabant, ut karissimum fratrem nostrum Heinricum, aecclesiae nostrae priorem, quem idem fratres elegerunt, eis in abbatem concederemus. Ad quam peticionem ex consilio capituli nostri vestrae discretioni respondemus primum, quia idoneas causas non videmus, cur dilectus frater noster Counradus, qui eidem monasterio prefuit, commissi sibi gregis curam deseruerit; qui propter heremiticam vitam fratres suos, quos custodiendos susceperat, deserere[a] non debuit, inter quos aliqui erant, quibus prodesse potuit; quod manifeste beatus papa Gregorius in libris dialogorum ostendit: *Ibi* inquiens *adunati equanimiter portandi sunt mali, ubi inveniuntur aliqui, qui adiuventur boni.* Alia causa est, quare predictorum fratrum electioni assensum prebere non

a. *epistolae huius initium huc usque bis legitur in cod.*
1. ep. 398 supra.

1152 possumus. Ordo monasterii nostri habet immo omnia monasteria nostri ordinis hanc observantiam tenent, ut, si quando aliquis fratrum nostrorum abbas ad aliud monasterium eligendus est, prius a nobis et á fratribus nostris quam ab extraneis eligatur; nec aliqua nobis persona inter fratres nostros in abbatem ab alio monasterio vel á quolibet hominum ex nomine designetur, set assumptio fratris nostri cuiuslibet in nostro arbitrio et fratrum suorum electione relinquatur[a]; presertim cum vultus pecoris nostri melius á nobis et a semet ipsis quam ab extraneis agnoscatur, et ideo convenientius á nobis et a suis domesticis, qui dignus est, eligatur. Hic ordo et haec[b] observantia promotionis, quia semper in monasterio nostro cum magna diligentia et ratione observatus fuit, nostro tempore nequaquam immutari poterit.

---

400. *Wibaldus Arnoldo II archiepiscopo Coloniensi, victoria potito, gratulatur. Scribit, Mindae quid egerit die 25 Iulii. Heinrico episcopo Mindensi favet.* (M. 365.)

1152 paullo post Iul. 25 Reverendo in Christo patri suo et domino A(rnoldo) sanctae Coloniensis aecclesiae venerabili archiepiscopo frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Laetati sumus in his, quae dicta sunt nobis, et in domum Domini letantes et gratias agentes ivimus[1] pro eo, quod gloriosum de tyrannis et latronibus triumphum reportastis; qui ubique locorum ita peccatis facientibus nunc excreverunt, ut nulla aecclesia, nullus omnino locus sacer aut laicus ab illorum possit infestatione defendi. Quam quidem victoriam vestrae beatitudini divina potentia in multos annos concedat.

Vestrae autem celsitudini notum esse volumus, quod in trans-
Iul. 25 acto proxime beati Iacobi apostoli festo Mindam rogatu episcopi[2] et peticione cleri descenderamus ad compacandas et componendas dissensiones quasdam, quibus episcopi et cleri fuerat perturbata concordia. Et hae quidem causae non erant criminales aut per-

a. relinquetur *c.* b. hic *cod.*

1. Cf. Ps. 121, 1. 2. Heinrici.

emptoriae, set potius de fundis: videlicet de molendinis, de 1152
paludibus, de compascuis, de hereditatibus et patrimoniis; pro Iul. 25
quibus adversum se litigabant villici episcopi et villici canonicorum et quidam clerici contra quosdam laicos. Erat haec commotio paulo inflatior adversus episcopum, pro eo quod in concilio Coloniensi accusationem cum gravi repulsa sustinuerat[1], nullo tamen, quantum perscrutari potuimus, in tantum progrediente, ut illius cecati[2] verbo et accusationi, vel etiam querelae Walderi, ullo patrocinii vel testimonii modo vellet assistere.

Siquidem in eadem sollempnitatis celebratione predictus episcopus publice in pulpito aecclesiae denunciavit excommunicatos esse, et anathematis sententiam protulit in eos, qui clericum cecaverant vel operam consilii vel auxilii in hoc malefitio adhibuerant.

Omnibus itaque ex divino beneficio in concordiam revocatis, temptavimus etiam Waldero illi pertinatiam suam in episcopi vexatione dissuadere; set et ipse multis audientibus asseruit, quod fide data esset á vobis prohibitus, ne pacem cum ipso reformaret. Quod nos, qui nobilitatem vestram et mentis excellentiam iam dudum novimus, nequaquam credere potuimus, ut suffraganeo vestro, qui metropoli devotus semper militavit et personam vestram pre omnibus dilexit et honoravit, hanc velletis inferre contumeliam, ut causam ipsius, quam ex iudicio terminare propter importunam accusatorum insolentiam non potuistis, per concordiam finiri non pateremini. Novit enim eruditio vestra, quorum consilio quave disciplina idem adversarii episcopi iuditium vestrum, quod suffraganeorum et aecclesiae vestrae testimonio et assensu erat subnixum, recusare presumpserunt, quo ordine quibusve induciis datis appellaverunt; sicut ex transscriptis eorum libellis considerare potest vestra discretio, retentis apud nos eorum exemplaribus.

Et licet, ut predictum est, plane sciamus, animi vestri altitudinem in tam viles et abiectas meditationes nequaquam decidere potuisse, ut cum iam dicto Waldero tam ęnormes condi-

1. V. ep. 386 supra p. 518. 2. Fortlivi.

1152 Iul. 25 tiones inire deberetis, pro familiari tamen et intima devotione, qua sinceritatem vestram longo iam tempore diligimus, ammonere coronam vestram non dubitavimus, ut apud domnum Mindensem et aecclesiam ipsius ab hac suspicione gloriam vestram liberare non dedignemini.

Auxit enim metum episcopo litterarum vestrarum, quae domno papae pro eodem negotio scriptae sunt[1], inspecta series, quae pro ipsius innocentia nichil agere videntur. Quas á vobis scriptas sive perlectas omnino negavimus; ob hoc scilicet, quod intelligentia vestra bene notavit, hoc esse inferioris iudicis officium: ut, cum ab ipso ad superiorem fuerit appellatum, ita studeat actionis ordinem enarrare, ut equitate servata neutri parti videatur favorem inclinasse. Quod in litteris illis nequaquam factum esse cognoscetis. —

Ego Walderus, Dei gratia diaconus et sanctae Mindensis aecclesiae qualiscumque canonicus, papam appello, ipsius tutelae me et mea committens; ad quem te H(einricum) Mindensem episcopum invito, pro violenta subreptione decaniae meae et pro aliis, quae habeo contra te, responsurum Nonis Septembris.

Ego Vortlievus subdiaconus appello te H(einricum) Mindensem episcopum ad presentiam domini papae de sacrilegio, eo quod tuo consilio et iussu exoculatus sim et plagatus. Diem statuo Kal. Octobris.

Huiusmodi appellationes immo vero confusiones, effractis foribus episcopi, non absque sanguinis effusione in pavimento sunt proiectae, et sicut episcopo non presentatae, ita nec ab ipso visae. Quas quidem nos a manu decani aecclesiae beati Martini in Minda eadem die suscepimus.

---

401. *Eugenius III papa capitulo Maydeburgensi praecipit, ut Wichmanno episcopo Cicensi, ecclesiae Magdeburgensis invasori, resistant.* (M. 381.)

1152 Aug. 1 Eugenius episcopus[a] servus servorum Dei universo capitulo Magedeburgensis aecclesiae salutem et apostolicam benedictionem.

a. episcopus *om. cod.*

1. ep. 386 supra p. 518.

Pervenit ad aures nostras, quod post electionem, quam[a] de persona dilecti filii nostri G(erhardi) prepositi vestri omnes, preter septem, consilio religiosorum secundum Deum fecistis, Cicensis episcopus[1], neglecta sui ordinis honestate, contra iusticiam et constitutionem sanctorum patrum se in vestra aecclesia regio favore ingerere nisus sit; et, sicut accepimus, ab ipso principe investituram illicite suscipere minime formidavit. Quod quam pravum et indignum sit, qui zelo rectitudinis utitur, non ignorat. Quia ergo pati nec possumus nec debemus, quod libertas aecclesiae ancilletur, vigor aecclesiasticus confundatur et sanctorum patrum constitutiones irritentur, per presentia vobis scripta mandamus atque precipimus, quatenus, si predictus episcopus in aecclesia vestra se ingerere attemptaverit, ei assistere seu favere nullatenus presumatis, set ab eo tamquam ab invasore penitus caveatis, scituri, quod, qui aliter presumpserit, officii sui et beneficii procul dubio iacturam incurret. Data Signie Kal. Augusti. 1152 Aug. 1

---

402. *Eugenius III papa episcopos Germaniae reprehendit, quod Wichmanno de sede Cicensi ad Magdeburgensem transferendo faveant. Hortatur, moneant Fridericum I regem, ut hoc incepto desistat*[b]. (M. 382.)

Eugenius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus, E(berhardo)[c] Salzburgensi, A(rtwico) Bremensi[d] et Hi(llino) Trevirensi archiepiscopis, E(berhardo) Bambergensi[e], H(ermanno) Constantiensi, H(enrico) Ratisbonensi, O(ttoni) Frisingensi, C(onrado) Pataviensi, D(anieli) Pragensi, A(nselmo) Avelbergensi et B(urchardo) Egistadensi episcopis, salutem et apostolicam benedictionem. 1152 Aug. 17

Litteras, quas pro causa Madeburgensis aecclesiae vestra nobis prudentia delegavit, debita benignitate suscepimus. In lectione autem et cognitione ipsarum stupore nimio et ammiratione repleti sumus, eo quod longe aliud in eis, quam vobis[f] ex

a. qua *cod.* b. *Haec epistola legitur etiam ap. Otton. Frising. Vit. Friderici L. II. c.* 8. c. F. *cod.* d. Brenensi *cod.* e. Hambergensi *cod.* f. *sequitur* ex vobis *in cod.*

1. Wichmannus.

1152 Aug. 17 officio pontificatus immineat, perspeximus contineri. Cum enim in aecclesiae vertice sitis ex divina providentia constituti, ut de medio eius, quae fuerint nociva, propellere, quae utilia, debeatis attento studio conservare, in causa ista, sicut ex suggestione litterarum vestrarum nobis innotuit, non[a] quid expediat aecclesiae Dei, quid sacrorum canonum sanctioni concordet, quid exinde á celesti arbitro comprobetur, set quid terrenis principibus placeat, attendistis. Et qui eorum animos á sua minus recta debuistis intentione deflectere atque ubi esset Domini via demonstrare, non persuasistis quod rectum est, nec stetistis murus pro domo Israel[1]; quin immo ipsis[b], ut ait propheta, parietem ediffficantibus, vos, quod sine grandi animi rancore vix dicimus, linivistis illum luto absque paleis[2]. Non sic sentiebat princeps apostolorum, qui ex fidei suae confessione, ut tocius aecclesiae fundamentum esset, accepit; set comminantibus seculi filiis et apostolis, si predicarent in nomine Iesu, mortis exterminium intentantibus, confisus de Domini virtute, respondit: *Oportet obedire Deo magis quam hominibus*[3]. Vos autem, ne a terrenis videamini principibus dissentire, illi causae vestrum favorem inpenditis, cui et aecclesiasticae auctoritas constitutionis et supernae voluntatis examen pro certo creditur obviare. Cum enim translationes episcoporum sine manifestae utilitatis et necessitatis indicio divinae legis oraculum fieri non permittat, cum etiam multo amplior quam in aliis electionibus cleri et populi eas debeat prevenire concordia, in facienda translatione de venerabili fratre nostro C(uicmanno) Cicensi episcopo nichil horum est set solus favor principis exspectatus, et nec inspecta necessitate illius aecclesiae nec considerata utilitate personae, clero nolente, immo ut dicitur ex maxima parte reclamante, in Madeburgensem eum dicitis aecclesiam transplantandum. Super quo tanto amplius ammiramur, quanto, persona illa cuius gravitatis sit atque scientiae, ab anteactis agnovimus ac perinde, quantum aecclesiae illi sit utilis, non penitus ignoramus. Quoniam igitur, quicumque

a. non *om. cod.* b. ipsius *c.*

1. Ezech. 13, 5. 2. Ezech. 13, 10. 3. Act. 5, 29.

temporalis aurae flatibus agitentur, nos, in illius petre soliditate 1152 Aug. 17
fundati, quae in fundamento meruit aecclesiae collocari, sicut non debemus ita nec volumus omni vento circumferri doctrinae aut á sacrorum canonum rectitudine impulsu aliquo deviare, per presentia vobis scripta mandamus, quatenus causae isti favorem ulterius non prestetis, et apud karissimum filium nostrum F(ridericum), quem Deus hoc tempore pro servanda libertate aecclesiae in eminentiam regni evexit, efficere vestris exhortationibus studeatis, ut et ipse á sua super hoc intentione desistat et contra Deum et contra sacros ordines, contra regiae dignitatis officium eidem causae favorem suum non ulterius impendat, set aecclesiae Madeburgensi, sicut et aliis aecclesiis regni á Deo sibi commissi, liberam facultatem quem voluerit secundum Deum eligendi relinquat, et electionem ipsam postmodum favore suo, sicut decet maiestatem regiam, prosequatur. Nos vero, si, quod[a] de supra dicto fratre nostro facere nititur, videremus ratione fulciri, nec voluntati eius nec postulationi vestrae duceremus aliquatenus obviandum; contra Deum autem et sacrorum canonum sanctiones nulli omnino peticioni possumus prebere consensum. Data Signiae 16 Kal. Septembris.

---

403. *Eugenius III papa Wibaldo negotium dat, ut Adelgotum episcopum Curiensem Friderico I regi commendet; curiae Ulmensis decreto resistat; regi nuntiet, Romanos praeter senatores et consules etiam imperatorem creaturos esse.* (M. 383.)

Eugenius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Cor- 1152 Sept. 20
beiensi abbati salutem et apostolicam benedictionem.

De quorum pura devotione absque dubitatione confidimus, eis confidenter committimus, quod digno cupimus effectui mancipari. Inde est, quod caritati tuae causam venerabilis fratris nostri A(delgoti) Curiensis episcopi attentius duximus commendandam: quatenus — tuo et fratrum nostrorum episcoporum, qui ad karissimi filii nostri F(riderici) Romanorum regis curiam convenerint[b], consilio et auxilio fretus — nec inhoneste verbis

a. quid *c.* b. convenerī *c.*

1152 Sept. 20 nec facto, sicut alia vice factum est, possit impune tractari vel aecclesia sua iuxta pravorum desideria debita iusticia defraudari. Nec putes tu in hac causa quasi in aliena dissimulandum, quia, sicut ait poeta:

Res tua nunc agitur, paries cum proximus ardet.

Similis enim causa iam tibi peperit vel in proximo pariet inimicos.

Illud autem, quod in curia Ulme habita[1] malitiose in aecclesiarum destructionem noviter est á laicis introductum, nequaquam silentio pretereundum estimes: quod, qui pro rapinis et incendiis aecclesiasticis bonis illatis excommunicationi subduntur, novo iudicio[a] excommunicatos dedicant, nisi prius in laicorum iudicio damnationis sententia feriantur. Quod si forte tam tu quam fratres nostri episcopi putaveritis sustinendum, hoc procul dubio inde proveniet, ut nulli episcoporum in partibus illis liceat contra cuiuslibet facinoris reum disciplinam aecclesiasticam exercere. Disciplina enim cessante, peribit religio christiana; religione cessante, peribit et salus animarum. Eapropter, karissime fili, tam super hoc quam super aliis, cum ad curias convenitis, quae contra honorem Dei, contra aecclesiae salutarem vigorem, contra honestatem regni, pravorum malitiam moliri videritis[b], viriliter et unanimiter resistatis, ut vestro prudenti studio et labore malitiam sapientia vincat, iniquitatem iustitia superet et aecclesiae Dei ac regni status in suo decore incolumis conservetur.

Ad hec sinceritati tuae quaedam notificamus, quae, faciente Ar(noldo) heretico, rusticana quedam turba absque nobilium et maiorum scientia nuper est in Urbe molita. Circiter enim duo milia in unum sunt secretius coniurati, et in proximis Kalendis Novembris centum perpetuos sectatores[c] malorum operum et duos consules — alter quorum infra Urbem, alter extra, illorum centum consilio rei publicae statum disponant, immo potius rodant — unum autem, quem volunt imperatorem dicere, creare disponunt; quem illis centum, duobus consulibus et omni populo Romano

a. non *excidisse videtur.* b. videris *c.* c. *sic cogitate pro* senatores.

1. spatio dierum 28 Iulii et 1 Augusti.

sperant — quod debeat mortifere — imperare. Quod quia contra coronam regni et karissimi filii nostri F(riderici) Romanorum regis honorem attemptare presumunt, eidem per te volumus secretius nuntiari, ut, super hoc maturo consilio habito, quid facto opus sit, provideat sapienter. Data Signiae 12 Kal. Octubris. 1152 Sept. 20

---

404. *Wezel Friderico I regi gratulatur. Contra clericorum dominationem verba facit. Nuntios quosdam Romam mitti vult.* (M. 384.)

Clarissimo Dei gratia F(riderico) Wezel, ad summa animae et corporis leta undique proficere. 1152

Inmensa laeticia, quod gens vestra vos sibi in regem elegerit, moveor. Ceterum, quod consilio clericorum et monachorum, quorum doctrina divina et humana confusa sunt, sacrosanctam Urbem, dominam mundi, creatricem et matrem omnium imperatorum, super hoc sicut deberetis non consuluistis, et eius confirmationem, per quam omnes et sine qua nulli umquam principum imperaverunt, non requisistis, nec ei sicut filius matri, si tamen filius et minister eius esse proposuistis, non scripsistis, vehementer doleo. Quis enim stabili ordine proficere valeat, nisi quem Rebecca dilexit et promovit? Licet quippe pater Ysaac vellet et niteretur Esau benedictione preferre, Iacob, matre ipsum vocante, et consilium[a] quasi insulsum ipso Iacob timente, quia Esau moram in venando fecit, benedictionem et dominium, alio[b] illo dolente, obtinuit. Et ut ad rem perveniam ipsamque vobis plenius exponam, quod dico, diligentius attendatis.

Vocatio vestrorum olim predecessorum et vestra adhuc a cecis, id est a Iulianistis, hereticis et apostatis clericis dico et falsis monachis suum ordinem prevaricantibus et contra euangelica apostolica et canonica statuta dominantibus et, legibus tam humanis quam divinis reclamantibus, aecclesiam Dei et secularia disturbantibus, facta est. Quod autem tales sint, ostendit beatus Petrus, cuius vicarios se esse mentiuntur, dicens: *Fugientes eius, quae in mundo est, concupiscentiae corruptionem, ministrate in*

a. matris *excidisse videtur.* b. alio *bis legitur in cod.*

1152 *fide virtutem, in virtute scientiam, in scientia abstinentiam, in abstinentia pacientiam, in pacientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis karitatem*[1]. Haec vobis superent[a]. Cui enim haec non presto sunt, cecus est et manu temptans. De quibus rursum idem apostolus dicit: *Erunt magistri mendaces*[2], *qui in avaricia de vobis negociabuntur*[3], *deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes vobiscum*[4], *oculos habentes plenos adulterio*[5], *per quos via veritatis blasphemabitur*[6], *hi sunt fontes sine aqua*[7]. Tales quomodo cum Petro dicere possunt: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te*[8], et iterum: *Argentum et aurum non est michi?*[9] Quomodo a Domino audiunt: *Vos estis lux mundi, vos estis sal terre?*[10] Quibus, quod sequitur, nimirum convenit: *Quodsi sal evanuerit, in quo salietur, ad nichilum valet, nisi quod conculcetur ab hominibus*[11] vel a porcis. Unde Iohannes: *Qui dicit, se credere in Christum, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare*[12]. Item: *Qui dicit, se nosse Deum, et mandata eius non custodit, mendax est et veritas in eo non est*[13]. Petro et vicariis Petri á Domino dicitur: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*[14]. Set qualiter ipse a Patre missus fuerit, exprimit dicens: *Si non fecero opera Patris, nolite credere mihi*[15]. Si Christo, qui peccatum non fecit, sine operibus credendum non fuit, quomodo istis, non solum male set etiam mala publice agentibus, est credendum? Unde dicitur: *Quomodo potestis loqui bona, cum sitis mali?* Non solum vero loqui non possunt bona, set nec credere; sicut ipse Dominus ait: *Quomodo potestis credere, gloriam ab invicem querentes?*[16] *nam fides sine operibus mortua est*[17]. Quomodo isti non solum[b] quibuslibet diviciis inhiantes, set qui divicias, quae toti mundo salutares extiterunt, per quarum utique usum pax tanta et talis per universum orbem fuit, quod filium Dei de sinu Patris in sinum

a. superet *c.* b. solum *addidi.*

1. 2 Petr. 1, 4—7. 2. 2 Petr. 2, 1. 3. 2 Petr. 2, 3. 4. 2 Petr. 2, 13. 5. 2 Petr. 2, 14. 6. 2 Petr. 2, 2. 7. 2 Petr. 2, 17. 8. Matth. 19, 27. 9. Act. 3, 6. 10. Matth. 5, 13. 14. 11. Matth. 5, 13. 12. 1 Ioh. 2, 6. 13. 1 Ioh. 2, 4. 14. Ioh. 20, 21. 15. Ioh. 10, 37. 16. Ioh. 5, 44. 17. Iacob. 2, 17.

matris deposuit, sua falsa doctrina luxuriose vivendo destruxerunt, possunt primum omnium illud ęuangelicae doctrinae mandatorum audire: *Beati pauperes spiritu*[1], cum ipsi nec effectu nec affectu sint pauperes? Hinc beatus Ieronimus: *Clericum negociatorem, vel ex inope divitem, vel ex ignobili gloriosum, quasi pestem fuge.* Quomodo isti, negociis secularibus incumbentes, primum omnium decretorum Romanorum pontificum, a beato Clemente in epistola sua prima[2] inductum set á beato Petro apostolo promulgatum[a], surdi auditores adimplent? Inter caetera siquidem, ubi Petrus Clementem ordinavit, ei iniunxit dicens: *Te quidem*[3] *oportet irreprehensibiliter vivere et summo studio niti, ut omnes huius vitae occupationes abicias, ne fideiussor existas, ne advocatus litium fias, neve in aliqua occupatione mundialis negocii prorsus inveniaris perplexus. Neque enim iudicem neque cognitorem secularium negociorum hodie te iussit ordinari Christus, ne, prefocatus presentibus hominum curis, non possis verbo Dei vacare. Haec, quae minus tibi congruere diximus, exhibeant sibi invicem laici, et te nemo occupet ab his studiis .....*[b] *sollicitudines seculares suscipere, ita unicuique laicorum peccatum esse*[c], *nisi invicem sibi, etiam in his, quae ad communis usum vitae pertinent, opera fideliter dederint; te vero securum facere ex his, quibus non debes instare, omnes communiter elaborent. Quodsi forte a semet ipsis hoc laici non intelligunt, per diacones edocendi sunt; et tibi solius aecclesiae sollicitudines relinquantur. Si enim mundialibus curis fueris occupatus, et te ipsum decipis et eos qui te audiunt. Non enim poteris, quae ad salutem pertinent, plenius distinguere; et ex eo fit, ut et tu deponaris et discipuli per ignorantiam pereant. Idcirco tu quidem ad*[d] *hoc solum vacato*[e], *ut sine intermissione doceas verbum Dei.* 1152

a. promulgatam *c.* b. *exciderunt verba haec:* per quae salus omnibus datur. Sicut enim tibi impietatis crimen est, neglectis verbi Dei studiis, — c. *sic pro* est. d. quod *c. pro* quidem ad. e. vocato *c.*

1. Matth. 5, 3. 2. Pseudo-Isidoriana. 3. „Te quidem — doceas verbum Dei" tracta sunt e Pseudo-Isidoriana epistola Clementis prima. V. Decretales Pseudo-Isidorianae ed. Hinschius p. 32.

1152 Mendacium vero illud et fabula heretica, in qua refertur, Constantinum Silvestro imperialia symoniacę concessisse, in Urbe ita detecta est, ut etiam mercennarii et mulierculae quoslibet etiam doctissimos super hoc concludant, et dictus[1] apostolicus[2] cum suis cardinalibus in civitate pre pudore apparere non audeat[a]. Siquidem sanctus Meliciades, sancti Silvestri predecessor, in decretis suis[3] Constantinum esse baptizatum asserit, dicens: *Cum inter turbines mundi succresceret aecclesia, ad eo usque pervenit, ut Romani principes ad fidem Christi et baptismi sacramenta concurrerent; de quibus vir relligiosissimus Constantinus primus fidem veritatis est adeptus.* Tripartita etiam hystoria, eum, antequam umquam ipse imperator civitatem intraverit, christianum fuisse, testatur.

Quae loquor, attendite. Esau, non domi vacans, elementa[b] matris et consilia ignorans, silvestria petens, á ceco vocatus, usque nunc caret promissis; Iacob vero, matri obediens, colli et manus nuda[4] domestico disciplinarum tegmine tegens, ea, quae cecus silvestri promisit, divino nutu subripuit. Imperatorem non silvestrem set legum peritum debere esse, testatur Iulianus[c] imperator in primo omnium legum dicto, dicens: *Imperatoriam maiestatem non solum armis decoratam set etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumque tempus, et bellorum et pacis, recte possit gubernari*[5]. Idem etiam, unde princeps Romanus imperare et leges condere habeat, paulo post ostendit; set et, quod principi placuit, legis habeat vigorem et quare, subinfert, cum populus ei et in eum omne suum imperium et potestatem concessit. Set cum imperium et omnis rei publicae dignitas sit Romanorum, et dum imperator sit Romanorum, non Romani imperatoris, quod sequatur considerantibus .....[d] Quae lex, quae ratio senatum populumque prohibet, creare imperatorem?

a. audeant *c.* b. *an* delenimenta? c. *sic pro* Iustinianus. d. patet *excidisse videtur.*

1. i. e. quem dicunt (der sogenannte). 2. Eugenius III; quem toto fere anno 1152 Signiae Albaeque fuisse, dieque 9 Decembris demum Romam reversum esse, docent quae edidi Regesta pont. Rom. p. 645—648. 3. Pseudo-Isidorianis. V. Decretales Ps.-Isid. ed. Hinschius p. 247. 248. 4. Cf. Genes. 27, 16. 5. Institut. Prooem.

Comitem Rodulfum de Ramesberch et comitem Oudelricum 1152
de Lencenburch et alios idoneos, scilicet Eberhardum de Bodemen, qui, assumptis peritis legum qui de iure imperii sciant, et audeant tractare, Romam quantocius poteritis mittere non dubitetis. Et ne aliquid novi ibi contra vos surgat, prevenire curate.

---

405. *Wibaldus Herimanno canonico Bonnensi eiusque nepti villicationem Castiniacensem tribuit.* (M. 376.)

W(ibaldus) Dei gratia Corbeiensis aecclesiae abbas dilecto 1152
fratri et amico suo Herimanno Bunnensis aecclesiae canonico Sept. 29
benedictionem et vitam usque in seculum.

Villicationem nostram de Castiniaco cum omnibus appendiciis suis fidei tuae committimus, sicut eam tenuit Luothowicus nepos tuus, hoc est secundum pacta et conditiones, quae a felicis memoriae predecessore nostro domno abbate Erchenberto[1] de eodem predio et villicatione sunt ordinatae et constitutae; ita videlicet, ut tu destructa reedifices et dilapsa restaures tam in domo indominicata quam in cellario et torculari et bovaria[2] et aliis tam edificiis quam clausuris. Post obitum quoque tuum concedimus eandem villicationem modo, quo supra dictum est, nepti tuae, prefati Loudowici filiae, sub hoc videlicet conditionis tenore: quod eadem puella aecclesiae Corbeiensi in iure ministerialium a dominis suis, quibus modo pertinet, attribuatur et transactetur absque nostro labore et expensa a presenti festivitate sancti Michahelis archangeli, quae est in anno dominicae incarnationis 1152 indictione prima, infra anni spacium[3], et quod predicta puella, quando ad nubiles annos pervenerit, non nisi nostra vel eius, qui nobis in abbatia Corbeiensi regulariter successerit, permissione nubat. Quodsi de prescriptis conditionibus aliquid a te vel ab eadem puella pretermissum aut violatum fuerit, predicta villicatione cum omni beneficio suo sine spe recuperationis de cetero carebitis. Si autem in solutione vini vel annonae vel nummorum seu vasorum vel aliarum pensionum

1. abbate Corbeiensi, 1106—1128. 2. bubili. 3. i. e. intervallo dierum 29 Sept. 1152 et 29 Sept. 1153.

1152 Sept. 29 statutis diebus negligentes fueritis, pro tali excessu vel iuditio familiae in Castiniaco vel iudicio ministerialium nostrorum in caminata[1] nostra Corbeie, utrumlibet horum nobis magis placuerit, respondebitis et in compositione duodecim solidos nummorum persolvetis. Quaecumque autem nepos tuus Loudowicus vel in pignore vel in beneficio de rebus iam nominatae curtis Castiniacae tam in agris quam in vineis vel etiam censu aut silva obligavit vel alienavit, iudicio curiae nostrae in irritum ducta sunt, et stare non posse post obitum villici adiudicata; quae vobis ita recolligenda committimus[a], ut, si infra huius anni[b] spacium non feceritis, á villicatione et toto pacto cadatis. Quod autem filiae quondam Loudowici villicationem post discessum tuum concessimus, non ex eo est, quod hereditariam ei successionem vel in villicatione vel in beneficio patris aliquid recognoscamus, cum hoc á nostris ministerialibus universaliter abiudicatum sit, set propter tuum et amicorum tuorum servitium ad hoc faciendum inclinati sumus.

---

406. *Wibaldus Bernhardum episcopum Paderbornensem hortatur, ut se a Folquini et Widikindi et aliorum iniuriis vindicet. Nuntiat, in curia Wirzeburgensi sibi concessum esse, ut Huxariae munitiones repararentur.* (M. 360.)

1152 Oct. ex. — Nov. in. Reverendo in Christo patri suo et domino B(ernhardo) sanctae Patherburnensis aecclesiae venerabili episcopo frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in ecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Confidimus de misericordia Dei et vestra benignitate, quod memoriae vestrae tenacius inhereat, quanta benivolentia paternitatem vestram ex longo tempore deleximus et quod quietem vestram nunquam perturbare studuimus; set et nos memoriter et iocunde recordamur, quod pari vicissitudine iugiter a vobis dilecti sumus. Novit autem discretio vestra, quam violenter et quam inhoneste propinqui vestri et homines tam vestri quam

a. commitimus *c.* b. anni *om. cod.*

1. camera.

nostri Folcquinus et Widekindus nos et aecclesiam Corbeiensem invaserint et quanta turpitudine oppidum et oppidanos nostros affecerint quantaque temeritate aecclesiam et loca consecrata violaverint, dum homines nostros, ad aecclesiam tamquam ad singulare refugium confugientes, in manu armata a sacris ędibus abstraxerint, et preter communem predam variae suppellectilis, quae difficile supputari potest, ad exsolvendas pro salute sua 253 marcas[a] miseros sub periculo captivitatis et mortis compulerunt. Quia vero has multiplices iniurias et graves diutius dissimulare non possumus, conquerimur vobis inter alia id, quod episcopalem respicit vindicationem, sacrae videlicet aecclesiae violationem. Et ut nobis tam de cognatis[b] quam de aliis parrochianis vestris aecclesiae violatoribus, quorum nomina vobis transmisimus[c], iustitiam tamquam de notorio[d] crimine faciatis tum pro karitate Dei tum pro reverentia domni papae, vos obnixe interpellamus. Cuius etiam geminas epistolas pro eadem causa, quas apud nos habemus, oportuno tempore vobis offeremus. Set et hoc nos volumus discretionem vestram scire[e], quod de reparandis munitionibus oppidi nostri in proxima curia, quae apud Wirzeburg[f] celebrata est[1], iudicium regni coram domno rege et universis principibus accepimus. Ad quod opus cum mareskalcum domni regis presentem habeamus, ut vestros ministeriales ab infestatione nostra prohibeatis, si forte domini illi iterum nos infestare voluerint, dilectionem vestram attente monendo rogamus. Quid itaque de nostra petitione estis facturus, ut nobis per litteras vestras et per presentem nuntium significare curetis, obsecramus. Ideo autem celerem vindictam de crimine notorio[d] expetimus, quia omnibus manifestum est et negari non potest, quod ecclesiam et sacrum cymiterium violaverint[g] et inde homines ad extorquendam supra taxatam pecuniam per violentiam extraxerint.

1152 Oct. ex. — Nov. in.

a. marcas *addiderunt Martene et Durand.* b. conatis *c.* c. tranmisimus *c.* d. notario *c.* e. scire *addiderunt Martene et Durand.* f. Wizeb̄ *c.* g. violaverinit *c.*

1. Curia haec indicta erat in diem 13 Oct. (v. ep. 388 supra p. 521) eamque minimum spatio dierum 16—24 Octobris celebratam esse scimus.

407. *Leges pacis inter Eugenium III papam et Fridericum I regem.* (M. 385.)

1153 Ian. ex. — Febr. in. In nomine Domini amen. Haec est forma concordiae et conventionis inter domnum papam Eugenium et domnum regem Romanorum Fridericum constituta, mediantibus cardinalibus Gregorio sanctae Mariae trans Tyberim[1], Ubaldo sanctae Praxedis, Bernhardo sancti Clementis, Octaviano[a] sanctae Ceciliae, Rollando sancti Marci, Gregorio sancti Angeli, Widone sanctae Mariae in porticu, abbate Brunone de Caravalle[2] ex parte domni papae; Anselmo Havelbergensi, Herimanno Constantiensi episcopis, Outhelrico de Lenceburch, Widone Werra, Widone Blandratense comitibus ex parte domni regis.

Domnus siquidem rex iurare faciet unum de ministerialibus regni in anima regis, et ipse idem manu propria data fide in manu legati domni papae promittet: quod ipse nec trevam nec pacem faciet cum Romanis nec cum Rogerio Siciliae sine libero consensu et voluntate Romanae aecclesiae et domni papae Eugenii vel successorum eius, qui tenorem subscripte concordiae tenere cum rege F(riderico) voluerint; et pro viribus regni laborabit Romanos subiugare domno papae et Romanae aecclesiae, sicut umquam fuerunt a centum[b] annis[c] retro. Honorem papatus et regalia beati Petri, sicut devotus et specialis[d] advocatus sanctae Romanae aecclesiae, contra homines pro posse suo eidem conservabit; et defendet, quae nunc habet; quae vero nunc non habet, recuperare pro posse iuvabit et recuperata defendet. Grecorum quoque regi nullam terram ex ista parte maris concedet; quodsi forte ille invaserit, pro viribus regni, quantocius poterit, ipsum eicere curabit. Haec omnia faciet et observabit sine fraude et malo ingenio.

Domnus vero papa apostolicae auctoritatis verbo una cum predictis cardinalibus in presentia prescriptorum legatorum domni

a. Oct̄. *c.* b. centis *c.* c. *sequitur* et *sed deletum.* d. spūalis *c.*

1. is presbyter card. in una bulla d. d. 2 Ian. 1153 testis comparet (v. Reg. pont. Rom. p. 616). 2. Chiaravalle, prope Mediolanum.

regis promisit[1] et observabit: quod eum sicut karissimum filium beati Petri honorabit; et venientem pro plenitudine coronae suae sine difficultate et contradictione, quantum in ipso est, in imperatorem coronabit; et ad manutenendum atque augendum ac dilatandum honorem regni pro debito officii sui iuvabit. Et quicumque iusticiam et honorem regni conculcare aut subvertere ausu temerario presumpserint, domnus papa, a regiae dignitatis dilectione premonitus, canonicę ad satisfactionem eos commonebit; quodsi regi ad apostolicam admonitionem de iure et honore regio iusticiam exhibere contempserint, excommunicationis sententia innodentur. Regi autem Grecorum ex ista parte maris terram non concedet; quodsi ille invadere presumpserit, domnus papa viribus beati Petri eum eicere curabit. 1153 Ian. ex. — Febr. in.

Haec omnia ex utraque parte sine fraude et sine malo ingenio servabuntur, nisi forte libero et communi consensu utriusque immutentur.

---

408. *Tabula consanguinitatis Friderici I regis et Adelae reginae.*

(*Hic divortii titulus in cod. consequitur leges pacis n.* 407.) (M. 384.)

Ex uno patre et una matre nati: 1153

Berta	Fridericus
genuit	genuit
Bezelinum de Vilingen.	Fridericum de Buren.
Bezelinus de Vilingen	Fridericus de Buren
genuit	genuit
Bertolfum cum Barba.	ducem Fridericum, qui Stophen condidit.
Bertolfus cum Barba	
genuit	Dux Fridericus de Stophe ex filia regis Heinrici
Liutgardim.	
Litgardis	genuit
genuit	ducem Fridericum.
marchionem Theobaldum.	Dux Fridericus
Marchio Theobaldus	genuit
genuit	regem Fridericum.
Adelam.	

1. Ita facile cognitu est, has foederis tabulas in curia Romana formatas esse, praesentibus Anselmo Havelbergensi et Herimanno Constan-

409. *Eugenius III papa Wibaldo suos ad Fridericum I regem legatos commendat.* (M. 386.)

1153 Febr. 8 Eugenius episcopus servus servorum Dei dilecto filio . .[a] Stabulensi abbati salutem et apostolicam benedictionem.

De quorum devotione ac sincera karitate amplius confidimus, eis[b], quae ad honorem Dei et aecclesiae atque regni exaltationem promovenda et dirigenda sunt, securius commendamus. Inde est, quod dilectos filios nostros B(ernhardum) sancti Clementis presbiterum et G(regorium) sancti Angeli diaconum cardinales, sapientes siquidem et honestos viros, quos ad karissimi filii nostri F(riderici) illustris Romanorum regis presentiam de nostro latere delegamus, dilectioni tuae duximus attentius commendandos; per presentia scripta mandantes, quatinus honeste eos suscipias, honeste pertractes, et in exequendis et perficiendis, quae cum predicto filio nostro eis tractanda et disponenda commisimus, pro beati Petri et nostra reverentia ipsis diligenter assistas, ut de studio et labore tuo aecclesiae Dei honor et regno augmentum Domino largiente proveniat et nos tibi gratias agere debeamus. Data Romae 6 Idus Februarii.

---

410. *Fridericus I rex Manueli Graecorum imperatori ostendit, se sibi uxorem adiungi ex eius genere exoptare. Nuntios commendat*[2]. (M. 387.)

1153 c. Mart. ex. F(ridericus) Dei gratia Romanorum imperator augustus, magnus ac pacificus, a Deo coronatus, dilectissimo fratri et amico suo M(anueli), Porphirogenito, sublimi[c] et glorioso impe-

a. *lacuna in cod.* b. ea *cod.* c. subblimi *c.*

tiensi episcopis; et Romae quidem anno 1153 mense Ianuario vel ineunte mense Februario. Iam enim die 8 Februarii a. 1153 Bernhardum S. Clementis et Gregorium S. Angeli cardinales, pactionis huius participes, in Germaniam profecturos Wibaldo papa commendavit ep. 409. Quibus agentibus Fridericum regem scimus die 23 Mart. 1153 foederis fidem firmavisse (V. Mon. Germ. Legum T. II. 93. 94).

2. Non dubitari debet, quin haec sit epistola scripta paullo post divortium a Friderico rege cum Adela factum in synodo Constantiensi mense Martio a. 1153 celebrata.

ratori Constantinopolitano, fraternam dilectionem et de inimicis victoriam. 1153 c. Mart. ex.

Magnitudinis tuae litteras nuper ad nostram presentiam per nuntium tuum directas cum benivolentia et alacritate suscepimus. Quibus inspectis et diligenter intellectis, gaudio gavisi sumus tam de sospitate celsitudinis tuae et imperii tui prosperitate, quam de tua erga germanitatis nostrae coniunctionem affectione. Siquidem beatae ac semper recolendae memoriae predecessor ac patruus noster, inclitus triumphator, sanctissimus videlicet imperator Conradus, moriens, cum nos declarasset imperii sui successores, inter precipua pie ac paterne ammonitionis[a] documenta instanter nos hortatus est: ut amicitiam tuam fideliter amplecteremur et fraternitatis vinculum inter nos indissolubili vinculo necteremus, quatenus imperia nostra per dilectionem unum fierent et utrique idem amicus idemque hostis existeret. Inde est, quod nos, ammonitionem eius effectu prosequente complere maturantes, et etiam voluntati tuae, quam[b] ex litteris tuis persensimus, ad confirmandam inter nos amicitiam fraterna benignitate occurritantes, ad augmentum firmioris concordiae et incrementum utriusque imperii thalamum nobis de aula imperii tui preparari et de sanguine tuo uxorem ducere Deo annuente desideramus. Eapropter sublimitati tuae celeres et expeditos nuntios premittere curavimus, per quos, sub omni festinatione ad nos remissos, sapientiae tuae super hoc voluntatem in brevi cognoscamus. Quoniam, omnibus per imperii nostri latitudinem provinciis, Dei prestante omnipotentia, quieta pace fruentibus, expeditionem nostram versus Apuliam et Siciliam cum ingenti principum nostrorum ac tocius miliciae favore, iuramentis omnium ex more firmatam, ordinavimus, et in superveniente[c] estate, tempore videlicet quo reges ad bella solent procedere, in fortitudine magna imperii nostri Alpes transire disposuimus. Eis, quae de[d] negocio instanti presentibus legatis viva voce dicenda mandavimus, fides indubitanter adhibeatur.

a. amonitionis *c.* b. qm̄ *c.* c. insuper venienti *c.* d. de *addidi.*

411. *Wibaldus Manueli Graecorum imperatori scribit, se Friderico I regi persuasisse, ut duplici necessitudine cum eo iungeretur.* (M. 388.)

1153 c. Mart. ex. Glorioso, sublimi ac precelso, victori magnifico ac prepotentissimo Manueli, Porphirogenito, Constantinopolitano imperatori excellentissimo, Wiboldus Dei gratia abbas de monasteriis duobus nobilibus, Corbeia videlicet et Stabulaus, assiduas orationes et devotum servitium.

Imperialem maiestatem decet, non solum liberalitate verum etiam gratiosa memoria esse preditam, ut nullius officii vel fidelitatis sit immemor; quoniam benigna recordatione et gratitudine principis subiectorum affectio propensius excitatur. Hoc propterea sacratissimo imperio vestro insinuare non dubitavi, quod augustam mentem vestram meminisse non diffido, quod per litteras parvitatis meae vestram sublimitatem salutavi et beatissimos affatus vestros recipere merui. Eapropter ex devoto famulo factus devotissimus servus, ad augmentum et gloriam sanctissimi imperii vestri insudare et decertare non cessavi, donec beatissimae recordationis clementissimus imperator Counradus ad magnificentiam vestram nuntios direxit, quatinus ad augmentum maioris inter vos et ipsum concordiae uxorem de vestro sanguine duceret. Set eo interim ab hac mortalitate in terram viventium sublato, dolor, qui ex eius transitu mentem meam acerbius occupaverat, non parvam consolationem recepit, pro eo quod nepos eius, qui nunc rerum potitur, magnificus scilicet imperator Fredericus, non solum imperii fastigium optinuit, verum etiam exiguitatem meam pari et simili benivolentia et credulitate honoravit. Inde est, quod instanter persuadere non cessavi, quatenus inclitus atque victor dominus meus Fredericus imperator cum constantissimo imperio vestro fedus amicitiae iniret et de sanguine vestro uxorem duceret. Quod etiam vestra sapientia complere indubitanter maturabit. Inmensas gratias ego et fratres mei referimus pro exsamito albo nobis transmisso[1], et devotas preces pro salute imperii vestri ad Deum fundere non cessamus.

1. V. ep. 325 supra p. 455.

412. *Gregorius legatus apostolicus praepositum Corbeiensem in diem 14 Iunii Wormatiam vocat.*

Gregorius Dei gratia sancti Angeli diaconus cardinalis et apostolicae sedis legatus Corbeiensi preposito salutem. 1153 Apr. Mai.

Cum in tua venissemus vicinia, quod[a] ad nos obtentu[b] non veneris, maxime cum te devotum et Romanae aecclesiae fidelem dicas, valde profecto miramur. Per presentia itaque scripta tibi precipimus, quatinus omni remota occasione Quarmatiae in octava pentecostes[1], sicut honorem tuum diligis, ad nos venias, respondere paratus, presertim cum contra vetitum felicis memoriae papae Innocentii, quod neque ibi neque alibi preposituram deberes accipere, percepisti, et de aliis, quae ad presens tacere volumus. Quodsi vocationem nostram contempseris, ex tunc te suspensum fore cognoscas.

---

413. *Stephanus episcopus Metensis Wibaldo scribit, Bernhardum abbatem Claraevallensem adversariis suis animum addidisse. Petit, agat, ut dedecus sibi illatum a rege tollatur.* (M. 398.)

Dilectissimo suo W(ibaldo) Dei gratia id, quod est in regali curia, S(tephanus) eadem gratia Mettis[c] se totum in dilectione et servitio. 1153 Mart.—Iul.

Nisi repentina corporis nostri infirmitas nos graviter occupasset, ad presentiam domni regis et vestram desiderabiliter visitandam persona nostra venisset, non littera; ob hoc maxime, ut super adversitatis nostrae infortunium aliquam á vobis consolationem caperemus. Nam, ut verum fateamur, quod per domnum Clarevallensem pro bono pacis et salute videtur esse dispositum, non solum dolori nostro nullum remedium attulit, verum etiam mentem nostram graviori ulcere vulneravit; quoniam tanti sceleris auctores, de successu maliciae suae cornua assumentes, non solum inpuniti evaserunt, verum etiam premium inde receperunt[2]. Rogamus propterea fraternitatem vestram, ut,

a. quo *c.* b. gratiae nostrae vocatus *excidisse videtur.* c. met^{s}t *c.*

1. Iuni. 14. 2. In Frigido-monte die 28 Febr. 1153 gravi Mettensium caede facta (quem quidem caedis diem me annales S. Arnulfi Met-

1153 Mart.—Iul. quod modo nostrum est[a] tolerare, illatum nobis immo universae aecclesiae dedecus per domnum regem emendari faciatis.

---

414. *Bernhardus et Gregorius legati apostolici Odelrico episcopo Halberstadensi mandant, ut Liudulfum et Fridericum comitem palatinum de Sumersenburg, nisi monasterio Corbeiensi ablata restituerint, excommunicet.* (M. 389.)

1153 Apr.—Iul. B(ernhardus) presbiter[2] et Gregorius diaconus[3] Dei gratia sanctae Romanae aecclesiae cardinales et legati venerabili fratri O(delrico) Albestadensi episcopo salutem.

Venerabilis frater noster abbas Corbeiensis de quibusdam tuis parrochianis suam nobis querelam exposuit, de Liudolfo scilicet et Frederico[4] palatino, quod annonam victualia et quasdam alias res sibi abstulerint et homines suos inquietent[b]. At tua providentia, ne tantus vir et ita domno papae et toti regno acceptus in tua parrochia offenderetur, efficere satis deberet. Nos itaque, suae iusticiae quia deesse non possumus nec debemus, per presentia tibi scripta precipimus, quatenus prenominatos viros districte commoneas, ut ablata restituant et bona monasterii de cetero quieta et illesa dimittant; alioquin, infra triginta dies post acceptam commonitionem nisi prefato abbati satisfecerint, ecclesiastica censura eos coherceas, et sententiam, quam in eos dederis, usque ad satisfactionem firmiter facias observari.

---

415. *Bernhardus et Gregorius legati apostolici Eugenio III papae has litteras perferentem commendant.* (M. 390.)

1153 Apr.—Iul. Reverendo patri et domino Eugenio Dei gratia summo pontifici B(ernhardus) presbiter et Gregorius diaconus sanctae Romanae aecclesiae cardinales debitum per omnia famulatum.

Lator presentium vir nobilis est et, sicut multorum relatione

a. est *addidi.* b. inquietant *c.*

tenses ms. docent), Bernhardus abbas Claraevallensis (quem eodem anno die 20 Augusti obiisse scimus), ab Hillino archiepiscopo Treverensi rogatus, Metis pacem conciliavit. V. Gaufridi Vita S. Bernhardi L. V. c. 1, 6. 7.

2. tit. S. Clementis. 3. S. Angeli. 4. II de Sumersenburg, comite palatino Saxoniae.

didicimus, bene morigeratus est et sacrosanctae Romanae aecclesiae valde devotus. Qui ad limina apostolorum causa orationis et ad pedes sanctitatis vestrae veniens postulavit, ut eum pietati vestrae nostris litteris commendaremus. Eapropter maiestati vestrae illum commendantes, rogamus, quatenus solita benignitate ipsum suscipiatis et devotioni[a] circa sedem apostolicam paterna vestra admonitione maiora incitamenta prestetis. 1153 Apr. — Iul.

---

416. *Gregorius legatus apostolicus Wibaldo significat, mortuo Eugenio III papa, se, Romam reversurum, episcopos quosdam in diem 29 Sept. Wormatiam vocasse. Postea in curia regis eum sibi praesto esse vult*[b]. (M. 391.)

Gregorius Dei gratia sanctae Romanae aecclesiae cardinalis[1] et legatus reverendo fratri vel[c] suo unanimi amico Corbeiensi abbati salutem. 1153 Aug. Sept.

Licet fama mortis domni pape[2] nos turbaverit, tamen, audita persona substituti[d] domni vicarii[3], nos gaudio gavisi sumus, scientes, illum antiquum[e] magistrum aecclesiae et nos tamquam se ipsum diligere et modis omnibus honorare. Verum[f] quia ab amicis nostris instanter revocamur, in festo sancti Michahelis[g 4] Bremensem[5], Ildeneshemensem[h], Mindensem Wormacie[i] vocavimus, quedam illis precipere volentes. Unde ad domnum regem ituri[k], vos libenter presentem vellemus habere, ut, quae cum eo agere debemus, et in licentia suscipienda, tua nobis assisteret prudentia et probitas nos domno[l] regi commendaret.

---

417. *Bernhardus et Gregorius legati apostolici Wibaldum Wirzeburgum vocant, inde ad monasterium Stabulense iturum.* (M. 392.)

Ber(nhardus) presbiter[6] et Gregorius diaconus[7] Dei gratia 1153 c. Aug.

a. eius *excidisse videtur.* b. *Haec epistola in codice bis posita est:* 1. *fol.* 143 *v*, 2. *fol.* 145. c. .l. 1, L. 2. d. substiti 1. e. antiqum 1. f. Vm̄ 1. 2. g. Michaelis 2. h. Ildenesem̄ 2. i. Warmatiae 2. k. iterum 1. l. domni 2.

1. diac. card. S. Angeli. 2. Eugenii III mortui die 8 Iulii 1153. 3. Anastasii IV, consecrati die 12 Iulii. V. Reg. pontif. Roman. p. 653. 4. Sept. 29. 5. Hartwicum archiepiscopum. 6. tit. S. Clementis. 7. S. Angeli.

1153 c. Aug. sanctae Romanae aecclesiae cardinales et legati dilecto fratri W(ibaldo) Corboiensi abbati salutem.

Sicut per alia fraternitati tuae scripta nos misisse[a] meminimus, ita denuo presenti scripto mandamus, quatinus proxima quarta feria Erbipolim ad nos venias; ubi eodem termino cum rege sumus habituri colloquium. Quia vero Stabulensem aecclesiam vera in Domino caritate diligimus et ad eius utilitatem libenter intendimus, nichilominus tibi mandamus, ut ad nos ita paratus accedas, quod post colloquium nostrum honeste ire ad eandem aecclesiam valeas.

---

418. *Stabulenses Wibaldum, ut sibi succurrat, hortantur.* (M. 400.)

1153 c. Aug. Reverentissimo in Christo patri suo et domino W(ibaldo) Stabulensis aecclesie venerabili abbati tota eiusdem aecclesiae congregatio, quicquid pio patri devoti debent filii.

Quantis necessitatibus astrictos, quantis perturbationibus anxios presentium lator nuncius vester nos invenerit, suum est dicere. Filiorum autem vestrorum est, ubi proprie vires deficiunt, pium patrem invocare et presentiae suae benignam protectionem humiliter implorare. Hucusque siquidem, pater karissime, in amissione et detrimento rerum nostrarum quodammodo semper meliora sperantes tacueramus. Set cum iam aecclesiae vestrae, aecclesiae inquam, quam tantis laboribus et sumptibus adornastis, sicut ex ore domni ępiscopi Leodiensis[1] audivimus, inimici, quos nunquam offendistis, minentur incendium, lacrimabiliter ad vos clamamus. Et ad tantum nefas prohibendum et declinandum tempore oportuno benigne occurrite. Speramus enim in Domino et certum tenemus, quod in adventu vestro, quicquid contra nos humane moliuntur adversitatis[b], ad nichilum redigetur, et Deo gressus vestros dirigente, omnia, quae in absentia vestra nobis ablata sunt, ad omnem voluntatem vestram vobis restituentur. Nam et hi, qui nobis maxime adversantur, scilicet Salmucenses, eque ut nos adventum vestrum desiderant; et, quicquid utrimque

a. missę *cod.* b. adversitates *c.*

1. Heinrici.

commissum est, per vos componi et resarciri exoptant. Declinabitis ergo, pater karissime, paululum ad filios vestros et, composita pace inter eos, qui nos undique atterunt, rursus ad eos, qui presentia vestra delectatione potius quam necessitate fruuntur, redire absque perturbatione poteritis. Omnipotens Deus sanum et incolumem vos ad nos perducat. 1153 c. Aug.

---

419. *Wibaldus Henricum comitem de Salmes hortatur, ut illata monasterio Stabulensi damna resarciat.* (M. 401.)

Preclaro et illustri comiti de Salmes H(enrico) frater W(ibaldus) Dei gratia Stabulensis abbas, spiritu scientiae et pietatis abundare. 1153 c. Aug. Sept.

Ex mandato domni regis et iussu domnorum cardinalium[1] Stabulaus reversi, multiplicibus predis et rapinis, quas ministeriales et servi vestri fecerant et castello vestro induxerant, eandem aecclesiam vexatam et perturbatam reperimus. Siquidem homines vestri preter alia mala maxima, quae enarrare longum est, in villa nostra Paletenmet[a] abstulerant nobis animalia centum, oves centum viginti, porcos octo et capras tres; et in Beringerivalle[2] animalia sedecim; et apud Erchenberti mansum boves viginti octo; et in alia villa proxima castello vestro boves optimos viginti quatuor; ea occasione: quod frater villici nostri de Lernau viginti tantum vitulos vestris abstulerat. Perpendat itaque prudentiae vestrae discretio, quam alienum fuerit ab omni nobilitate et aequitatis iure tantis malis nobilem aecclesiam afficere, pro eo tantum: quod villicus noster de Lernau quendam hominem vestrum, qui furto uxorem cuiusdam ex nostris cum aliis bonis suis abduxerat, deprehensum, iusticia cogente, oculis privare attemptavit; cum hoc ipsum vestri ei concesserint, ut auctorem perpetrati sceleris insequeretur et, si posset, prout gesserat, ei retribueret. Nos quoque, cum super eadem re vos frequenter amice et suppliciter convenissemus, quippe cum iam vestri propter

a. *sive* Paletenniet.

1. v. ep. 417 supra p. 554. 2. Bergivalle, a Stabulaus inter occidentem et meridiem.

1153 c. Aug. Sept. hoc eidem villico nostro panem nuptiis suis preparatum et boves sex, ipsum panem subvehentes, violenter rapuissent, non solum nichil profecimus; verum, sicut sequentia demonstrant, vestros omnes, ut creditur, ad oppressionem nostram animastis. Neque enim putatur, eos tam grandia absque vestro iussu et inchoasse et perfecisse. Animadvertat ergo ingenuitatis vestrae honestas, si nos et fratres nostros, personam vestram super omnes principes terrae nostrae amplectentes et diligentes, tantopere opprimere debuistis pro hominibus, qui, etsi nostri sunt, tamen, ut ipse persepe vidistis et audistis, á nobis coherceri nequaquam possunt, cum alii vagi et profugi incertitudine mansionum suarum nostros impetus declinent, alii vero obsequiis suis ita principum animos sibi devinxerint, ut ad nostram offensam et aecclesiae nostrae oppressionem ab ipsis iugiter protegantur. Nos autem, in his omnibus antiquarum amiciciarum memores, querelarum nostrarum summam nobilitatis vestrae benignitati litteris significare curavimus: ut amore Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli sanctique patris nostri Remacli et respectu orationum nostrarum damnorum nostrorum per vos potius, quam per aliam quamlibet potestatem, recipiamus emendationem. Sin autem, violentiam nobis illatam Deo ac domino nostro regi et omnibus principibus regni atque hominibus nostris et fidelibus Stabulensis aecclesiae conqueri habemus.

---

420. *Henricus comes de Salmes, Wibaldum Stabulaus rediisse, gaudet. De pace turbata se praesentem cum eo acturum esse.* (M. 402.)

1153 c. Aug. Sept. W(ibaldo) Dei gratia Stabulensi abbati H(enricus) comes de Salmes, quicquid amicus amico.

Dilectioni vestrae notum sit, de adventu vestro summopere me gaudere, tum spe discreti consilii vestri tum solite pacis inter meos homines et vestros reformatione. Quamvis enim vinculum dilectionis nostrae homines vestri immo adversarii vestri rumpere moliuntur, Deo gratias, incorruptum remansit. Enarrare vero longum est, quae et quanta ex utriusque latere partis

iniuriose facta appareant. Relinquo igitur vestrae diligenti ac discrete dispensationi, dignitatis vestrae prerogativa et familiaritatis vestrae conservatione iniurias utrimque factas terminare. Scitis enim, quoniam castellum meum Salmis et cetera, quae possideo, in pace et in guerra vobis sicut mihi parata semper suberunt. Vester enim[a] honor est, honorem meum tam in absentia mea quam in presentia diligendo conservare et conservando tueri. Quod iniuriarum vestrarum querelam scripto mihi significastis, de sinu dilectionis vestrae affirmo processisse; nostram prior vobis significassem, si reversio vestra mihi nota fuisset. Veniam ad vos quam cicius potero, vobis locuturus et, utriusque honore conservato, discretis sermonibus vestris obtemperans.

1153 c. Aug. Sept.

---

421. *Wibaldus legem quandam Stabulensem confirmat.* (M. 403.)

1153 c. Aug. Sept.

In nomine sanctae et individuae trinitatis Wiboldus Dei misericordia Stabulensis abbas successoribus suis et cunctis Christi fidelibus in perpetuum.

Prelationis sarcina et officii nostri institutum nos constanti ratione hortatur, ut non solum congregata servare et ad recte vivendi disciplinam moderari debeamus, set etiam dispersa congregare et ad iusticiae normam revocare, et ea, quae vel á nobis recte geruntur vel ab antiquis prave acta corriguntur, litterarum beneficio attentius memoriae commendare. Quocirca noverit omnium filiorum sanctae aecclesiae industria, quod abbas Poppo secundus, noster utique predecessor, inter multa non solum inutilia set etiam omni posteritati nostrae nociva, quae adversus aecclesiam sibi commissam et adversus animam suam perperam commisit, post dissipatam enormiter multam substantiam monasterii, etiam personas aecclesiae pertinentes in obprobrium sempiternum precipitavit: quando cuidam Everardo de Richen dedit in beneficium, immo ut verius dicatur in maleficium, virorum ac mulierum raciocinia et utilitatem, preter censum solum, quem aecclesiae solvebant; qui habitabant á proxima monasterio silva,

a. .H. *cod.*

1153 c. Aug. Sept. que dicitur Fanias, usque ad fluvium qui dicitur Wisera. Opus vero maliciae iuris vocabulo palliavit, et taliter inbeneficiatos edituos appellavit, quo nomine vocari solent monachi religiosi templi Dei et sacrorum custodes. Cum itaque malum hoc nostris temporibus pestifera propagine usque adeo esset dilatatum, ut non solum inter Fanias et Wiseram, set etiam quaquaversum circuire poterant tales custodes quin potius iniquitatis procuratores, famulos aecclesiae vexarent diris exactionibus, videlicet hospitando, precando et substantias eorum, si quis uxorem de familia aecclesiae non habuisset, parciendo, affligebantur[a] et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et post multas et longas ad ecclesiam et ad nos vociferationes de necessitatibus eorum eripuit eos tempore illo, cum inclitus dominus noster rex Fridericus Aquisgrani moraretur[1]. Et tam nostro quam hominum illorum clamore, qui ad curiam ipsius circiter ducenti concurrerant, miseratus, quesivit á quodam nobili viro Marcuardo de Grumbach sententiam iudicii: utrum aliquis abbas posset cuiquam laico in beneficium prestare censum sive alia raciocinia hominum, qui ad altare iure proprietario pertinent, de quorum pensionibus luminaria templi et tecta procurantur. Consensu itaque domni Coloniensis archiepiscopi Arnoldi secundi et domni Leodiensis episcopi Heinrici secundi et domni Anselmi Havelebergensis episcopi et omnium, qui presentes aderant, iudicatum est: ex iuris ratione non posse fieri, et in irritum debere revocari. Quod et fecit piissimus rex nostra prece interpellatus, licet quartana febre tunc laboraret; et tales custodes in perpetuum aboleri decrevit. Inde cum ad domum nostram, quae est in eodem oppido, fuissemus regressi, convenit omnis multitudo in capellam nostram, et omnes iussu nostro fidelitatem aecclesiae et nobis, tactis sacrosanctis reliquiis, iuraverunt. Per quam mox adiurati et ammoniti dixerunt, hoc sui iuris esse: ut nemini hospitationem vel precationem debeant vel exolvant; set unaquaeque cognatio seu parentela proprium censuarium habeat,

a. affligebant *cod.*

1. c. Aug. 1153, ut videtur.

qui electione consanguineorum suorum per manum custodis aecclesiae, videlicet unius ex fratribus nostris, ordinatus, cognationi suae presit hoc modo, ut censum annuatim colligat et custodi persolvat; si quid in suos compares adversus legis decreta commissum fuerit vel in sanguinis effusione vel in hominum interfectione seu in mulierum stupratione, ipse tam per se quam per advocatum reposcat, et de compositionibus duas partes custodi aecclesiae, terciam vero advocato representet, Arnoldo scilicet, qui tunc erat advocatus, et successoribus eius legaliter institutis; nullus uxorem ducat de aliena familia, nisi per licentiam censuarii sui; quodsi licentiam non habuerit, et uxorem, quae non sit de familia aecclesiae, duxerit, compositio huius delicti et poena erit in arbitrio censuarii; is vero, qui per licentiam, ut dictum est, duxerit alienam, cum obierit, dabit uxor eius vel filii censuario suppremum vestimentum, id est cappam seu clamidem, ac per hoc substantia eius, sicut prius factitatum erat, non dividetur. Hanc fuisse parentum et progenitorum suorum legem et ad aecclesiam respectum, iuraverunt duodecim ex ipsis maiores natu, quorum nomina subter scripta sunt, scilicet Petrus, Werricus, Herimannus, Godefridus, Iohannes, Willebertus, Hervardus, Ruzekinus, Gislebertus, Everelmus, Iordanus, Iohannes. Nec non nomina haec sunt tredecim virorum, qui iuramenta ipsorum esse vera testificati sunt, scilicet Eimundus, Walterus, Azelinus, Gislebertus, Teodericus, Godefridus, Wenricus, Everwinus, Herimannus, Baldewinus, Godefridus, Waldo, Ruobertus. Nos vero et tunc in presenti et postea in monasterio Stabulaus sub celebri conventu, sumpta stola et pastorali baculo, assensu omnium fratrum nostrorum, excommunicationis sententia interdiximus, ne aliqua persona parva seu magna prefatos homines et eorum progeniem infestare presumat, et legem, quae prescripta est, ullo modo audeat contra ipsorum voluntatem infringere. Et ut haec per omnes temporum successiones rata et inconvulsa permaneant, paginam hanc sigillo nostro et aecclesiae insigniri ac muniri iussimus, et testes, qui affuerunt, subter notari. Wiboldus Stabulensis abbas subscripsi.

1153 c. Aug. Sept.

422. *Fridericus I rex Wibaldo scribit, Fridericum comitem palatinum ei ablata restituere iussum esse. In diem 1 Novembris eum Coloniam vocat.* (M. 399.)

1153 Sept. Oct. F(ridericus) Dei gratia Romanorum rex W(ibaldo) Corbeiensi abbati gratiam suam et omne bonum.

Si palatinus comes de Sumerseburc[1] ad curiam venisset, correptiones et iudicii sententiam pro iniuria, quam tuae dilectioni infert, non subterfugisset. Attamen sub optentu gratiae nostrae ei precipiendo mandavimus, ut, predium Nienstede[a] tibi resignando, et beneficium, unde homines tuos expulit, eis remittendo, prorsus a tui et tuorum infestatione, sicut gratiam nostram diligeret, cessaret. De processu vero nostro scias, quia in festo omnium sanctorum[2] Coloniam veniemus; ubi nobis presentiam tuam exhiberi desideramus. Postquam vero familiari relatione iniurias et gravamina tua ibidem cognoverimus, dilectioni tuae et hominibus tuae terrae evidenter ostendemus, quod pro devoto et diuturno obsequio tuo, quod nobis et regno hactenus impendisti, gratiosum apud nos favorem in omnibus optinuisti. Quicunque enim serenitatem tuam in aliquo conturbaverit, gratiae nostrae offensam se incidisse procul dubio cognoscet.

---

423. *Odelricus episcopus Halberstadensibus Fridericum comitem palatinum de Sumersenburg excommunicatum nuntiat.* (M. 406.)

1153 O(delricus) Dei gratia modicum id quod est dilecto filio E(rponi) decano ceterisque archidiaconis et universali sanctae Halberstadensi aecclesiae salutem et dilectionem.

Liquet discretioni vestrae, quod domni cardinales sedis apostolicae legati litteris suis[3] mandando nobis preceperunt, quatinus F(ridericum) palatinum comitem districte commoneremus, ut bona Corbeiensi aecclesiae ablata restitueret et homines eiusdem aecclesiae inquietare desisteret, et, si post nostram ammonitionem infra triginta dies hoc non adinpleret, canonica eum iusticia coerceremus. Litteris itaque nostris diligenter a nobis super hoc

a. Hienstede *c.*

1. Fridericus. 2. Nov. 1. 3. ep. 414 supra p. 552.

commonitus, sicut vestra novit fraternitas, non solum nos audire contempsit, verum etiam manu[a] in sacerdotem missa sacrilegii facinus incidere non formidavit. Apostolica igitur auctoritate et nostra prefatum comitem palatinum F(ridericum) utpote sacrilegum et inobedientem excommunicamus, et excommunicatum vobis annuntiantes, in vera obedientia precipimus, quatinus ab eius communione penitus vos subtrahatis, et ab omnibus subditis vestris clericis et laicis id ipsum firmiter observari faciatis. Qui hoc mandatum sanctae Romanae aecclesiae et nostrum tenere et aliis annuntiare dissimulaverit, officii sui et beneficii iacturam procul dubio incurret; quia tanquam inobedientem eum domno papae annuntiabimus. 1153

---

424. *Manuel Graecorum imperator Wibaldo significat, de Friderici I regis matrimonio nuntios a se missos esse.* (M. 407.)

Manuel in Christo deo fidelis rex, Porphirogenitus, sublimis, 1153
fortis, excelsus augustus et imperator Romeon, o Comninos, ho- Nov. 22
norabilissimo et sanctissimo abbati monasterii Stabulensis gratiam suam et bonam voluntatem.

Littera tuae reverentiae[1] delata est inperio meo, quae declarabat, quod semper pro meo oras inperio. Et inperium meum, ab omni lingua audiens, quod superest tuae virtutis, tuas semper advocat orationes, vultque, memorari ipsius tuam sanctitatem in orationibus suis ad Deum et orare eum pro prosperitatibus nostri inperii. De negocio vero connubii, de quo prenobilissimus rex Romae et dilectus frater inperii mei nostro declaravit inperio, remisit ei inperium meum[b] intentionem[c] suam diffusius cum presentibus nuntiis inperii mei. Vult enim inperium meum magis ac magis utrorumque regnorum unitionem. Mensę Novembri indictionis secundae[2]. Missa est a Castro[3] Pelagoniae mense Novembri 22, indictione 2. ⸭ Inperiale ad venerabilissimum abbatem monasterii Stabulensis.

---

a. manū *c.* b. m̄ *c.* c. intenti⁹ *c.*

1. ep. 411 p. 550. 2. an. 1153. Constantinopolitana enim indictio 2 valuit a d. 1 Sept. 1153 ad d. 1 Sept. 1154. 3. Castoria Macedoniae.

425. *Wibaldus Anastasio IV pontificatum gratulatur. Petitiones suas commendat.* (M. 393.)

1153 ex. Reverendo patri suo et domino A(nastasio) sanctae catholicae et apostolicae aecclesiae uni et universali papae frater W(ibaldus) Dei et vestra gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Ex quo divina providentia sacrosanctam matrem nostram Romanam aecclesiam regi disposuit per religiosissimam sollicitudinem vestram, in precipuo desiderio habuimus, vobis corporaliter nostram exhibere presentiam: ut aliquo certiore indicio filialem, quam circa vos gerimus, affectionem plenius intelligeretis, et nos confidentius familiari colloquio quaedam apud vestram sublimitatem suggereremus, quae longum est et fortassis inutile posset fieri cartaę et attramento committere. Set quoniam iam proxima nobis expeditio Italica[1], ad quam nos et animo et rebus instanter preparamus, ab hac facultate nos retinet, signis presentibus et levi nuncio nostram celsitudini vestrae devotionem offerimus; Dei omnipotentis clementiam humili prece exorantes, ut vos ab inportunis et malis hominibus liberare dignetur, et beati Petri naviculam, cuius vos gubernaculum tenetis, in fluctibus, quibus assidue quassatur, ne mergatur, erigere non recuset. Mirabiles quidem elationes maris, set mirabilis in altis Dominus[2]. Paulus apostolus ad discipulum suum Timotheum scribens, dicit: *Nemo adolescentiam tuam contemnat*[3]. Nos, discipuli et servi, magistro et domino ausu caritatis suggerimus: Nemo senectutem vestram contemnat; quoniam ante acta innocenter vita talis[a] fuit, ut vos neque vivere pudeat neque mori ullatenus pigeat. Siquidem á retro annis quinque et viginti[4] vestram beatitudinem satis intima et familiari noticia cognovimus[5] et gratia vestra atque miti patrocinio in omni causa seu privata seu publica, quam

a. vitalis *cod.*

1. mense Octobri a. 1154 Wibaldum cum Friderico rege in Italiam profectum esse constat. 2. Ps. 92, 4. 3. 1 Timot. 4, 12. 4. Ex quo intelligi debet, Wibaldum anno 1128 in curia papali fuisse. 5. Anastasius IV anno 1128 fuit Conradus episcopus Sabinensis.

apud Romanam aecclesiam egimus, perfrui omni cum benignitate 1153
et efficacia meruimus. Inde est, quod intolerabilis dolor, qui de ex.
transitu reverendi patris nostri, vestri utique predecessoris, animam nostram iusto merore sauciaverat, non parvo delinimento mitigatus est, cum ordinator temporum Deus vestram sanctitatem in ipsius cathedra beata successione sedere fęcit, ut vita vestra inclita cunctas illustrare possit aecclesias et nobis consuetae misericordiae benignum tribuatis effectum. Repetimus enim á vestra celsitudine quodam pietatis iure familiarem gratiam, quam ab antecessoribus vestris longo tempore optinuimus, ut liceat nobis absque presumptionis nota de sollicitudine aecclesiarum, de statu regni aliqua intimare. Quod tunc confidenter facere incipiemus, cum per sacratissimos apices vestros hoc facere ammoniti fuerimus. Peticiones nostrae, quas pro necessitatibus nostris vestrae clementiae porrigimus, subter annexae sunt; quas efficaciter exaudiri pro nostrae perpetuae servitutis augmento, deprecamur.

---

426. *Wibaldus Bernhardum presb. card. tit. S. Clementis, Romam reversum, rogat, ut petitiones suas ad Corbeiam spectantes papae commendet.* (M. 394.)

Reverendo in Christo patri suo et domino B(ernhardo) ve- 1153
nerabili sanctae Romanae aecclesiae cardinali presbitero frater ex.
W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Si cum integritate sospitatis vestrae et cum rerum vestrarum integra conservatione ad Urbem pervenire potuistis, plurimum in Domino exultamus, quoniam desiderium nostrum circa salutem vestram completum est. Rogamus itaque clementiam vestram, quae magnum nobis familiaritatis et patrocinii usum[a] conferre dignata est: ut nostram parvitatem domno papae et domnis cardinalibus commendare benigna insinuatione dignemini et, ut peticiones nostrae effectum optineant, efficere non abnuatis,

a. ausum *c.*

1153 ex. ut nos ex devoto deinceps devotissimum[a] famulum habeatis. Sic enim necessitates nostras sumus partiti: ut, quoniam vos in Corbeiensi monasterio[b] habitare aliquantisper non estis dedignatus, vos eiusdem aecclesiae causas provehendas assumatis, et de benignitatis vestrae defensione filios vestros, qui in eodem monasterio Deo militant, laetificetis; vester autem collega, dominus videlicet noster Gregorius cardinalis, quia Stabulensem aecclesiam visitare dignatus est et eius miserias oculata fide perspexit, negotia ipsius monasterii promovenda recipere non recuset, sicut de eius bonitate plurimum confidimus.

---

427. *Wibaldus Gregorium diac. card. S. Angeli, Romam reversum, rogat, ut suas de Stabulensi monasterio petitiones papae commendet.* (M. 395.)

1153 ex. Karissimo patri et domino suo G(regorio) venerabili sanctae Romanae aecclesiae cardinali diacono frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Si vos cum salute et prosperitate vestra in Urbem et in vestra recepistis, nichil est, quod in gaudio desiderii nostri[c] possit accedere cumulatius. Licet enim illam animi vestri constantem industriam, licet mentis vestrae vivacitatem, quae ad declinanda pericula perspicax est et subtilis, non parva cognitione percepimus, tamen, quoniam humanae sortis fragilis extat conditio, semper in gravi sollicitudine fuimus, ne aliquid vestrae excellentiae minus gratum accidisset. Proinde magnitudinem vestram attenta prece exoramus, ut nos et nostra domno papae, qui nos á longis retro temporibus et novit et diligere dignatus est, nec non domnis cardinalibus commendare non recusetis, et petitiones nostras desideratum effectum consequi adiuvetis; quoniam, si velle vobis adiacet, perficere invenietis. Sic enim necessitates nostras sumus partiti: ut, quoniam vos Stabulense monasterium visitare non estis dedignatus, vos eiusdem aeccle-

a. devotum *c.* b. *sequitur in cod.* deo. c. vestri *c.*

siae causas provehendas assumatis, et de benignitatis vestrae defensione filios vestros, qui in eodem monasterio Deo militant, letificetis, quod tanto fortius ad effectum perducere poteritis, quanto verius eiusdem loci miserias oculata fide perspexistis; vester autem collega, dominus videlicet noster Bernardus cardinalis, qui in Corbeiensi monasterio habitare aliquantisper voluit, negotia eiusdem cenobii promovenda recipere non recuset; hac tamen interposita ratione, ut, sicut unum in legatione vestra peragenda indissolubiliter fuistis, ita unum in oportunitate nostra adiuvanda maneatis. 1153 ex.

---

428. *Hugo de Baucio Wibaldum rogat, ut se Friderico I regi commendet.* (M. 396.)

W(ibaldo) Dei gratia Stabulensi abbati, excellentissimo domino suo, Hu(go) de Baucio[1] et fratres eius[2] salutem. 1153

Quem erga imperium a longis retro temporibus pater noster[a][3] habuit affectum, ipsius presentia[4] et litteris eius ad vos sepe directis vestra novit serenitas. Nos etiam non sumus immemores beneficii, quod fratri nostro G(uilhelmo) et per ipsum nobis in curia imperatoris conferre studuistis. Pro quo vobis iterum et iterum supplicantes, omne servitium, si locus et tempus se nobis[b] offerat, indubitanter vobis promittimus. Propterea obnixe precamur, quatenus per presentium latorem audire dignemini, quanta mala comes Barcinonensis[5] nobis contulit et conferre moliatur, quia fideles huic regi esse volumus. Preces nostras ante imperatorem admittite, et nos vestris ante ipsum munite; et quid de eius adventu[6] sperare debeamus, nos cerciorate. Tam mens vestra quam regis voluntas scripto vestro nobis signetur.

a. ūr *c.* b. vobis *c.*

1. in Provincia. 2. Guilhelmus, Bertrandus, Gerbertus. 3. Reimundus comes de Baucio. 4. Reimundum comitem de Baucio d. 10 Augusti 1145 Wirceburgi fuisse, docet Conradi III tabula ap. Papon Hist. de Prov. II. preuv. p. 14. 5. Reimundus Berengarius IV. 6. in Provinciam.

---

429. *A. Wibaldum rogat, agat, ut munus, a rege concessum, ab Emicone comite de Liningen sibi exhibeatur.* (M. 397.)

1153 Karissimo suo domino Dei gratia abbati Stabulensi W(ibaldo) A. suus, quod suus, salutem cum fideli servitio.

Quantas possum magnitudini vestrae gratias refero, quod eam, quam a patre luminum accepistis, benignitatem cum ad omnes more vestro porrigatis, speciali tamen et continuata gratia utiliter et officiose ad meam usque parvitatem extenditis. Eapropter beneficiis vestris admonitus et cor pro corde, cum vobis placuerit, fideliter exhibiturus, rogo, ut illud domni regis munus, quod opera vestra mihi collatum est, set necdum appensum[a] vel numeratum, ab Emischone[b] comite de Liniges districto etiam, si opus fuerit, mihi adquiratis. Indecorum etenim mihi est et obtrectatoribus meis risum generat, si, quod exacto tempore habere debui, sepius frustra repetam. Ad haec, si omnia recte apud vos et prospere aguntur, sic est, ut volo. Rescribite mihi de statu vestro, si placet; quia, sicut vobis mihi scribere non est onerosum, sic scripta vestra iocunda mihi recipere nec inutile est nec inofficiosum. Salutat vos magister Ach.[c], comes sacrarum largitionum et sodaliciorum[d] iocundorum. Salutat vos Hugo clericus et socius noster.

---

430. *Anastasius IV papa Wibaldo usum anuli concedit.* (M. 404.)

1154 Anastasius episcopus[e] servus[f] servorum Dei dilecto filio
Febr. 7 Corbeiensi abbati salutem et apostolicam benedictionem.

Semper apostolica sedes aecclesiarum prelatis, quos ampliori sibi caritate devinctos agnovit, abundantiorem honorem inpendit et eorum honestis peticionibus faciliori concurrit assensu. Inde est, quod antiqua devotione, quam erga sedem apostolicam dinosceris habuisse, inducti et quorundam fratrum nostrorum precibus inclinati, usum anuli ex assueta benignitate apostolicae sedis in vita tua tibi tantum duximus indulgendum. Et in argumentum nostrae dilectionis anulum quoque tibi per dilectum

a. apprehensum *c.* b. emisch̄ *c.* c. ach̄ *c.* d. sodalicorum *c.* e. episcopus *om. cod.* f. servus servus servorum *cod.*

filium nostrum G(erhardum) diaconum cardinalem[1], qui ad partes 1154
Teutonici regni pro utilitatibus aecclesiae a nobis transmittitur, Febr. 7
destinamus. Tua ergo devotio cum tanta gratiarum actione beneficium istud accipiat, ita te semper exibeas in sacrosanctae matris tuae Romane aecclesiae veneratione ferventem, ut et nos hoc caritatis et benivolentiae signum tibi gaudeamus inpensum et tu ad alia beneficia promerenda omni tempore debeas idoneus inveniri. Data Laterani 7 Idus Februarii.

---

431. *Gregorius diac. card. S. Angeli Wibaldo de anulo misso significat. Ceteras eius petitiones Gerhardo legato commissas esse.* (M. 405.)

Gregorius Dei gratia diaconus cardinalis[2] reverendo fratri 1154
et unanimi amico W(ibaldo) Stabulensi abbati salutem et, qua Febr.
nichil est carius, caritatem.

Quia inter ceteros regni abbates personam vestram quadam prerogativa dilectionis nobis univimus, ad honoris vestri gloriam et exaltationem, divina nos comitante gratia, efficaciter operam dedimus. Equidem secundum desiderium vestrum et preces personam vestram mater vestra sancta Romana aecclesia oleo exultationis exhilarat, episcopalia vobis insignia concedens, ut vere Stabulensis gemino dignitatis ornatu fulgeat, abbatis et episcopi, qui pre consortibus suis ampliorem matris meruit dilectionem. Ysaac pater noster[3] senuit, Rebecca[4] tamen ministrat ei. Agite igitur, ut mater recognoscat in filio, per quod filius recognoscetur a multis. Anulum vobis legatus apostolicae sedis Gerh(ardus) diaconus cardinalis portabit, qui vos tanta gratia investiet et apostolico munimine roborabit. Nos vero in vestris oportunitatibus tanto sollicitum esse perpendite, quanto amiciciae virtus in causa amici non potest esse ociosa. De aliis peticionibus vestris legatus vobis iusticiam faciet, cuius discretioni Teutonicorum commisse sunt regiones.

---

1. S. Mariae in via lata. 2. S. Angeli. 3. Anastasius IV. 4. ecclesia Romana.

432. *Wibaldus Manueli Graecorum imperatori de litteris missis gratias agit. Friderici I regis legatos commendat.* (M. 408.)

1154 Inclito triumphatori et glorioso domino suo Manueli, fideli in Christo regi, Porphirogenito, sublimi, forti, excelso augusto et inperatori Romeon, o Comninos[a], Wiboldus Dei gratia abbas venerabilium monasteriorum, scilicet Corbeiae et Stabulaus, fideles orationes et devotum servitium.

Sanctissimi inperii vestri affatus[1], quos per prudentissimos apocrisiarios vestros vestra nobis celsitudo transmittere dignata est, quasi quoddam munus celeste suscepimus. Et tam pro incolumitate gloriosae personae vestrae quam pro tocius sanctissimi inperii vestri prospero statu et fortitudine humiles preces ad Dei clementiam cum aggregatis in Christo nobiscum fratribus effundere non cessamus. Porro de amicicia et fide inter dominum meum prenobilissimum Frithericum Romanorum inperatorem augustum et sanctum inperium vestrum firmanda pro facultate nostra diligentem operam impendimus; et, ut secundum datam[b] a Deo sapientiam voluntati dilectissimi fratris vestri, quam per legatos suos maiestati vestrae insinuat, assensum prebeatis, plurimum desideramus. Rex regum et dominus dominantium ad honorem et gloriam suam vitam vestram et quietem ab hostibus conservare in longa tempora dignetur.

---

433. *Wibaldus Anastasio IV papae, petitionibus suis obsecuto, gratias agit. Heribertum, Friderici I regis capellanum, Romam euntem commendat.* (M. 409.)

1154 Reverendo in Christo patri suo et domino A(nastasio) uni
c. Mart. Apr. et universali papae frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, devotum servitium et debitam in Domino obedientiam.

Supplices atque devotas gratiarum actiones celsitudini vestrae referimus, quod semper provectibus et necessitatibus nostris clementer intendistis, ex quo primum dignationi vestrae notificari

a. *sic cod. pro* to Comnino. b. vobis *excidisse videtur.*
1. ep. 424 supra p. 561.

meruimus; et precipue nuper, cum ad sanctitatem vestram pro 1154 c. Mart. Apr.
necessitatibus nostris et angustiis peticiones nostras transmisimus; quas et misericorditer accepistis et benigne adimpleri[a] fecistis. Nunc ergo excellentiae vestrae attente commendamus Heribertum capellanum domni regis, ut eum venientem ad beatitudinem vestram pie suscipiatis et benigne teneatis et eum in suis peticionibus clementer exaudiatis.

---

434. *Adrianus IV papa Wibaldo suos ad Fridericum I regem legatos commendat.* (M. 429.)

Adrianus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Cor- 1154 Dec. 29
beiensi abbati salutem et apostolicam benedictionem.

Devotionem ac reverentiam, quam sacrosanctae Romanae aecclesiae matri tuae hactenus dependisti, et nos ipsi cognoscimus et fratres nostri, qui plenius norunt, nobis plenius retulerunt. Conveniens equidem est et consentaneum rationi, ut eidem aecclesiae, quae tam pro tua quam pro cunctorum salute fidelium laborat assidue, te devotum et subiectum debeas exhibere, et de eius semper honore atque utilitate, sicut hucusque fecisse dinosceris, sollicite cogitare. Superest autem, ut bonum inceptum atque propositum ita laudabiliter exsequaris, ut nos et fratres nostri, qui bonum de te perhibent testimonium, fidelitatem et devotionem tuam ipso rei effectu possimus evidenter agnoscere. Et ideo dilectioni tuae per apostolica scripta mandamus et exhortamur in Domino, quatinus Romanam aecclesiam, cui omnem obedientiam debes et subiectionem impendere, omni conanime studeas honorare et ad eius utilitatem atque servitium te non dubites promptissimum exhibere. Inventa itaque hoc tempore oportunitate, apud dilectum in Christo filium nostrum F(ridericum) illustrem Romanorum regem ita eidem aecclesiae sollicitus sis assistere et ita eam sibi assidue commendare atque cum ipso de eius utilitate et incremento tractare, ut eadem mater tua te specialem et devotissimum filium ipso rei effectu patenter agnoscat, et tu apostolicae sedis auxilium, quotiens tibi fuerit opor-

a. adimpleti *c.*

1154 Dec. 29 tunum, cum maiori fiducia debeas implorare. Ad haec venerabilem fratrem nostrum C(encium) Portuensem episcopum et dilectos filios nostros B(ernhardum) tituli sancti Clementis et O(ctavianum) tituli sanctae Ceciliae presbiteros cardinales, qui apud memoratum F(ridericum) illustrem Romanorum regem ex mandato nostro legatione funguntur, de honore et exaltatione Romanae aecclesiae et de salute regni cum eo, auctore Domino, tractaturi, discretioni tuae attentius commendamus; rogantes, ut eos tamquam nosmet ipsos honeste recipere[a] ac modis omnibus studeas honorare et in suis oportunitatibus eis honorifice providere. Si enim matrem tuam ipsam Romanam ecclesiam recognoveris et ei studueris debitum servitium et honorem impendere, ipsa quoque te suum specialem filium recognoscet et[b] te curabit in tuis postulationibus celerius et facilius exaudire. Data Romae apud Sanctum Petrum 4 Kal. Ian.[c]

---

435. *Adrianus IV papa Bernhardo episcopo Paderbornensi et Gi. abbati Liesbornensi mandat, ut litterarum harum latoris causam disceptent.* (M. 437.)

1155 Ian. 3 Adrianus episcopus servus servorum Dei venerabili fratri B(ernhardo) Patherburnensi episcopo et dilecto filio Gi. Liesbornensi abbati salutem et apostolicam benedictionem.

Latoris presentium ad sedis apostolicae clementiam venientis conquestionem accepimus, quod quadam aecclesia, quam canonicę possidebat, á quodam sit presbitero contra iusticiam spoliatus. Ne igitur pro defectu iusticiae pauper iste cogatur sustinere iacturam, per presentia vobis scripta mandamus, quatenus utramque partem vestro faciatis conspectui presentari; et rationibus partium diligenter auditis et cognitis, causam ipsam mediante iusticia canonice[d] terminetis. Data Rome apud Sanctum Petrum 3 Non. Ianuarii.

---

a. recipe *cod.* b. et *addidi.* c. Iun̄. *c.* d. canonica *cod.*

436. *Arnoldus archiepiscopus Moguntinus Wibaldum de iniuriis sibi ab Hermanno comite palatino illatis certiorem facit. Rogat, agat, ut Fridericus I rex auxilio sibi sit.* (M. 438.)

A(rnoldus) Dei gratia Maguntinae sedis humilis minister 1155
W(ibaldo) reverendo Corbeiensis aecclesiae abbati salutem et intimam dilectionem.

Nonnullas gratiarum actiones vestrae referimus benignitati, quod tam fraterne, tam affectuose litteris vestris nos visitare curastis et, de statu domni regis et vestro per gratiam Dei prospero nos certificando, vulnus sollicitudinis de corde nostro amputare. Bonam igitur in vobis tamquam in fratre et amico fiduciam habentes, conquerendo notificamus vobis: quod palatinus comes de Reno[1], teste Deo nullam in nos causam habens, contra fidem et sacramentum, quo nobis erat astrictus, ex insperato, ex improviso aecclesiae Maguntinae et nobis cum nonnullis iniquitatis suae complicibus violentiae manus iniecit, castra nostra destruxit, homines nostros captivavit, curtes nostras non solum rapinis devastavit verum[a] etiam suae ditioni subiecit, sacra cimiteria et aecclesias spoliavit, ipsa altaria et venerabiles reliquias ornamentis suis denudavit, in monachorum irruens cenobia eorumque perfringens eraria, sacrilegam exercere rapinam non formidavit. Huius quoque iniquitatis auctores asserunt et ubique divulgant, se ex mandato domni regis aecclesiae Dei et nobis hanc iniuriam irrogare; quod utique eos, tamquam filios mendacii, scimus falso coniectasse. Fraternitatem igitur vestram, semper in bonis nobis expertam, quam intime deposcimus: ut, his pressuris nostris et tribulationibus condolendo, domno regi suggeratis, ut aecclesiae suae et nobis debito auxilio dignetur subvenire; et litteris suis ad partes nostras directis[2] falsos illos delatores super inprudentia mendacii, quo maiestatis suae fidem sincerissimam insimulare et incrustare presumebant, velit arguere et confutare.

a. uū *c.*

1. Hermannus. 2. ex Italia.

437. *Adrianus IV papa Wibaldo mandat, ut Berardingense et Rotense monasteria Friderico I regi commendet.* (M. 427.)

1155 Mart. 19 Adrianus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Stabulensi abbati salutem et apostolicam benedictionem.

Licet omnium aecclesiarum nobis cura et sollicitudo immineat, licet eas universaliter debeamus defendere, religiosa tamen loca nos convenit attentius confovere, et gratiora eis exhibere obsequia, qui, propria relinquentes, in domo Domini elegerunt abiecti et despicabiles remanere magis quam habitare in tabernaculis peccatorum[1]. In episcopatu siquidem Aretino quaedam monasteria esse noscuntur, Berardingorum[2] videlicet et sancti Petri de Rota, in quibus religiosi viri fratres Camaldulenses assidue student Domino deservire, qui, licet[a] sint rebus temporalibus pauperes, thesauro tamen indeficienti[3] locupletes esse creduntur. Pro ipsis itaque dilectionem tuae fraternitatis attentius exoramus, apostolicis litteris discretioni tuae mandantes, quatinus pro amore Dei, pro beati Petri et nostra reverentia, ita industria tua apud carissimum filium nostrum F(ridericum) illustrem atque catholicum Romanorum regem efficiat: ut predicti fratres suarum rerum ab his, qui sunt in exercitu, non possint sustinere iacturam; set potius, cum apud christianissimum principem de aliquo quęrelam protulerint, plenariam ab ipso valeant iusticiam obtinere. Data Romae apud Sanctum Petrum 14 Kal. Aprilis.

---

438. *Adrianus IV papa Arnoldo II archiepiscopo Coloniensi, Herimanno episcopo Constantiensi, Wibaldo monasterium S. Antimi commendat.* (M. 428.)

1155 Mai. 28 Adrianus episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Coloniensi archiepiscopo[4] et Constantiensi episcopo[5] et dilecto filio abbati de Stabulaus salutem et apostolicam benedictionem.

Tam rationis quam equitatis ordo expostulat et susceptae amministrationis officium vos invitat, ut piis ac religiosis locis

a. licēt *c.*

1. Ps. 83, 11. 2. sive de Fonte-bono. 3. Luc. 12, 33. 4. Arnoldo II. 5. Herimanno.

vestrae defensionis auxilium debeatis impendere et ea in sua 1155
iusticia modis omnibus confovere. Inde est, quod prudentiae Mai. 28
vestrae per apostolica scripta mandamus, ut monasterium sancti Antimi pro beati Petri ac nostra reverentia in iusticia sua manu tenere curetis, et secundum quod in privilegiis Romanorum imperatorum eidem monasterio indultis dinoscitur contineri, ad conservandam libertatem ipsius, prout expedire videritis, laboretis, quatinus dignas vobis gratiarum actiones persolvere et vestrae devotionis studium debeamus in hac parte non immerito commendare. Data Sutrii 5 Kal. Iunii.

---

439. *Adrianus IV papa Wibaldo suos ad Fridericum I regem legatos commendat.* (M. 430.)

Adrianus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Stabu- 1155
lensi abbati salutem et apostolicam benedictionem. Iun. 1

Experta iam in multis erga sacrosanctam Romanam aecclesiam dilectionis tuae sinceritas nullum dubitationis locum in animo nostro relinquit, quin de his, quae ad honorem eius pertinent, vigilans et studiosus existas. Sane nos dilectos filios nostros G(uidonem) tituli sanctae Potentiane, I(ohannem) tituli sanctorum Iohannis et Pauli presbiteros, et G(uidonem) sanctae Mariae in porticu diaconum cardinales, prudentes honestos ac litteratos viros et quos caros circa nos satis habemus, ad presentiam karissimi filii nostri F(riderici) illustrissimi Romanorum regis pro imminentibus negotiis decrevimus transmittendos. Quocirca dilectionem tuam monemus et exhortamur in Domino, quatinus eis apud eundem filium nostrum sicut nobis ipsis diligenter assistas, et sollicitudinem omnem adhibeas, ut ipsi ad honorem sacrosanctae Romanae aecclesiae iniuncta valeant negotia explicare. Data Sutrii Kal. Iunii.

---

440. *Adrianus IV papa Arnoldo II archiepiscopo Coloniensi, Eberhardo episcopo Bambergensi, Wibaldo mandat, ut monasterium Farfense Friderico I regi commendent.* (M. 431.)

Adrianus episcopus servus servorum Dei venerabilibus fra- 1155
Iun. 1

1155 Iun. 1 tribus[a] A(rnoldo) Coloniensi archiepiscopo et Bavenbergensi episcopo[1] et dilecto filio W(ibaldo) Corbeiensi abbati salutem et apostolicam benedictionem.

Quia Farfense monasterium ad ordinationem et dispositionem sedis apostolicae specialiter spectat, karissimum filium nostrum F(ridericum) illustrem Romanorum regem duximus exorandum, quatinus dilectum filium nostrum R(olandum) abbatem ipsius monasterii et monasterium ipsum pro beati Petri et nostra reverentia diligat, et litteras benivolentiae suae ipsi transmittat, in quibus gratiam et bonam voluntatem suam eidem abbati ostendat. Pro aliis etiam eidem gloriosissimo filio nostro in eisdem litteris preces porreximus, quae, si fuerint effectui mancipata, noscuntur ad utilitatem et reparationem ipsius monasterii procul dubio pertinere. Per presentia itaque vobis scripta mandamus, quatinus animum regis ad hoc inducatis, ut preces nostrae[b], quas super hoc ei porreximus, per studium vestrum celeriter auctore Domino compleantur, et ita verbo et opere iam dicto monasterio salubriter auxilii sui solatia subministret, ut nostras preces predictus abbas et fratres eius sibi sentiant profuisse et benivolum et efficacem defensorem se habere cognoscant. Data Sutrii Kal. Iunii.

---

441. *Adrianus IV papa Wichmanno archiepiscopo Magdeburgensi mandat, ut de Nortlandiae decimis iudicet inter Wibaldum et Philippum episcopum Osnabrugensem.* (M. 413.)

1155 Iul. 11 Adrianus episcopus servus servorum Dei venerabili fratri W(ichmanno) Madenburgensi archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii nostri W(ibaldi) Corbeiensis abbatis relatione accepimus, decimas villarum suarum de Northlandia, commisso sibi monasterio quondam iniuste ablatas, á venerabili fratre nostro Ph(ilippo) Osenbruggensi episcopo et quibusdam aliis eius nomine detineri. Quocirca per[c] presentia scripta fraternitati tuae mandamus, quatinus utramque partem ante tuam presentiam evoces

a. fratribus *addidi.* b. nostras *c.* c. per *om. cod.*

1. Eberhardo.

et, rationibus utriusque partis diligenter auditis et ea qua convenit subtilitate discussis, quod iustum inde fuerit, iudices et, quod iudicaveris, remoto dilationis obstaculo, facias adimpleri. Data in territorio Tusculani 5 Idus Iulii. 1155 Iul. 11

---

442. *Conradus abbas Paderbornensis Wibaldo reditum gratulatur. Dolet, quod ad eum non accesserit.* (M. 410.)

..... abbati C(onradus) humilis abbas vocatus Paterburnensis[1] se ipsum integre cum omni devotione. 1156 Iul. Aug.

In reditu vestro[2] illud Virgilianum, tamquam specialiter de vobis fuerit prolatum, occurrit et firmiter insedit animo meo:

O lux Dardaniae, spes ó fidissima Teucrum,
Quae tantae tenuere more? quibus Hector ab horis
Expectate venis?[3]

Gratias igitur omnipotenti Deo, qui vos incolumem reddidit et in hoc supplicum suorum preces exaudivit. Sed doleo et mihimet iratus ad dignam penam me offero, quod nuper, cum per nos[4] transiretis, ego vobis non occurri et diu desideratum vultum vestrum cer(nere non merui[a]) ...... quem et usque dum videam, anima mea renuit consolari. Bene tamen veneritis et optime in Domino valeatis.

---

443. *Wernherus episcopus Mindensis Wibaldo de reditu gratulatur. Quem suae tutelae commendasset, eum nuntiat ab Ottone comite mulcatum esse.* (M. 411.)

Reverendo domino sanctae Corbeiensis aecclesiae abbati W(ibaldo) per misericordiam Dei W(ernherus) id, quod est[b] in aecclesia Mindensi, assiduas orationes in Domino cum fideli devotionis obsequio. 1156 Iul. Aug.

Sanctitati vestrae omnem reverentiam et devotionis obse-

a. nere non merui *addiderunt Martene et Durand.* b. est *addidi.*

1. Abdinghofensis. 2. Wibaldus, m. Aug. 1155 ex Ancona in Graeciam missus (Otto Fris. Vit. Fr. II. 45), circ. d. 13 Iun. 1156 Wirzeburgum ad Fridericum I imp. rediit (v. diploma in Mon. Boic. 29. 1, 321). Iansseniua, Wibald von Stablo p. 231. 232, variis erroribus ducitur. 3. Virg. Aen. 2, 281—283. 4. per Paderbornam.

1156 Iul. Aug. quium exhibere cupientes, de reditu et sospitate vestra quam plurimum gaudemus, et ad omnia, quae vestra paternitas nobis mandaverit, servire parati erimus. Dum hanc terram in obsequio regni exiretis[1], presentium latorem cum rebus suis nostrae tutelae committere voluistis; quem nos cum omnibus suis infra terminos nostros et extra illesum et intactum pro amore et memoria vestra custodivimus. Sed dum in quodam foro pro negotiis suis esset, comes Otto hunc pauperem, quasi á sua advocatia profugum, comprehendit, coartavit, donec decem marchas ei persolvit. Pro quibus domum suam exposuit, quam in civitate nostra habuit; quam usque ad hanc diem supercrescente fenore redimere non potuit. Vestri itaque[a] dispendia et dampna graviter ferentes et in hac parte eum consolari non valentes, paternitatem vestram devote rogamus, ut, consolatione vestra accepta, ad nos cum gaudio revertatur; quia pro reverentia vestra eum custodire et manutenere non desistemus.

---

444. *Wichmannus archiepiscopus Magdeburgensis Philippum episcopum Osnabrugensem Merseburgum vocat.* (M. 414.)

1156 exeunte W(ichmannus) Dei gratia Magdeburgensis aecclesiae utinam non indignus minister Ph(ilippo) Osenbrugensi episcopo salutem et fraternam dilectionem.

Domnus W(ibaldus) abbas Corbeiensis super quarundam decimarum repetitione, quas sibi iniuste ablatas et á vobis detineri conqueritur, á domno papa me sibi iudicem constitui postulavit et obtinuit. Igitur domni papae mandato astricti et, sicut ex tenore litterarum suarum[2] potestis cognoscere, vicem eius, ipsius auctoritate, in hac causa gerentes, quoniam oportet et sanum est nos obedire, fraternitati[b] vestrae mandando precipimus, quatinus 10 Kalendas Februarii[3] presentiam vestram nobis in Mersburg exhibeatis. Ibi siquidem domni abbatis predictam querimoniam et vestrum responsum audiemus et, subtiliter hinc et inde rationibus cognitis, aequitatem iudicii diffiniemus.

---

a. uñ *iterum in cod.* b. fraternitate *c.*

1. anno 1154. 2. ep. 441 supra p. 574. 3. 1157 Ian. 23.

445. *Wichmannus archiepiscopus Magdeburgensis Wibaldo de superiore epistola significat.* (M. 415.)

W(ichmannus) Dei gratia Magadeburgensis archiepiscopus 1156 dilecto in Christo fratri W(ibaldo) venerabili Corbeiensi abbati exeunte fraternum cum orationibus obsequium.

Super negotio vestro quid nobis a domno papa sit iniunctum, domno episcopo Osenbruggensi scripsimus; eique, ut suam nobis presentiam in Mersburg exhibeat 10 Kal. Februarii, auctoritate apostolica iniunximus. Quod ideo fraternitatem vestram volumus scire, ne ante diem prenominatum festinetis venire.

---

446. *Wibaldus a Friderico I imperatore petit, ut de Nortlandiae decimis sua causa Wichmanno archiepiscopo Magdeburgensi scribat. Queritur de Widekindo de Sualenberg, Thiderici comitis percussore, et de comite Tekeneburgensi, bonorum Corbeiensium invasore.* (M. 412.)

Inclito triumphatori et glorioso domino suo F(riderico) Dei 1156 gratia Romanorum imperatori augusto, a Deo coronato, magno exeunte et pacifico, frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, in eo imperare et regnare, qui dat salutem regibus[1].

Licet rerum vestrarum statum et victoriarum vestrarum gloriam per sacratissimos affatus vestros cognoscere non meruerimus, tamen, quoniam fama referente, quae interdum[a] incerta pro veris spargere solet, de sospitate et prosperitate vestra verbum bonum, verbum consolatorium accepimus, omnium bonorum largitori devotas et assiduas grates referimus; supplici prece cum fratrum nostrorum collegio Dei misericordiam deprecantes, ut vobis longevos dies tribuat et eosdem semper in sua pace feliciter disponat et omnes inimicos vestros sub pedibus vestris celeriter conterat.

Suggerimus autem serenitati vestrae, quod Osnebruggenses episcopi quasdam decimationes non parvae utilitatis in Nortlandia Corbeiensi aecclesiae iam per longa tempora abstulerunt. In cuius

a. interdum interdum *cod.*

1. Ps. 143, 10.

1156 exeunte detrimenti reclamatione nos, divina et vestra freti gratia, in tantum processimus, quod domnus papa vices suas in hac causa domno Magedeburgensi archiepiscopo[1] commisit[2]; qui etiam tam nos quam domnum Osnebruggensem episcopum[3] ad presentiam suam in civitate Merseburch vigesima die mensis Ianuarii[4] evocavit. Quam ob rem clementiam vestram, de qua non parum confidimus, obnixe flagitamus, ut eidem domno archiepiscopo imperiales apices destinare dignemini, quatenus pro vestrae iussionis reverentia causam nostram benigne suscipiat et sine dilationis impedimento difiniat; nec aecclesiae Corbeiensi aliquatenus obsistat, quod dono et privilegiis antecessorum vestrorum easdem decimationes á fundatoribus suis accepit, et longis temporibus in quiete et pace possedit, et sine omni iuris ordine per manifestam violentiam amisit.

Preterea, maiestatis vestrae pedibus et animo et corpore advoluti, iteratam querimoniam ad vestrae celsitudinis aures referimus de occisione Thiderici comitis de Huxara, qui in expeditione vestra Italica nobis strennue ac fideliter servivit; quem domnus Widekindus de Sualenberch, sedentem in iuris ditione sua, quam hereditariam sibi a nobis iure obtinuerat, super consecratum aecclesiae murum propriis manibus cum satellitibus suis interemit.

Insuper tam nos quam omnes fratres nostri potentiae vestrae flebiliter conquerimur, quod comes de Tekeneburch bona nostra et fratrum nostrorum et pauperum, qui de hospitali vivunt, violenter occupavit; volens nos predis et rapinis perurgere, ut predium quoddam, quod aecclesia Corbeiensis in tempore quatuor predecessorum nostrorum abbatum quiete possedit, nos absque ulla legum ratione dimittamus; cum nos parati simus et ei multociens optulerimus, in vestro iudicio sive ducis sive comitis nos pro eodem predio velle stare et, si per legem amiserimus, sine impedimento á possessione recedere.

1. Wichmanno. 2. v. ep. 441 supra p. 574. 3. Philippum.
4. 1157 Ian. 20.

447. *Fridericus I imperator Wichmannum archiepiscopum Magdeburgensem hortatur, ut in discernenda Wibaldi et Philippi episcopi Osnabrugensis controversia privilegia Corbeiensia tueatur.* (M. 417.)

F(ridericus) Dei gratia Romanorum imperator augustus dilecto suo W(ichmanno) Magdebruggensi archiepiscopo gratiam suam et omne bonum. 1156 post Dec. 25

Serenissimi imperatores, nostri utique predecessores, divino edocti spiritu sanxerunt, ea, quae ad beatissimae iura spectant aecclesiae, tamquam ipsam sacrosanctam et religiosam aecclesiam venerabiliter ab omnibus illibata custodiri, et ea potissimum, quae ab imperiali domo ad quodcunque religiosum collegium collata sunt, nulla vi aut dolo aut aliquo temerarii contractus nomine alienari. Horum utique rationabilibus inherere vestigiis, pietatis nostrae est propositum; et omnibus ecclesiis Dei, maximęque his, quae imperiali specialiter ditioni subesse noscuntur, iura et possessiones earum conservare, humanitatis nostrae est intentio. Unde, quoniam á pontifice almae nostrae urbis Romae iudicem te ordinatum esse cognovimus super negotio, quod inter venerabiles principes nostros, abbatem Corbeiensem et episcopum Osembrugensem, actitatur super quibusdam decimis, a divae recordationis Luodewico imperatore augusto Corbeiensi aecclesiae collatis, sed postea nescio quo alienationis titulo ad episcopatum Osembrugensem translatis, prudentiam tuam exoratam esse volumus, ut, tenore privilegiorum Corbeiensis aecclesiae diligenter considerato, debitum et optatum finem eidem causae imponas.

---

448. *Fridericus I imperator Wibaldo rescribit de Burgundiae negotiis, de curia Spirensi habita, de curia Ulmensi celebranda. Posthac eum inferiores Rheni partes secum accedere vult. De iniuriis eius vindicandis addit.* (M. 418.)

F(ridericus) Dei gratia Romanorum imperator augustus dilecto suo W(ibaldo) venerabili Corbeiensi abbati gratiam suam et omne bonum. 1156 post Dec. 25

De statu nostrae prosperitatis te tanquam specialem nostrum

1156 post Dec. 25 gaudere non dubitantes, eruditionem tuam scire volumus, quod nos, compositis in Burgundia magnifice nostris negotiis, ipsius favente clementia, qui dat salutem regibus[1], prospero itinere ad
Dec. 25 partes Reni sumus reversi et natale Domini apud Spiram gloriose celebravimus.

Curiam quoque in purificatione sanctae Mariae[2] pro bono pacis firmando apud Ulmam habituri sumus. Qua finita aptatisque illius terrae negotiis, ad inferiores Reni partes accedere statuimus, ut cornua superbiae eorum, qui manus suas in serenissimum imperium nostrum extendere ausi sunt, in brachio virtutis nostrae ita recidamus, ut filii et nepotes eorum exemplo patrum correcti discant imperio se non opponere, sed eius mandatis debito honore et reverentia subiacere. Ad quod celeriter peragendum te tanquam precordialem nostrum invitamus.

Quae in litteris tuis[3] a nostra serenitate expostulasti, pro commodo causae tuae fieri iussimus, ipsi Deo auctore iniuriam tuam debita severitate suo loco et tempore ulcisci cupientes.

---

449. *Etelgerus refert, quae detrimenta ecclesia S. Margarethae ceperit.*

1156 1157 Domnus H(artwicus) archiepiscopus[4] ab hominibus aecclesiae sancte Margarete 100 marcas denariorum accepit ea conditione, ut sui centuriones et villicationes provisorum terras possessionum secundum voluntatem eorum exponerent et potestatem disponendi et vendendi haberent. Provisores vero aecclesiae hac de causa ab omni usuaria utilitate aecclesiae sequestrati sunt. Ob hanc itaque causam homines, qui colebant terras aecclesiae, libere vendunt cuicumque voluerint easdem terras absque consilio et absque respectu villici vel provisoris aecclesiae. Constitutum erat, ut villicus aecclesiae singulis annis daret ad prebendam fratrum unam mesam fabe. Hanc idem villicus de proprio per octo annos restituit, quia iam per octo annos ex parte domni episcopi ei

1. Ps. 143, 10. 2. 1157 Febr. 2. 3. ep. 446 supra p. 577.
4. Bremensis.

sublata fuit[1]. Gerardus, frater Wasmodi, Hartgoto villico aecclesiae iam per annos octo tulit duos mansos, quos habuit in beneficio, sitos in villa Bennedestorph. Robertus Mule[2] 8 mancipia aecclesiae tollit. De cetero, domine, si detrimentum istud aecclesiae vestrae illatum non contradixeritis, nunquam eadem aecclesia recuperabit. Eppe de Bilverstide unum mansum dicit se habere in beneficio; Heinricus filius Manegoldi unum mansum in Hepstide et alium in Brettorpe; Adico mansum unum in Kadingis. 1156 1157

In Bertesfleit Ricbertus advocatus de Staden[3] 5 mansos dicit se habere in beneficio de villicatione mea, tres quoque in Tuilenfleit, et tres homines, qui novam terram habuerunt et ad edificationem domus vestrae pertinebant, carpentarius quoque unus, plurimi etiam qui annualem solidum persolvere debuerant. Quos omnes idem Ricbertus sibi beneficiatos dicit. In Betesfleit mansum unum Robertus Mule, mansum, domum[a] cum omnibus pertinentiis suis vendidit, qui erat beneficiatus Hartgoto villico vestro, de villicatione mea. Hartwardus de Windele mansum unum, qui iacet Halstenfleit, habet, quem debuit villicus iure habere. Dimidium mansum idem Hartwardus habet, qui iacet Mulesla, unde cera debuit provideri. Adiko mansum unum habet in Tuilenfleit et alium in Kadingis. Heremannus de Poppenburstade[4] mansum unum in Waldersede. Arnoldus tres mansos habet Gozstade, unde 31 porci exigebantur et omnia lignorum edificia. Thiezo de Liendenha[5] mansum unum habet in Cleten, qui est beneficiatus Heinrici capellani vestri. Domnus[b] H(artwicus) archiepiscopus ab omnibus hominibus aecclesiae sanctae Margaretae 100 marcas denariorum accepit ea conditione, ut sui centuriones et villicationes provisorum terras possessionum secundum voluntatem eorum exponerent et potestatem disponendi et vendendi habe-

a. *sic cod.* b. Domnus — sequestrati sunt *iam supra leguntur.*

1. Itaque cum Hartwicus anno 1148 ecclesiae Bremensi praefectus sit, relatio haec non ante annum 1156 scripta est. 2. de quo v. Annales Stadenses (Mon. Germ. SS. XVI. 320). 3. de Ricberto advocato Stadensi vide quae attulit Lappenberg in Mon. Germ. SS. XVI. 376. 4. de quo cf. Annales Stadenses l. l. 320. 5. de Tezone de Lindena v. Annal. Stad. l. l.

1156 1157 rent. Provisores vero aecclesiae hac de causa ab omni usuaria utilitate aecclesiae sequestrati sunt. Liberi homines de Kadingis fatentur, iure pertinere centuriatum de terra illa sanctae Margaretae, exceptis his, quae vobis, domine, exposui. Nichil aliud in villicatione mea retinui, nisi tantum 12 mansuum provisionem. Thiezo supra dictus 4 mancipia habet, qui iure ad villicationem meam pertinent. Ego Etelgerus vobis dico.

---

450. *Wichmannus archiepiscopus Magdeburgensis Wibaldo scribit, Philippus ep. Osnabrugensis quid sibi responderit; seque colloquium Merseburgense die statuto habiturum esse.* (M. 416.)

1157 Ian. in. W(ichmannus) Dei gratia id, quod est in aecclesia Magdeburgensi, dilecto in Christo fratri W(ibaldo) venerabili Corbeiensi[a] abbàti orationis atque servicii affectuosam exhibitionem.

Super negotio vestro quid nobis á domno papa sit iniunctum, domno Osenbruggensi significavimus[1]. Locum ei in Mersburg, diem quoque 10 Kalendas Februarii denotavimus. Nullum vero aliud responsum ab ipso adhuc accepimus, preter quod, nuntio nostro attestante, aiebat: se potius velle episcopatum dimittere, quam decimas illas, quas aecclesia sua sexaginta et amplius annis quiete possedit, sui episcopatus tempore perdere. Per eundem tamen nuntium verbis et non scripto mandavit: se nobis omnem, quam deceat, reverentiam libenter exhibere; super hoc autem verbo totius aecclesiae suae tam cleri quam populi consilium se velle habere, ipsumque consilium per honestas et maiores eiusdem aecclesiae personas nobis usque ad epiphaniam[2] ostendere. Unde, omnibus aliis omissis, unum hoc fraternitati[b] vestrae respondemus, quod, vitae nobis incolumitate servata, 10 Kal. Februarii — ita enim ex consilio ordinavimus — in loco condicto erimus et, sive domnus Osenbruggensis veniat sive non, secundum consilium fratrum et coepiscoporum nostrorum debita iusticia, quantum in nobis erit, desiderium vestrum non fraudabimus. Exemplum litterarum, quod petivistis, misimus; aliud non accepimus.

a. Corbeiensis *c.* b. fraternitate *c.*

1. ep. 444 supra p. 576. 2. 1157 Ian. 6.

451. *Wernherus episcopus Mindensis Wichmanno archiepiscopo Magdeburgensi excusat Philippum episcopum Osnabrugensem, ob valetudinem Merseburgum non venientem.* (M. 419.)

Reverendo domino sanctae Magetheburgensis ecclesiae archiepiscopo W(ernherus) per misericordiam Dei id, quod est in ecclesia Mindensi, assiduas orationes in Domino cum fideli devotionis obsequio. 1157 Ian.

Apostolicae sedi omnem reverentiam et vestrae paternitati omne devotionis obsequium exhibere cupientes, divinae miserationi gratias referimus, quod domnus papa adeo vestram probavit experientiam, ut alta et sublimia aecclesiarum negotia ad vestrae discretionis transmitteret diligentiam. Venerabilis siquidem frater noster Philippus Osenbruggensis episcopus, vestram ex mandato domni papae aditurus presentiam, in Mindensi loco apud nos receptus est hospicio; set in ipso processu itineris magna nimis eum egritudo occupavit. Prius quidem ob magnitudinem infirmitatis suae multas passiones sustinuit, set ex labore itineris eadem ipsius infirmitas usque ad defectum corporis eius excrevit. Eodem itaque venerabili fratre nostro ad Hildenesheimensem civitatem descendente, et nobis vias eius comitantibus et usque ad aspectum vestrum ipsum perducere volentibus, tanta nobis ipsius egritudo innotuit, quod nullatenus procedere potuisset, quem tam inmoderata infirmitas ante et in via apprehendisset. Vestram itaque hactenus nobis in omnibus bonis expertam benivolentiam cum omni diligentia deposcimus, quatenus ob hanc necessitatem prenominati domni Philippi episcopi absentiam intuitu nostrae devotionis et servitii misericorditer sufferatis; atque personas honorabiles, presentium presentatores, legationem ipsius ad vestram prudentiam deferentes, misericorditer remittatis; et dilectum domnum Corbeiensem, ut ab hoc verbo desistat, paterne commoneatis.

452. *Fridericus episcopus Monasteriensis Wichmanno archiepiscopo Magdeburgensi Philippum episcopum Osnabrugensem commendat.* (M. 420.)

1157 Ian. Domno Wicmanno archiepiscopo reverendo Fridericus Monasteriensium humilis minister intimum servitii et orationis affectum.

Pertulit ad nos domnus Osenburgensis episcopus[1] gravaminis sui causam; et condoluimus, tum quia infirmus est et laborare non potest, tum quia Corbeiensis abbas iniuriam ei videtur inferre. Eapropter excellentiam vestram commonitam esse cupimus et rogamus obnixius, quatenus eum, tamquam seniorem et coepiscopum, manu teneatis et nullam omnino ei iniuriam fieri sinatis. Perspicuum est enim, ut, si forte, quod absit, unus opprimatur, ad plures tam episcopos quam archiepiscopos tantum inconveniens derivetur. Valete.

---

453. *Bruno episcopus Hildesheimensis Wichmanno archiepiscopo Magdeburgensi excusat morbum Philippi episcopi Osnabrugensis Merseburgum non venientis.* (M. 421.)

1157 Ian. Reverendo domno W(ichmanno) sanctae Magetheburgensis ecclesiae archiepiscopo B(runo) Dei gratia Hildenesheimensis humilis minister devotas orationes in Domino et servitium.

Venerabilis frater noster Philippus Osenbrugensis episcopus vestram ex mandato domni papae ad negotium domni Corbeiensis abbatis aditurus presentiam, in ipso processu itineris magna nimis occupatus est egritudine. Prius quidem ob magnitudinem[a] infirmitatis suae multas et graves passiones sustinuit, verum ex labore inchoati itineris eadem ipsius infirmitas vehementer augmentata fuit. Eodem itaque prefato venerabili fratre nostro iam dicto itinere ad nos in civitatem nostram descendente, tanta nobis ipsius egritudo innotuit, quod nullatenus processisse potuisset, nisi vitae suae conservationem omnimodis postponere vellet. Vestram itaque actenus nobis exibitam benivolentiam cum omni

a. magnitudinis *c.*

1. Philippus.

diligentia deposcimus, quatinus ob hanc necessitatem prenominati 1157
domni P(hilippi) episcopi absentiam intuitu nostre peticionis et Ian.
servitii pacienter sufferatis; atque personas honorabiles, presentium presentatores, legationem eius ad vestram prudentiam deferentes, misericorditer et in dilectione remittatis. Ipse etenim, divina gratia ab imminenti periculo ereptus, ubi et quando sibi vestra sublimitas significaverit, pro prenotato negotio absque tergiversatione se vestro conspectui presentabit. Gratia Dei vobiscum.

---

454. *Adrianus IV papa Wibaldo scribit, se fidem non tribuere iis, qui eum dicant in Graecia adversus ecclesiam Romanam stetisse. Monet, ut Friderici I imperatoris suasoribus obnitatur.* (M. 439.)

Adrianus episcopus servus servorum Dei dilecto filio W(ibaldo) 1157
Stabulensi abbati salutem et apostolicam benedictionem. Ian. 19

Devotionem illam, quam, dum presens esses, discretio tua nobis exhibuit, adtendentes, nichil aliud de persona tua, quam quod probo viro et devoto filio conveniat, arbitramur. Inde siquidem est, quod, licet plurimi astruere moliantur, quod multa in Grecia preter eam quam de te habemus opinionem contra nos et matrem tuam sacrosanctam Romanam aecclesiam fueris machinatus, nos tamen huic assertioni fidem nolumus adhibere; quoniam ea devotio, quam coram positus nobis exhibuisti, talia nos credere non permittit. Caeterum quia, ut ait quidam, sequens vita iudicat de priori, ex futuris attendimus, quid de predictis credere debeamus. Quoniam igitur circa karissimum filium nostrum F(ridericum) Romanorum imperatorem quidam esse dicuntur, qui ad hoc modis omnibus elaborant, ut in animo eius sacrosanctae Romanae aecclesiae devotionem extinguant, dilectioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus iuxta prudentiam tuam pravis suggestionibus illorum obsistas, et predictum imperatorem in veneratione apostolicae sedis, sicut debet, moneas permanere, ita ut á bono et recto sensu nullius penitus suggestionibus moveatur. Ex hoc enim nosse poterimus, quid de animi

1157 Ian. 19 tui devotione sine dubitatione aliqua tenere possimus. Data Laterani 14 Kal. Februarii.

---

455. *Wichmannus archiepiscopus Magdeburgensis Adriano IV papae significat, de Wibaldi et Philippi episcopi Osnabrugensis controversia quid actum sit.* (M. 422.)

1157 post Ian. 23 Adriano Dei gratia sanctae Romanae aecclesiae summo et digne reverendo pontifici W(ichmannus) Magdeburgensis provisor humilis tam voluntariam quam debitam obedientiam cum orationibus ac fideli servitio.

Super querimonia, quam domnus W(ibaldus) Corbeiensis venerabilis abbas adversus domnum Ph(ilippum) venerabilem episcopum Osenbrugensis ecclesiae habet pro quibusdam decimis, ecclesiae Corbeiensi ab Osenbrungensibus iniuste, sicut asserit domnus abbas, ablatis, iniunxit nobis paternitas vestra, quatinus utramque partem in presentiam nostram evocaremus et, utriusque partis auditis allegationibus, causis etiam hinc et inde diligenter discussis, finem debitum tantae controversiae inponeremus. Cuius rei gratia litteris ad utrosque directis locum[1] et diem certum[2] eis prefinivimus, nec non ad cooperandum nobis in discussione tanti negocii suffraganeos ecclesiae nostrae episcopos eodem ascivimus. Venit dies, venimus et nos cum fratribus et coepiscopis nostris ad locum prefinitum[3], domnus etiam abbas cum ecclesia sua Corbeiensi presentiam suam nobis obedienter exibuit; solus ex omnibus, qui vocati fuerant, domnus Osenbrugensis non affuit, duos tamen ex canonicis ecclesiae suae T(hidericum) et Theth(ardum) nuncios pro se misit. Ventum est ad causam, lecta est ibi seriatim Corbeiensium querimonia, non de novo, non de nichilo, sicut intelligi dabatur, exorta, set coram dominis ac patribus nostris Romanis pontificibus ex antiquo ven-

1. Merseburgum. 2. d. 23 Ian. 1157. 3. Vidi Bambergae apud professorem de Reiders tabulam Wichmanni archiepiscopi, datam Merseburgi in generali concilio die 24 Ianuarii a. 1157 indict. 5; qua teste interfuerunt synodo episcopi hi: Gerungus Misnensis, Iohannes Merseburgensis, Bertholdus Numburgensis, Wikerus Brandenburgensis, Walo Havelbergensis.

tilata. Cuius serie audita, assurrexerunt[a] predicti nuntii asserentes, domnum suum episcopum pro reverentia et mandato vestro iter quidem post nos arripuisse, non modicum viae spatium de domo sua processisse, set in ipso quo veniebat itinere tanta corporis invalitudine pregravatum, ne ultra posset procedere; eaque necessitate ipsum eo, unde venerat, non sine gravi labore fuisse reversum. Addideruntque, eum, reddita sibi sanitate, libenter ad nos alio loco alio tempore venturum. Quorum assertionibus ut pronior adhiberetur fides, litteras domnorum episcoporum Hildenesheimensis et Mindensis[1], qui eundem episcopum in domo quisque sua collegerat, pre manibus habebant, quarum eadem fuit continentia, quam nuntiorum sonuerant verba. Quibus cum necdum adhuc ad plenum crederetur, dixerunt, se velle iuramento monstrare, dominum suum non venisse, non ideo, quia venire non voluit, set quia venire non potuit. Domnus abbas e contra: *Non leviter* inquit *hoc iuramentum prestabit nobis fidem tante imbecillitatis in domno Osenbrugensi; quia, qui potuit in sua redire, nisi voluntas defuisset, potuit et prodire.* Addidit quoque, domnos episcopos, quorum littere ibi lectae fuerant, de re non satis certa minus caute testificatos esse. Cumque in hunc modum hinc et inde disceptarent, domnus abbas ante expectatum[b] appellavit in hec verba:

1157 post Ian. 23

Ego Wiboldus Dei gratia Corbeiensis abbas appello domnum papam Adrianum et provoco ad presentiam eius domnum Philippum Osenbrugensem episcopum, responsurum domno papae et nobis in octava sancti Martini episcopi[2] de decimationibus baptismalium aecclesiarum in Nortlandia: Wrederen, Meppie[3], Aschenthorp[4], Loninge, Visbike, cum suis antiquis terminis, quas decimationes Corbeiensi ecclesiae iniuste aufert. Provoco et Thide(ricum) prepositum et magistrum Thiethardum, qui ad gravamen causae nostrae de re incerta iurare volunt, prescripta die in presentia domni papae responsuros[c].

a. *sequitur* q̧c *in cod.* b. iudicium *excidisse videtur.* c. responsurus *c.*

1. ep. 451 et 453 supra p. 583 et 584. 2. Nov. 18. 3. Meppen. 4. Aschendorf ad Amisiam fl., a Meppen ad septemtriones.

1157 post Ian. 23 Audita appellatione, nichil ultra in causa procedere presumpsimus; set vestro, pater venerande, iudicio examinandum relinquimus.

---

456. *Fridericus I imperator Wibaldum Noviomagum vocat. Scribit de belli Apuli consilio omisso et de Mediolanensi bello indicto. Rogat, ut Beatricis imperatricis sigillum Aquisgranum afferat*[1]. (M. 423.)

1157 Mart. Fredericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus W(ibaldo) dilecto suo Corbeiensi et Stabulensi abbati gratiam suam et omne bonum.

Quod fama predicat, operum censura declarat: quia persona tua, plurimis ornata virtutibus, ammirabili constantia et fidei puritate prefulget, atque difficilius á fidelitate imperii quam sol á sua claritate discedit. Quare de tua honestate omnimodis confidentes, graviora imperii negotia tuo ducimus[a] tractanda consilio; et sicut es fide ac probitate precipuus, sic te in nostris negotiis primum et assiduum esse desideramus. Quod autem iam longo tempore personam tuam ad nos venire non iussimus, causa fuit, quia de inmensis Ytalicae expeditionis et Grecae legationis laboribus nuper reversum[2] diuturne pausationis licentia placandum esse putavimus; causa etiam fuit, quia nusquam tuis partibus in tantum approximavimus, ut te ad nos sine difficultate tua vocare possemus.

Nunc autem, quia statim post pasca[3] versus inferiores partes iter dirigimus[4], omnia illius provinciae negotia sapientiae tuae consilio tractare volentes, rogamus, ut in tercia dominica post pascha[5] apud Novimagum nobis occurras.

Preterea scire te volumus, quod expeditionem, quam[b] apud Wirzbur[6] in Apuliam[c] indiximus, ex quo Grecorum gentem de

a. dicimus *c.* b. proxime *additum est in Friderici de eadem re epistola ap. Ottonem Frising. Vit. Friderici L. II. c.* 30. c. Apuleiam *c.*

1. Hanc epistolam spatio dierum 24 et 31 Martii 1157 scriptam esse, facile intellectu est. 2. circ. d. 13 Iunii 1156; v. supra p. 575 n. 2. 3. Mart. 31. 4. cf. ep. 448 supra p. 580. 5. Apr. 21. 6. Fridericum Wirzeburgi d. 16 Mart. 1157 fuisse, docet diploma eius in Mon. Boic. VI. 171.

Apulia exterminatam esse comperimus, principibus duximus relaxandam; 1157 Mart. illis specialius necessitatibus intendentes, quibus honor imperii magis opprimitur et quas amplius dissimulare cum honore nostro nec possumus nec debemus: Mediolanensis dumtaxat populi superbiam ac temeritatem, qua aecclesiae et civitates Lonbardiae, sicut optime nosti, multifarię destructae sunt et cotidie ad contumeliam imperii destruuntur. Quorum intentiones nisi nostra potentia celeri virtute preveniat, gravior inde imperio horror emerget. Inde est, quod in die Palmarum Fulde ex consilio prin- Mart. 24 cipum expeditionem indiximus Mediolanum, á proxima vigilia pentecosten futura usque annum[1], Ulme promovendam. Quam expeditionem prudentiae tuae sub obtentu gratiae nostrae[a] iniungimus.

Rogamus, ut, sicut nostrum sigillum convenienti dispositione de tuo arbitrio ordinasti, ita etiam dominae tuae[2] sigillum sine mora studeas informare et ad nos Aquisgrani sculptum[b] afferas et bene politum.

---

457. *Canonicus regularis S. Aegidii Leodiensis Wibaldo malignas quaestiones proponit.* (M. 372.)

Domno Gwi(baldo) quidam suus gratiam Dei, custodiam sui. 1157 Mart. Apr.

Apostolicę sapientibus et insipientibus debitor estis[3]. Mihi igitur insipienti tamquam debitor respondere dignemini. Quidam dicunt, ordinem nostrum non debere abbatem habere, quia hoc Augustinus non constituit; et conversos nos esse; et ideo nec clericos nec monachos dici debere. Qui hoc dicunt, non se satis discernunt et quod beatus Benedictus — qui simplicem poenitentiam instituit monachis nec baculum pastoralem nec gradus aecclesiasticos — scripsit eis. Quare, si ab aecclesia quaedam accipiunt, ab eadem quaedam nos accipere nolunt? Quod nos conversos appellant, in hoc, velint nolint, apostolis consociant, qui conversi sunt ad Dominum; in hoc nichilominus monachis nos coniungunt, qui similiter convertuntur ad Dominum. Qui

a. nostrae *addidi.* b. scuptum *cod.*

1. i. e. in diem 7 Iunii 1158. 2. Beatricis imperatricis. 3. Rom. 1, 14.

1157 Mart. Apr. autem nostra pro sua novitate infirmant, sua pro illorum vetustate affirmant, manifeste falluntur, quia tempus nichil in hoc conferre probatur; et tales Oratius irridet:

Qui non suscipiunt, nisi quod Libitina sacravit[1].

Clerici autem, qui principaliter debent episcopis subesse, tantum deiciunt dignitatem suam sub abbate, quantum inferior est abbas pontifice. Horum omnium quid certius tenendum sit, decernite nobis. Valete. Quid abbas Sancti Laurentii[2] per pastoralem baculum debeat dare abbati Sancti Egidii[3] certificate nobis[4]. Curam enim animarum, quae est episcopi, dare non poterit; fundos non dabit, quia baculus[a] contradicit, qui spiritualia innotescit. Set abusio est legis contradictio.

---

458. *Wibaldus ad superiores litteras non sine castigatione respondet, ad Friderici I imperatoris curiam profecturus.* (M. 373.)

1157 Apr. Frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, cuidam suo et omnibus amicis conscientiam sibi et famam proximo.

Acceptis litteris eruditionis tuae, in quibus, subpresso nomine tuo, multiplices nobis quaestiones proponis, recordati fuimus euangelicae parabolae de grano synapis, quod, inter omnia semina minimum, si in terram bonam ceciderit, in tantum crescit, ut volucres coeli tamquam in arbore nidificare possint. Ita litterae tuae spacio breves, set sensibus spaciosae, si ab erudito responsore tractentur, et in altum crescere et odorem reddere non sine aliquo acredinis sapore poterunt. Verum nobis, iam et in laboribus plurimis et in anxiis ac frequentibus periculis longo tempore exercitatis, et deficiente capitis et oculorum valitudine — nunc ad sequendam imperatoris nostri curiam accinctis[5] — etiamsi aliquando talium rerum peritia, quod quidem de nobis nec sentimus nec dicimus, suppeditasset; tamen in tanta studii

a. bacl's *c.*

1. Hor. Ep. II. 1, 49: „Miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit". 2. Leodiensis. 3. Publici montis Leodiensis. 4. De horum abbatum controversia cf. ep. 395 supra p. 526. 5. v. ep. 456 supra p. 588.

et lectionis dissuetudine sufficere ad respondendum, precipue cum temptantis animo interrogaveris, non possemus. 1157 Apr.

Set hoc tibi ad presens responsum sit, quod et auctoritas et ratio docuit et antiquitas longeva observavit. Moyses, qui, in heremo degens, cum fugeret regem Aegypti, virgam habuit, dux primus et previus monachorum fuit. Ad ipsum Dominus dixit: *Quid tenes in manu?* At ille respondit: *Virgam*[1]. Quam iubente Domino cum in terram proiecisset, mirabili et mystica conversione et in serpentem et in se ipsam mutata est. Aaron pontificum princeps virgam habuit, quae in testimonium mandati á Deo sacerdotii sui floruit et fructus edidit. Ex quibus sacre scripturae auctoritatibus aecclesia sancta spiritu Dei plena rationabiliter instituit, ut Aaron et Moysi successores, de quibus scriptum est: *Moyses et Aaron in sacerdotibus eius*[2], episcopi videlicet et abbates monachorum, misticas virgas in regimen suorum gregum acciperent et gestarent, et á temporibus apostolorum usque ad haec tempora plus quam annis millę diligenter ac reverenter observavit. Si ergo, ut tu scribis, clerici principaliter debent episcopis subesse, consequens est, ut solus clericorum princeps inter clericos, tanquam pastor inter oves proprias, virgam debeat gestare. Nam oves minare pastorem non debent, set pastor oves modo precedit modo sequitur, aliquando virga quam manu gerit retrahit, aliquando repellit, ut vocem eius audiant et non sequantur alienum. Caeterum haec tua quaestio sive quaestiones, in modum ydrae in sua damna fertiles et uno capite amputato in multa recrescentes, á nobis, ut dictum est, hoc tempore per cuncta occurrentium obiectionum latera pervideri et pertractari non possunt; set ne verbum tuum ad te vacuum reverteretur, haec tibi pauca de pluribus innuere curavimus. Hoc etiam breviter adiciendum est, quod archa Noe, quae in diluvio divina gubernante providentia octo animas salvavit, á parte inferiori lata, superius in cubito consummata est; hoc significante Spiritu sancto, quod, qui latam viam, quae ad mortem ducit, deserunt et per angustam atque artam viam

1. Exod. 4, 2. 2. Ps. 98, 6.

1157 Apr. sursum corda et opera tendunt, in àecclesia Dei altiores, etsi non officio, tamen merito sunt.

Querit item á nobis sollertia tua, quid abbas Sancti Laurentii per pastoralem baculum debeat dare abbati Sancti Egidii? Querimus et nos ab industria tua, si possessor fundi tui, qui tibi agriam tuam hereditario pacto debita pensione solvit, verbi gratia qui mansum unum a te habuerit, et vita decedens legitimos heredes id est naturales filios reliquerit, quid, inquam, isti heredes á te per corporalem investituram suscipiunt, qui se in patris bonis iure successuros non diffidunt? Et ut ad rem propius accedamus, putasne, frater, quod omnis, qui virgam pastoralem accipit, continuo episcopus vel abbas fiat? Credisne, quod omnis, cui virga pastoralis porrigitur, in eo ipso episcopus vel abbas consecretur? Quocirca, mi frater, si tamen falsus frater non es, si inter signa rerum et ipsas res moderatam discretionis differentiam habueris, et propulsa invidia et errore procul posito, novitates, quae ad nichil aliud nisi ad destructionem caritatis et humanae societatis valent, abiciens, antiqua sanctorum patrum instituta et mores cum humili et obedienti reverentia observaveris, tum liquido perspicies, quam puerilia et frivola sint haec, de quibus occupationes nostras quaestione pulsandas existimasti. Verumtamen, si post reditum nostrum ab instanti curia nobis propicia divinitas sospitatem et otium concesserit, interrogationi tuae diffusius respondere poterimus; cum tamen in his paucis, si diligenter consideres, obiectioni tuae satisfactum esse oporteat.

---

459. *Fridericus I imperator Folkero praecipit, ut Maurinum Corbeiensibus restituat, eundem recepturus, si apud episcopum Monasteriensem non sit probatus ecclesiae Corbeiensis ministerialis esse.*

1157 Apr. Mai. F(ridericus) Dei gratia Romanorum imperator augustus F(olkero) gratiam suam et omne bonum.

Veniens ad nos fidelis et dilectus noster Corbeiensis abbas cum ministerialibus suis, conquestus est nobis, quod de Maurino ministeriali Corbeiensis ecclesiae, quem in captivitate tenes, in-

iuste nobis suggesseris; et quod per iniusticiam tue ditioni eum subdideris. Atque per consanguineos eiusdem hominis et per ministeriales Corbeiensis ecclesiae se probaturum iudiciario ordine promittit, quod Corbeiensis ecclesiae ministerialis tam ipse quam frater eius sit. Unde, quia iusticiam ei et ecclesiae suae negare non possumus, placet nobis et sub optentu gratiae nostrae tibi precipimus, quatinus, acceptis obsidibus vel certitudine centum marcarum, si ad constitutam diem non redierit, eum de captivitate liberum dimittas, donec coram episcopo Monasteriensi[1], cui causam hanc discutiendam commisimus[2], et abbate Corbeiensi vel nuntiis ipsius, tractata causa et diligenter investigata veritate, si probari potuerit per lineas consanguinitatis, quod ministerialis sit, domino suo abbati et Corbeiensi ecclesiae eum absque contradictione remittas; sin autem in huius rei probatione defectum habuerit, eum ad te denuo recipias. Monasteriensi autem episcopo die, quam determinaverit tibi pro hoc negotio, te presentabis et, quicquid dictante iusticia iudicaverit, observabis. 1157 Apr. Mai.

---

460. *Fridericus I imperator Friderico episcopo Monasteriensi mandat, ut de Maurino iudicet inter Corbeienses et Folkerum.* (M. 440.)

F(ridericus) Dei gratia Romanorum imperator augustus F(riderico) Monasteriensi episcopo gratiam suam et omne bonum. 1157 Apr. Mai.

Accepimus querelam dilecti et fidelis nostri abbatis Corbeiensis ac ministerialium ipsius pro quodam viro nomine Maurino, quem captivum tenet homo quidam liber nomine Folkerus de terra tua, quem Corbeienses asserunt ministerialem esse ecclesiae suae. Quia ergo imperii nostri dignitatem in eo maxime exaltamus, si iudicium et iusticiam confugientibus ad nos faciamus, attente industriae tuae iniungimus, quatinus, acceptis his litteris nostris, diem utrique parti prefigas et, auditis utriusque partis allegationibus et disquisita diligenter veritate, si Corbeien-

1. Friderico. 2. v. ep. 460 infra.

1157 Apr. Mai. ses per consanguineos illius probare potuerint, quia sit ministerialis ecclesiae Corbeiensis, liberum eum restituas, sin autem hoc probare non valuerint, prenominato viro eum remittas.

---

461. *Fridericus I imperator Heinrico II Anglorum regi Geraldum abbatem Solemniacensem commendat.* (M. 424.)

1157 Mai. 6 F(ridericus) Dei gratia Romanorum inperator augustus, magnus et pacificus, a Deo coronatus, dilectissimo fratri et intimo ac speciali amico suo H(enrico) illustri Anglorum regi, Normannorum atque Aquitanorum duci, fraternae caritatis et amicitiae indissolubilis firmissimam connexionem.

Inperialem maiestatem decet, sacrosanctis aecclesiis et religiosis monasteriis in suis oportunitatibus manum clementiae porrigere salutarem, ut divino cultui vacare liberius et pro nostra et populi salute Dei misericordiam propensius valeant exorare. Quocirca venientem ad nos a partibus Aquitaniae virum venerabilem Geraldum, abbatem Sollempniacensis monasterii, quem nobis attentissime commendavit nobis fidelissimus et carissimus Wibaldus abbas sacrorum monasteriorum inperii nostri Stabulaus et Corbeiae, benigne suscepimus et honorifice tractavimus et in suis iustis peticionibus clementer exaudivimus. Inter quas illa precipua fuit, ut, quoniam idem Sollempniacense cenobium in tuo principatu situm esse cognoscitur, pro sui commendatione et monasterii sibi commissi protectione inperiales apices ad tuam magnificentiam ei prestaremus; de nostra mutua et firmissima amicitia, quam fama predicante cognoverat, maxime confidens, quod rem equam et honestam pro nostre intercessionis gratia benigno et faciliori animo perficias. Eapropter nobilitatem tuam attente monemus, ut, sicut regiam decet clementiam, predicti abbatis personam et prescriptum monasterium sub tua protectione commendatum habeas et a pravorum hominum infestationibus virtute tibi divinitus collata defendas. Data Aquisgrani palatio, 2 Nonas May indictionis quinte.

---

462. *Heinricus Leo Friderico I imperatori significat de Widekindo de Sualenberg in exsilium eiecto et de castro Dasenberg sibi restituto.* (M. 425.)

Litterae Heinrici ducis Bawariae et Saxoniae ad inperatorem Frithericum. 1157 Mai.

Serenitati vestrae significo, quod Widikino de Sualenberch forefacta sua[1] remisimus sub hac penitentia, consilio et petitione domni Patherburnensis episcopi[2] et fratris sui Folwini nec non aliorum amicorum suorum, in placito, quod Corbeiae in rogatio- Mai. 5
nibus habui[3]: Omnem Teutonicam terram, quam nobis Renus dividit, foriuravit; ad festum sancti Iacobi[4] transiturus, nec unquam nisi mea vocatione reversurus; prius autem domno abbati Corbeiensi nec non viduae et pupillis Theoderici comitis, quem occidit, secundum consilium et preceptum meum satisfaciet et placabit. Castrum meum Dasenberch, remota omni conditione vel verbo gratiae, recepi; sicque is, qui prius beneficia sua beneficiali iure a me perdidit, hoc quoque dimisit.

---

463. *Wibaldus Adrianum IV papam de Gerardi scholaris et Gisleberti controversia in synodo Leodiensi disceptata certiorem facit.* (M. 426.)

Reverendo in Christo patri suo et domino A(driano) uni et 1157
universali papae frater W(ibaldus) Dei gratia id, quod est in aecclesia catholica, filialem in Christo dilectionem et promptum per omnia devotionis obsequium.

Cum essemus in synodo domni Leodiensis episcopi[5], Gerardus quidam scolaris conquestus est, quod quidam Gislebertus de Aiunkurt prebendam suam sibi auferret, quam ei dederat sub multorum testimonio domnus Walterus abbas monasterii sancti Laurentii, qui nunc eidem monasterio regulariter preest, prebendam videlicet vacantem, quae fuit nuper defuncti quondam Ruoberti clerici; et quod á predicto abbate per litteras et idoneos nuncios iussus fuisset prenominatae prebendae stipendia capere,

1. V. ep. 446 supra p. 578. 2. Bernhardi. 3. Wibaldo absente. 4. Iul. 25. 5. Heinrici.

1157 set prohibitus esset á predicto Gisleberto[a] per violentiam, intentatis etiam mortis minis. Ad haec vero Gislebertus[b] respondit, quod eadem prebenda sibi iure pertineret, pro eo quod antecessor prescripti abbatis Walteri dedisset ei prebendam, quae prima in eadem aecclesia vacaret. Auditis itaque partis utriusque allegationibus, domnus episcopus secundum consuetudinem eiusdem aecclesiae sententiam iudicii archidiaconos suos et totum clerum interrogavit. Qui omnes una et consona voce protulerunt: Gerardi ex iure esse prebendam — qui[c] post[d] decessum recentem Ruoberti clerici eam canonice acceperat — potius, quam Gisleberti, qui pollicitationem in mortis alicuius captationem aucupaverat. Quae sententia, ab uno archidiaconorum promulgata, ab universis qui in synodo erant approbata est. Et cum episcopus, omnium auctoritate fretus, supradictum G(erardum) scolarem iussisset prebendae suae integraliter restitui, adversarius eius Gislebertus non á sententia set ab exsecutione vestrae celsitudinis nomen appellavit. Et quoniam vestrae auctoritatis est de qualitate appellationum iudicare, vestram beatitudinem attenta devotione exoramus, ut appellationis remedium — quod non tantum á sanctissimis patribus nostris venerabilibus sacrosanctae matris nostrae Romanae aecclesiae pontificibus ad relevandas oppressorum causas inspiratione divina institutum est, set etiam á prudentissimis regni secularis imperatoribus mirabili providentia est ordinatum — tanta discretione moderare dignemini, ut propter frivolas et superfluas appellantium licentias innocentibus non vertatur in pernitiem, quod oppressis provisum est in salutem. Hoc etiam vestra sublimitas malum radicitus amputare non differat, ne in episcopatu Leodiensi, qui semper ab hoc vitio alienus fuit, aliquis ambitiosus mortem cuiusquam vel emat vel captet vel desideret seu machinetur, set tunc dentur aecclesiastica beneficia, cum, decedente persona possidente, rite vacaverint.

a. Gerardo *c.* b. Gerardus *c.* c. qui *scripsi pro* quam *cod.* d. post *addidi.*

464. *Fridericus I imperator Osnabrugensibus significat, se Wibaldo persuasisse, ut de Nortlandiae decimis provocationem interpositam omittat. Monet, rem componant. Quod nisi fecerint, se inter eos iudicaturum esse scribit.* (M. 441.)

F(ridericus) Dei gratia Romanorum imperator augustus preposito et decano et universo clero Osnebrugensis ecclesiae gratiam suam et omne bonum. 1157 Iul.

Memor supplicationis vestrae — quam unanimiter in conspectu nostro, cum essemus apud vos[1], profudistis: ut querelam dilecti et familiaris nostri Wibaldi Corbeiensis abbatis ac fratrum ipsius, quam habent pro decimis in episcopatu Osnebrugensi, sedare et componere temptaremus — in curia, quam apud Bavenberg in octava sancti Iohannis baptistae celebravimus[2], cum eodem fideli nostro[3] de hoc verbo tractavimus. Set manifestius et plenius intellecta ab eo tota hac causa — quia videlicet Corbeiensis ecclesia easdem decimas á primordio constructionis ipsius monasterii, collatas sibi á fundatore suo imperatore Luthowico et ab omnibus successoribus illius imperatoribusque et regibus privilegiis confirmatas, legitime possedit usque ad tempora abavi nostri Heinrici quarti imperatoris, qui in discordia illa, quae fuit inter eum et papam Romanum, ipsas decimas pro quadam indignatione cuidam Osnebrugensi episcopo[4] concessit[5] — audita, inquam, tota serie huius causae, memoratum fidelem nostrum abbatem á querela sua licet iusta hoc tempore cessare, et ab appellatione, qua episcopum vestrum et prepositum Theodericum atque magistrum Thethardum in presentiam apostolicae sedis vocavit[6], pro nostra dilectione desistere monuimus. Idque ab eo multum reluctante egre tandem obtinuimus. Hanc ergo que- (Iun.; Iul. 1)

1. Ex his verbis intelligi licet, Fridericum imperatorem mense Iunio 1157 in itinere Noviomago (ubi fuit d. 3 Iunii) Goslariam (ubi eum reperimus diebus 23 et 25 Iunii) Osnabrugae versatum esse. 2. i. e. die 1 Iulii 1157. Eiusdem curiae in diplomate Friderici dato d. 4 Iulii 1157 (Mon. Boic. XXIX. I. 344—346) mentio fit hoc pacto: „in sollempni curia Babenbergensi in Kalendis Iulii celebrata.“ 3. Wibaldo. 4. Bennoni II. 5. diplomate dato 27 Ianuar. 1079, ap. Erhard Reg. Westph. I. Cod. dipl. p. 122. 6. v. ep. 455 supra p. 587.

1157 relae dilationem nolumus ut in augmentum elationis vobis assu-
Iul. matis. Set hoc vobis attente monendo precipimus, ut cum predicto abbate et Corbeiensi ecclesia interim componere de eadem querela studeatis. Nos enim, cum tempus acceperimus, si prius composita non fuerit, eandem querimoniam per nos ipsos discutiemus; et tam pro ecclesia Corbeiensi, quae ad ius imperii nostri spectat, quam pro persona, quae ibi preest, quae diu et multum imperio servivit, sive iudiciario ordine sive alia convenienti compositione eandem causam terminabimus.

---

465. *Fridericus I imperator Wibaldum de belli Polonici initio certiorem facit. De Graecorum legatis addit.* (M. 432.)

1157 F(ridericus) Dei gratia Romanorum imperator et semper
Aug. augustus dilecto suo W(ibaldo) Corbeiensi et Stabulensi abbati gratiam suam et omne bonum.

Dignas grates agimus dilectioni tuae, quod post curiam Ba-
Iul. venbergensem[1] ita vicinus et paratus nobis affuisti, ut, forte á maiestate nostra vocatus, sine cunctatione vel dilatione ad omnes iussiones nostras explendas devotus occurreres.

Scire itaque prudentiam tuam volumus, quod magni legati
Aug. Polonorum in Halla ad nos venerunt; set nullum tale verbum, unde remanendi nobis daretur occasio, ad nos detulerunt, a quibusdam suis fautoribus in hanc spem inducti, quod nullo modo instantem expeditionem peragere possemus. Inde nos, in misericordia Dei, in cuius manu cor regis est, omnem fiduciam no-
Aug. 4 stram ponentes, 2 Nonas Augusti movimus expeditionem; rogantes quam intime dilectionem tuam, ut apud divinam pietatem prosperos successus et felicem reditum indefessis precibus nobis optineas.

Si vero Greci interim venerint, ordinavimus, eos in Wormacia reditum nostrum prestolari. Illuc quoque post reditum nostrum, per litteras nostras evocatus, indubitanter accedas; quia te inconsulto nichil cum Grecis tractare proposuimus.

1. die 1 Iulii habitam.

---

466. *Heinricus Leo Wibaldo scribit de curte Papenheim et de Widikindi promissu.* (M. 435.)

W(ibaldo) venerabili sanctae Corbeiensis aecclesiae abbati, 1157
dilectissimo domino suo, H(einricus) Dei gratia Bawariae et Aug.
Saxoniae dux devotum obsequium cum omni sincera dilectione.

Quod omnia, quae ad honoris vestri[a] augmentationem spectant, equo ordine procedant, toto corde diligimus et optamus. De caetero, de curte vestra Papenheim, sicut nobis insinuastis, libentissime providebimus; et hanc curam castellanis nostris Dasenberg diligenter iniungemus. Quod autem domnus Widikinus coram nobis promisit[1] et non persolvit, post reditum nostrum ab expeditione[2], etsi non gratis, tamen in beneplacito vestro et nostro persolvet.

---

467. *Fridericus I imperator Heinrico comiti de Lemburg Wibaldum monasteriumque Stabulense commendat.* (M. 436.)

F(ridericus) Dei gratia Romanorum imperator et semper 1157
augustus H(einrico) de Lemburg gratiam suam et omne bonum.

Aequum est et valde imperialem magnificentiam decet, ut personae, quae imperio nostro promptiori devotione obsequuntur, et á nobis artius diligantur et ab omnibus, qui imperii nostri honorem diligunt, cum debita reverentia conserventur. Proinde industriam tuam attente monendo rogamus, ut fidelem nostrum Wibaldum Stabulensem abbatem, qui multum et diu in servitio nostro et imperii utilitatibus iam laboravit, honorare et diligere studeas et aecclesiam Stabulensem, cui preest, tueri et conservare non cesses. Interdicimus etiam tibi atque sub optentu gratiae nostrae precipimus, ne possessionibus, eidem aecclesiae collatis á tuis antecessoribus, aliquam violentiam inferas neque eam aliquo modo vexare attemptes, sciens procul dubio, quod eadem aecclesia cum suis omnibus sub tutela et defensione imperii nostri constituta est; unde et, quicunque eam leserit, nos offendit.

---

a. nostri *c.*

1. v. ep. 462 supra p. 595. 2. Polonica.

468. *Walterus abbas S. Laurentii Leodiensis Wibaldo gratias agit, quod in synodo Leodiensi ius suum tuitus sit. Epistolae latorem commendat.* (M. 374.)

1157 Reverendo patri gratia Dei Corbeiensi et Stabulensi abbati W(ibaldo) frater W(alterus), et ipse gratia Dei si quid est aecclesiae sancti Laurentii in Leodio, sincerae dilectionis affectum et devotum in Domino servitium.

Magnae benivolentiae vestrae, pater in Christo amabilis, devote gratias ago, pro eo quod Leodii in generali synodo[1] causam iusticiae beati Laurentii de iure, quod habet in aecclesia Publici montis, etiam me absente, vera et constanti assertione palam tueri et defendere non omisistis, ita ut auctoritate vestra prorsus obstructa sint ora loquentium vana. Inde nos et pusillus grex beati Laurentii tam specialiter quam devote oramus pro vestra incolomitate et salute. Precor autem, ut etiam latorem presentium[a], fratrem nostrum, dulcedine solita et[b] benignitate audiatis, et in causa, quam suggesserit, vestro eum consilio et patrocinio dirigatis. Optabilem mihi reverentiae vestrae presentiam spero me in proximo visurum, ut de rebus necessariis vestrum digne expetam et obtineam consilium et auxilium. Superna pietas protectione sempiterna vos custodiat.

---

469. *Frater R. Wibaldo gratias persolvit, quod Stephano episcopo Metensi ipsum commendaverit.* (M. 433.)

1157 Domino et patri suo reverendo Stabulensi et Corbeiensi abbati W(ibaldo) frater R., Dei gratia modicus, exiguas orationes et devotum obsequium.

Gratia benignitatis vestrae me Mettim eunti comitata est et mecum fuit, et elaboravit, ut fierem acceptus coram domino meo episcopo[2] hoc tempore. Honorifice enim et familiariter ab eo et á suis susceptus habitus et dimissus sum, ut patenter[c] cognoscerem secundum vulgare verbum, mentum meum in natando manu vestra sustentari. Providentiae igitur vestrae in his et

a. ut latorem presentium ut etiam latorem presentium *c.* b. et *om. c.* c. patienter *c.*

1. v. ep. 463 supra p. 595. 2. Stephano.

similibus plurimum innitens, gratias refero summo Provisori; 1157 obnixius deprecans, ut vos nobis et nostris salvum et incolumem sine fine custodiat, et quod non possum, quia non possum, ipse retribuat.

---

470. *Fridericus I imperator Wibaldo de bello Polonico refert, eumque Wirzeburgum vocat.* (M. 434.)

F(ridericus) Dei gratia Romanorum imperator et semper 1157 augustus dilecto suo W(ibaldo) Corbeiensi et Stabulensi abbati Sept. gratiam suam et omne bonum.

Quantam in expeditione Polonica, quam nuper gloriose peregimus, divina pietas gratiam nobis contulerit, quantave gloria et honore Romanum imperium exaltaverit, Poloni sub iuga dominationis nostrae reducti protestantur, et nos, quo plenius possumus, dilectioni tuae duximus significandum.

Polonia quamvis arte et natura admodum munita esset, ut antecessores nostri reges et imperatores vix magna difficultate ad fluvium Oderam pervenissent, nos tamen in virtute Dei, quae visibiliter nos precessit, clausuras illorum, quas in angustis locis Aug. precisa arborum densitate fecerant et magna ingenii mole obstruxerant, penetravimus. Et in octava assumptionis sanctae Aug. 22 Mariae fluvium Oderam, qui totam terram illam quasi muro vallat et profunditate sua omnes excludit aditus, contra spem Polonorum cum omni exercitu nostro transivimus. Tanta enim erat omnibus transeundi aviditas, ut alii profundis gurgitibus se immergerent, alii vero transnatarent. Quo viso Poloni vehementer exterriti, et iam nichil preter exicium et destructionem terrae sperantes, munitissima castra Glogowa et Bitum[1] et alia plura, quae prius ab hoste capta non fuerant, timore nostro incenderunt, et ipsi, quamvis auxilio vicinarum gentium, Ruthenorum, Parthorum, Pruscorum, Pomeranorum, maximum exercitum collegissent, á faciȩ nostra fugierunt. Hos vero fugientes insecuti sumus, et per episcopatum Frodezlau[2] et episcopatum Poznan transcurrentes, totam fere terram igne et gladio vastavimus.

1. Beuthen. 2. Breslau.

1157 Aug. Sept. Dux itaque Poloniae[1] cum totam terram et populum á facię manus nostrae periclitari videret, principes nostros tum per nuncios suos tum in persona propria aggrediens, multis precibus, multis lacrimis vix tandem impetravit, ut sub iuga dominationis nostre redire et gratiam nostram recuperare mereretur. In predicto itaque episcopatu Poznan, in territorio[a] Crisgowe[2], prefatus dux Bolizlaus[b], pedibus maiestatis nostre provolutus, interventu principum hoc ordine in gratiam nostram est receptus. Primo iuravit pro se et pro omnibus Polonis, quod frater suus[3] exul ad ignominiam Romani imperii non fuerit expulsus. Deinde pollicitus est dare duo milia marcarum nobis, et principibus mille, et uxori nostrae viginti marcas auri, et curiae nostrae ducentas marcas argenti, pro ea negligentia, quod ad curiam nostram non venerat nec de terra debitam nobis fecerat fidelitatem. Iuravit quoque expeditionem Ytalicam. Deinde iuravit, quod ad curiam nostram Magdeburgh in natali Domini[4] celebrandam venire debeat, super querimonia fratris sui expulsi plenarie responsurus. Sicque, iurata nobis fidelitate, et de supradictis omnibus fideliter explendis acceptis obsidibus Cazimero fratre ducis et aliis nobilibus, gloriose Deo duce revertimur.

Caeterum, quia in legatione Grecorum prudentiam tuam nobis adesse desideramus, mandando rogamus dilectionem tuam, quatinus in vigilia sancti Michaelis[5] Wirzeburc nobis occurrere festines.

---

471. *Notae Halberstadenses.* (M. 419.)

Imperator[6] Karolus parrochiam Halberstadensem certis undique circumscripsit terminis suoque augustali imperio et inprevaricabili[c] privilegio firmavit 804. Idus May, indictione 10, sui autem regni 34, imperii vero tercio, ordinationis Hildegrimi epi-

a. territoritorio *c.* b. Bolizaus *c.* c. inprevalicabili *c.*

1. Boleslaus IV. 2. Krzyszkowo, a Posnania inter septemtriones et occidentem. 3. Wladislaus II dux. 4. 25 Dec. 1157. 5. 28 Sept. 6. Imperator — nominato. Eadem fere leguntur ap. Annalistam Saxonem, 803 in Mon. Germ. SS. VI. 565 et in Chron. Halberstatensi ed. Schatz p. 2—3.

scopi 23, in palatio Sarh[a] nominato. Eodem[1] etiam tempore habito conventu in palatio eodem, imperator omnes Saxones antiqua libertate donavit, eosque pro conservanda fide catholica ab omni solvit tributo, excepto quod eos omnes, divites scilicet ac pauperes, totius suae agriculturae ac nutriturae decimas Christo ac sacerdotibus eius fideliter reddere iussit[1].

Karolo[2] Magno successit Luthewicus Pius filius eius.

Post quem successit Luthewicus filius predicti Luthewici.

Quo defuncto, successit ei filius suus tercius Luthewicus.

Cui etiam successit filius suus Karolus rex. Qui octavo regni sui anno á regno deponitur, et Arnulfus in regem est coronatus; qui regni sui anno 13 defunctus est.

Cui successit Luthewicus, qui cognominatus est Infans, et regnavit annis tredecim. Cui cum non esset filius, principes regni communi consilio Ottonem illustrem Saxoniae ducem in regem eligere voluerunt, sed per consilium eius Conradus Francorum dux, qui de cognatione quarti Luthewici erat, coronatus est, et vixit annis novem.

Hucusque Karoli proles regni tenuit fastigia. Dehinc Saxonici imperatores successerunt. Primus eorum Henricus Saxonum dux, filius predicti Ottonis ducis, pater Ottonis primi imperatoris, ordinatus est.

472. *Victor IV antipapa Conrado electo archiepiscopo Moguntino mandat, ut monasterium Werbense Conrado abbati Corbeiensi traditum a Bobbone comite tueatur*[b].

Victor episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo filio C(onrado) Moguntino electo salutem et apostolicam benedictionem. 1162 Sept. 11

a. *sic cod. pro* Salz. b. *descripsi hanc epistolam ex cod. tabularii Monasteriensis membr. signato* I. 132, *in cuius fol.* 60 *posita est manu sec. XII. Eam ediderunt antehac Martene Coll. I.* 865, *Wigand Archiv III.* 2, 4. — *Similis epistola Adriano IV papae attributa legitur ap. Martene Coll. II,* 620; *ea vero non est nisi ab inepto correctore ex litteris Victorianis male praeparata. Quamobrem in Reg. pont. Rom. p.* 664 *delenda est epistola signata n.* 6895.

1. Eodem — iussit. Eadem habentur in Annalibus Quedlinburgensibus 803 in Mon. Germ. SS. III. 40, ap. Annalistam Saxonem l. l., in Chron. Halberstat. p. 3. 4. 2. Qui sequitur imperatorum catalogus, eius similis invenitur in Chron. Halberst. p. 58.

1162 Sept. 11 Predecessorum nostrorum vestigia imitati, abbatiam de Werve ad ius et proprietatem beati Petri specialiter pertinentem dilecto filio C(onrado) Corbeiensi abbati regendam custodiendamque commisimus, sperantes, quod eius providentia auctore Domino accipiat incrementum. Verum quia comes Bobbo, qui eius abbatiae se asserit advocatum, cenobium Wervense et prefatum abbatem variis inquietatibus perturbare minatur, discretioni tuae mandamus atque precipimus, ut eum districte commoneas[a], quatenus ab abbatis et cenobii infestatione quiescat. Quodsi tuis parere commonitionibus contumaciter et superbe contempserit, canonica eum censura coercere procures. Data Bisuntie 3 Idus Septembris.

---

473. *Fridericus I imperator Adolfo de Dasle praecipit, ne Corbeiensium bona Silehusensia infestet*[b].

1180-1190 F(ridericus) Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus Adolfo de Dasle[1].

Ex querimonia fidelium nostrorum Corbeiensium fratrum cognovimus, quod tu bona eorum in Silehusen ad prebendam ipsorum pertinentia invadas et eis auferas, que ipsi ex sinodali sententia a fratre tuo[2], qui eos etiam in eisdem bonis gravavit, optinuerunt. Nos itaque, nullam iniuriam aut gravamen ab aliquo eis inferri volentes, mandamus tibi sub optentu gratie nostre precipientes, quatinus ab hac infestatione de cetero manum abstineas et ablata eis ita integraliter restituas, ne deinceps super hoc querimonia ad nostre magnitudinis excellentiam perveniat. Alioquin gravamen nostre severitatis senties.

---

474. *Wichmannus archiepiscopus Magdeburgensis Widikindo abbati Corbeiensi de eo consecrando rescribit*[c].

1190 Iul. Wichmannus Dei gratia sancte Magdeburgensis aecclesiae

a. comneas *cod.* b. *Legitur haec epistola in codicis quondam Corbeiensis, hodie Monasteriensis, membr. signati* I. 132. *fol.* 145, *scripta manu saec. XII.* c. *Et haec et ea, quae sequitur epistola, posita est manu saec. XII in fol.* 131 *codicis quondam Corbeiensis, hodie Monasteriensis, signati* I. 132. *Utramque epistolam antehac ediderunt Martene et Durand Coll. I.* 994 *et Erhard Reg. Westph. II Cod. dipl. p.* 218.

1. Adolfum I comitem de Dasle in tabulis annorum 1180—1224 comparere, docet Mooyer in Erhard et Rosenkranz Zeitschrift VIII. 92.
2. Ludolfo I, qui annis 1180—1209 in tabulis comparet, auctore Mooyero l. l.

archiepiscopus dilecto amico suo domno Widikindo venerabili Corbeiensi abbati orationis et intimae dilectionis obsequium. 1190 Iul.

Petitionem honestatis vestrae super consecratione vestra prompta voluntate ac benigno affectu suscepimus, utpote de eo, quem sincero corde amplectimur cuiusque obsequio libenter operam nostram impendimus. In proxima igitur dominica die[1] ex consilio ecclesie nostre manum vobis inponere disponimus; ad quem diem sanctitatem vestram invitamus, rogantes, ut in proximo sabbato[2] Calve ad nos veniatis, consecrationem a nobis proxima die sequenti accepturi.

---

475. *Widikindus abbas Corbeiensibus, se consecratum esse, significat*[a].

Widikindus Dei gratia Corbeiensis ecclesiae humilis minister dilectis in Christo fratribus, F(riderico) priori, M(einharto) preposito totique eiusdem ecclesie capitulo salutem et paternam dilectionem. 1190 Iul.

Significamus vobis, quod nuncios nostros ad domnum Magdeburgensem transmisimus, ut benedictionis nostre ab ipso gratiam tamquam a viro probato reciperemus, eumque ad nostre peticionis effectum paratum invenimus. Set ne quid, quod ad cautelam et suam et nostram spectaret, omitteret, quia exemptam ecclesiam nostram a iurisdictione omnium episcoporum nondum ex instrumentis nostris plene cognoverat, exemptionis nostrae exhiberi sibi privilegium postulavit. Quod cum in audientia Mersburgensis Everhardi, Nuwenburgensis Bertholdi, Brandenburgensis Alexi, Missinensis Thiderici episcoporum, abbatum et diversarum ecclesiarum prelatorum in ecclesia quae Godesgenathe dicitur publice fuisset recitatum, ecclesiae nostrae libertas ab omnibus est comprobata; et sic ex omnium predictorum consilio episcoporum et cum eis domnus archiepiscopus manum nobis in die beate Praxedis[1] imposuit. Hec vobis intimanda iudicavimus, ut et ecclesie vestrae et nostro honori congratulemini.

a. *cf. supra p.* 604 *n. c.*
1. Iul. 21. 2. Iul. 20.

Posteaquam omnem epistolarum Wibaldanarum seriem, rerum seculi duodecimi cognoscendarum materiam excellentissimam, proposui, de ipso Wibaldo eiusque epistolarum et priore et mea editione agere convenit; idque epilogo facere quam prooemio malui, quo commodius accuratiusque, loci singuli argumentaque inducenda ubi reperiantur, ostenderem.

Wibaldus autem, exeunte seculo XI in Lotharingis genitus, fuit vir praeditus industria mirabili omnique suae aetatis doctrina eruditus, qui cum monastico ordini se addixisset, tribus abbatiis celeberrimis praefuit, Stabulensi, Casinensi, Corbeiensi. In re publica etiam versari coepit imperante Heinrico V adeoque his artibus antecelluit, ut reges quatuor, is modo quem nominavi Heinricus V, Lotharius III, Conradus III, Fridericus I consilio eius officiisque uterentur non solum in formandis litteris graviorihus sed in legationibus etiam crebris administrandis tum apud pontifices Romanos tum apud Graecorum imperatores. Praeterea ne militarem laudem quidem spretam a Wibaldo esse scimus; quem quidem, ut et Slavica anni 1148 arma et Italica bella varia quibus interfuit sileam, anno 1137 a Lothario imperatore ipsi classi adversus Normannos missae praefuisse constat. Mira aetas, quae non mirabatur, unum hominem et aciem instruere et monachorum psalmodias tonsurasque moderari.

Omnem Wibaldi vitam primi non indiligenter exposuerunt Martene et Durand in Veterum scriptorum amplissima collectione II p. 153—183; maiore autem cum studio et absolutione decem fere abhinc annis proprio libro de eadem re egit Iohannes Ianssen, Wibald von Stablo und Corvey, Münster 1854. Eoque minus eandem vitam hoc loco iuste copioseque componere arbitrabar esse necesse omnino, sed propter tanti laboris circuitum ne accommodatum quidem rationi huius bibliothecae. Neque vero praetereunda videbantur, quae in catalogis abbatum Stabulensium nondum editis de Wibaldo reperi. In chartaceo enim tabularii Dusseldorpensis codice quondam Stabulensi, signato A. 16, *tres abbatum illorum indices habentur, exeunte saeculo XV scripti, quorum alter praebet haec:*

Wiboldus vir per omnia laudabilis obiit in expeditione Gre- 1158
corum et fidelitate imperii apud Butelliam civitatem in terra,
que vocatur Pellagonia; translatus post annum et sex dies ad 1159
Stabulaus monasterium, sepultus ante presbiterium.

In tertio eiusdem codicis catalogo haec leguntur:

Wiboldus. Hic, Stabulensis monasterii religione et amore
adtractus, a Walciodorensi cenobio, in quo monachalem habitum 1117
acceperat, Stabulaus translatus cum consensu sui abbatis fuit. 1118
Qui post diversa monasterii officia, mortuo Iohanne, eligitur in 1130
Stabulensem abbatem; vir tam divinis quam secularibus litteris eruditissimus, philosophia, oratoria et ceteris artibus humanitatis doctissimus, quod multa ab eo eleganter conscripta testantur; plane in diebus suis gloriosus. Cuius memoria permanebit apud posteros in secula . . . .

Hic est, qui ossa fratrum negligenter sepulta decenter col- 1151
locavit in cripta iuxta altare beate Lucie anno 1151.

Igitur post diversa pietatis opera — que facultatis nostre non sunt describere — legationem in Grecia pro causis imperii agens, apud Butelliam civitatem in terra, que Pellagonia dicitur,
anno salutis 1158, ordinationis autem sue anno 28, 14 Kal. 1158
Augusti obiit. Cuius ossa cum post annum et dies sex a fide- Iul. 19
libus suis iussu serenissimi imperatoris Frederici primi ad nos
relata fuissent, 7 Kal. Augusti a domno Henrico Leodiensi epi- 1159
scopo cum aliquantis abbatibus et magna frequentia cleri et Iul. 26
populi, non sine magno dolore et luctu fratrum suorum venerabiliter sepulture sunt tradita ante altare beati Petri et Remacli, in loco qui est inter chorum et gradus cancelli, quatinus huius exemplo successores eius accensi res ecclesie et fratrum sibi creditas non distrahere vel alienare, set conservare et augere, imitatores eius facti, studeant.

Franciscus etiam Laurentius, prior Malmundariensis, qui obiit a. 1650, in libro sic inscripto: „Stabulaus sive sacrarium monasteriorum imperialium Stabulensis et Malmundariensis“ (cod. chartac. tabularii Dusseldorpensis, sign. A. 14*) de Wibaldo large agens, p. 152 „ex antiquo ms.“ attulit haec:*

Siquidem cum pro insigni, qua erga sanctorum exuvias
fervebat[1], devotione nonnullas quondam beatissimi Viti martyris
reliquias ex Corbeiensi sua ecclesia attulerat ad monasterium
Stabulense, pro quarum decenti et honorifica asservatione iuxta
domum suam abbatialem insignem a fundamentis dum extruxisset
1157 ecclesiolam, ac ea devote consummata, de illius dedicatione medi-
taretur, citius quam existimabat a Frederico imperatore ad cu-
riam evocatur. De cuius mandato iterata in Graeciam legatione
fungitur. De qua rediens, postquam de gravissimis regni ne-
gotiis cum Manuele Constantinopolitano imperatore foeliciter
tractasset, nimia laborum fatigatione pro senio confectus, apud
Butelliam civitatem in regione, quae Pelagonia nuncupatur, magno
omnium comitum suorum dolore et luctu, morbi inopinati vehe-
1158 mentia a mortalibus ad immortales coelestis gloriae cives 14 Cal.
Iul. 19 Augusti anno 1158, administrationis suae 28, abducitur. Cuius
corpus in basilica eiusdem loci a collegis et itineris comitibus
honorifico conditum sepulchro, relictum fuit in deposito; donec
reverendissimus domnus Erleboldus, frater eius non solum reli-
gione sed et sanguine germanus, vitae et sanctae conversationis
merito et haeres abbatialis dignitatis in Stabulensi monasterio,
pignus depositum favore Frederici imperatoris, in cuius servitio
1159 pius praesul vitam posuerat, revehi obtinuit. Quod, revoluto ab
Iul. 26 obitu illius uno anno et sex diebus, Henrico Leodiensi episcopo
solemni ritu exequias celebrante, assistentibus eidem diversis
abbatibus, cum magna tum cleri tum populi frequentia in magni-
fico tumulo ante summum altare Stabulensis ecclesiae recondi
fecit, quatenus eius successores, chorum ad laudes Altissimo de-
cantandas ingredientes, honorificum eiusmodi sepulchrum prae
oculis continuo habentes, officii sui semper essent memores et
ad eius sequenda vestigia tum in substantia monasterii conser-
vanda et amplificanda tum in regularis disciplinae observantia
promovenda redderentur alacriores. Quod memorandae anti-
quitatis monumentum plus quam 440 annis in medio chori con-
stitit, sed post diversas ruinas et incendia restaurato templi

1. Wibaldus.

aedificio et non ita pridem pavimento renovato, lapides eiusmodi tumuli ita vetustate attriti fuerunt reperti, ut nihil ex eis ad decorem ecclesiae potuerit ibidem relinqui. Quo non obstante immortalis est memoria illius, quia et apud deum nota est et apud homines.

Deinceps de epistolis aperiendum est Wibaldi nomine appellatis.

Fuit enim in Wibaldo inter virtutes ceteras tam provida quoque et sollers diligentia tum ad propriam tum ad publicam rem pertinens, ut non modo sicut alii multi abbates coenobiorum suorum diplomata tabulasque custodiret studiose[1]*, sed epistolarum etiam et sibi allatarum et ad alios missarum et publicarum tum a sese formatarum tum a regibus acceptarum exempla colligeret. Reperimus*[2]*, inito anno 1147 Wibaldum suscipiendae ad papam legationi maxime idoneum inde habitum esse, quod „publica et privata regis (Conradi III) negocia, in Romana curia peracta, manu ipsius (Wibaldi) fuissent exarata; et horum omnium exemplaria penes eum manerent“. Nec latet, iam eodem propemodum tempore a Wibaldo etiam privatarum suarum epistolarum apographa, quae coacervaverat, amicis commodata esse*[3]*. At omnium horum monumentorum ante ipsum annum 1147 a Wibaldo nostro collatorum nisi maestum desiderium nihil est nobis relictum.*

Remansit vero usque ad hunc diem codex membranaceus octonaria quam dicunt forma, foliorum 161, qui perdito exordio longe maximam earum, quae supra ex spatio annorum 1147 et 1157 habentur epistolarum partem exhibet, diversis seculi XII manibus sic exaratarum, ut plane perspicuum sit, codicem ab ipso Wibaldo scribi iussum esse. Servabatur codex circiter exeunte seculo XV in coenobio Malmundariensi[4]*; fuit circiter anno*

1. V. Roberti decani Stabulensis ep. 301 supra p. 429. 430: „quoniam domnus abbas (Wibaldus) abest, in cuius custodia et potestate privilegia ecclesiae nostrae sunt“ — 2. Chronograph. Corb. supra p. 54. 3. V. ep. 31 supra p. 108 n. 3. 4. Descriptus enim circiter exeunte seculo XV e codice illo membranaceo codex chartaceus (qui in tabulario regio Berolinensi habetur signatus: I. D. in 4⁰ ad n. 18) inscriptionem praebet hanc: „Monasterii Stabulensis liber dictus Epistolare domini Wi-

1724 monachorum Stabulensium[2]*; anno 1839 Aquisgrani fuisse videtur*[3]*; pervenit postea in tabularium Dusseldorpense, hodieque in tabulario regio Berolinensi tenetur, signatus sic:* h. I. D. 18. 4°.

In isto codice maxime nisi, epistolas Wibaldi anno 1724 ediderunt Martene et Durand in Veterum scriptorum et monumentorum amplissima collectione II. 183—599[4]*. Qui cum nonnullas codicis epistolas praetermisissent, ex iis anno 1836 sex vulgatae sunt a G. W. de Raumer in Ledebur Neues allgemeines archiv I. 68—75 (epp. 3, 17, 90, 347, 412, 449), anno 1836 duae a Pertzio in Mon. Germ. Legg. II. 85 et 88 (epp. 90 et 347), anno 1845 tres a me in meo libro, qui inscribitur: Geschichte des deutschen Reiches unter Conrad III p. 218—220 (epp. 95, 223, 283).*

Itaque cum omnes Wibaldi epistolas de integro edendas suscepissem, eundem utique codicem, qui maxime rem continet, quam exactissime describendum duxi; qui quidem paratissima liberalitate porrectus ad prioris editionis naevos tollendos mihi egregio usui fuit. Sed in digerendis quoque secundum aetatem epistolis a Marteniano ordine saepius discedendum esse censui. Etenim de complurium epistolarum tempore non modo ex earum rebus iam accuratius intelligere licuit, sed ceteroquin etiam severius tuenda litterarum distributione in ipso codice facta. Nam cum minime obscurum sit, codicis librarios chronologicum epi-

baldi quondam Stabulensis abbatis; cuius archetypum pergamenum sibi usurpant Malmundarienses". — Nec vacat ipse codex noster membranaceus vestigiis commorationis Malmundariensis. Malmundarienses enim, in dioecesi Coloniensi positi, coenobio Stabulensi, in Leodiensi paroecia sito, fere semper inviti parebant; ut cognitu perfacile sit, quam ob rem in ep. 150, ubi Wibaldus scripsit: „Unde cum reverteremur ad prepositcuram monasterii Stabulensis quod Malmundarium dicitur", erasa sint verba haec: „prepositaram" et „Stabulensis quod" et „dicitur" (v. supra p. 234 n. b); quare item erasi sint varii loci ad Leodium pertinentes (v. ep. 58 supra p. 137 n. b; ep. 59 p. 138 n. a; ep. 107 p. 183 n. a, b, c; ep. 108 ibidem n. d et p. 184 n. a).

2. Testibus Martenio et Durandio in Vet. Script. ampliss. coll. II p. 182. 3. V. Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde VII. p. 878. 4. quae editio repetita est a I. P. Migne in Patrologiae tomo 189.

stolarum ordinem in universum instituere voluisse[1], *ex quarum litterarum argumentis quando scriptae essent non cognovi, eas esse illic sinere visum est, quo quamque pertinere aequales rerum scribae arbitrabantur.*

Quae vero epistolae codice illo contineantur quibusque in foliis eius collocatae sint, docet is qui subsequitur elenchus:

Ep.	cod. fol.	Ep.	cod. fol.	Ep.	cod. fol.	Ep.	cod. fol.
3	142 — 142 v	51	8 v — 9	78	21	105	24 v
17	142 v	52	9	79	53 — 53 v	106	24 v — 25
24	5	53	9	80	17	107	25 — 25 v
25	15 v	54	6 v	81	17 — 17 v	108	25 v — 26
28	1 — 1 v	55	7	82	16 v	109	26 — 26 v
29	1 v	56	7 v — 8	83	14 v — 15	110	26 v
30	5 v	57	9 — 9 v	84	49 v	111	27
31	7 — 7 v	58	9 v — 10	85	19 v	112	27
32	7 v	59	10	86	26 v	113	27
33	1 v — 2	60	10	87	17 v	114	19 v
34	2 — 3	61	10 — 10 v	88	17 v — 18	115	20
35	3	62	5 v — 6	89	34 — 34 v	116	27 — 27 v
36	3 — 4	63	11	90	25	117	27 v — 28
37	4 — 4 v	64	11	91	18	118	28
38	4 v — 5	65	11	92	18 — 18 v	119	28 v
39	5	66	11 — 11 v	93	18 v	120	28 v
40	5 — 5 v	67	10 v — 11	94	18 v — 19	121	52
41	6 — 6 v	68	12 v et 17	95	20	122	52 — 52 v
42	12	69	13	96	20 — 20 v	123	30 — 30 v
43	12 — 12 v	70	13 — 13 v	97	21 — 21 v	124	30 v
44	6	71	13 v	98	21 v — 22	125	30 v — 31
45	6	72	13 v	99	22	126	31 v — 33
46	8 — 8 v	73	14	100	22 — 22 v	127	33
47	6	74	14 — 14 v	101	22 v	128	33 — 33 v
48	6 v	75	14 v	102	23	129	33 v
49	6 v	76	11 v — 12	103	23 — 24	130	33 v
50	10 v	77	12	104	24 — 24 v	131	33 v — 34

1. Cuius rei documentum in cod. fol. 37 v et 38 reperitur, ubi epistolam 143 subsequitur epistola 142, sed eadem manu in margine posterioris epistolae littera A, in margine prioris littera B posita est, ut verus ordo cognosceretur. Sub eandem rationem cadunt epistolae 180 et 181; quarum posterioris in fol. 59 v collocatae fronti appositum est signum hoc +, priori in fol. 65 desinenti subiecta haec sunt: „Require retro in sexto folio ad hoc signum +“. Atque etiam epistolas 445 (in cod. fol. 150) et 450 (in cod. fol. 149 v), adiecto ad hanc signo hoc $\overset{B}{+}$, ad illam isto $\overset{A}{+}$, ordinatas esse videmus.

Ep.	cod. fol.
132	34
133	39
134	39
135	28 v — 29
136	29 — 29 v
137	30
138	35 — 37
139	37 v
140	37 v
141	37 v
142	38
143	37 v — 38
144	38 v — 39
145	39
146	15 — 15 v
147	87
148	49 v — 50
149	38 — 38 v
150	39 v — 47 v
151	47 v — 49 v
152	50 — 50 v
153	50 v
154	15 v — 16 et 50 v
155	51 — 51 v
156	51 v — 52
157	52
158	52 v
159	52 v — 53
160	34 v
161	60 v — 61 v
162	60 v
163	59 — 59 v
164	53 v
165	53 v — 54 v
166	54 v — 55
167	55 — 59
168	60 v
169	61 v
170	61 v — 62
171	62
172	62 v
173	63 — 63 v
174	63 v
175	63 v
176	63 v — 64
177	64 — 64 v
178	16
179	64 v
180	64 v — 65
181	59 v
182	59 v
183	60
184	65
185	75 v — 76
186	65
187	65 v
188	65 v
189	65 v — 66
190	66 v
191	66
192	66 v
193	67
194	67
195	69
196	69 v
197	67
198	73
199	69 v
200	69 v — 70
201	70 — 70 v
202	70 v — 71
203	71
204	80 v
205	71 v
206	71 v — 72
207	72
208	72 — 72 v
209	72 v
210	73 v
211	73 v — 74
212	74
213	74
214	74 v — 75
215	75
216	75 v
217	76
218	76
219	84 v — 85
220	85
221	85 v — 86
223	78
224	80
225	80 — 80 v
226	78 — 78 v
227	67 v
228	67 v
229	67 v
230	76 v — 77
231	77 — 78
232	77
233	78 v
234	79
235	79 v
236	79 v
237	79 v — 80
238	68
239	68 — 68 v
240	68 v
241	68 v
242	69
243	81 — 81 v
244	81 v
245	81 v
246	82
247	91
248	82
250	82 v — 83
251	83
252	83 v
253	83 v — 84
254	84
255	84 v
256	86
257	86 — 86 v
258	86 v
259	87 v — 88
260	88 — 88 v
261	88 v — 89
262	89 — 89 v
263	89 v
264	89 v — 90
265	90
266	90 — 90 v
267	11 v
268	91 v
269	92
270	92
271	92
272	92 v
273	93
274	91
275	91 v
276	92 v
277	93
278	96 — 96 v
279	93 v
280	94 v
282	94
283	94 v
284	95
285	95 — 95 v
286	95 v — 96
287	96 v
288	96 v
289	97
290	97 — 97 v
291	97 v
292	97 v — 98
293	98
294	98 — 99
295	102 v
296	94 — 94 v
297	99 v
298	99 v — 100
299	99 v
300	100
301	100 v
302	99
303	101
304	101
305	101 — 101 v
306	101 v
307	101 v
308	102
309	102
310	102 v — 103
311	103
312	103 v
313	103 v — 104

Ep.	cod. fol.	Ep.	cod. fol.	Ep.	cod. fol.	Ep.	cod. fol.
314	104 — 104 v	353	117 v	392	129 v — 130	432	147 v
315	104 v — 105	354	117 v	393	130	433	147 v
316	105 — 105 v	355	118	394	131 v — 132	434	156 v
317	105 v	356	118	395	132 v — 133	435	157
318	106	357	118	396	133 — 133 v	436	157 v
319	102	358	118 — 118 v	397	134 — 134 v	437	156 v — 157
320	102	359	118 v	398	135	438	156 — 156 v
321	102 v	360	118 v	399	135 — 135 v	439	156
322	106 v	361	118 v	400	130 — 131	440	156
323	106 v — 107	362	127 v	401	137 — 137 v	441	149
324	107 — 107 v	363	123 — 123 v	402	136 — 137	442	148
325	114	364	115 v	403	137 v — 138	443	148
326	107 v — 108	365	116	404	138 — 139 v	444	149
327	108	366	116 — 116 v	405	133 v — 134	445	150
328	112 — 112 v	367	116 v	406	135 v — 136	446	148 v — 149
329	108 v	368	123 v	407	140 — 140 v	447	150 — 150 v
330	108 v — 109	369	123 v — 124	408	140 v	448	150 v
331	109 — 109 v	370	124	409	137 v	449	150 v — 151
332	109 v — 110	371	124	410	141 v	450	149 v
333	113	372	119 v — 120	411	142	451	151 v
334	113 — 113 v	373	124	412	142 v	452	152
335	113 v	374	120	413	145	453	152
336	113 v	375	120 — 121	414	143	454	159 — 159 v
337	113 v — 114	376	124 — 124 v	415	143	455	152 v — 153
338	114	377	124 v — 125	416	143 v; et 145	456	153 v
339	87 — 87 v	378	126	417	145	457	158
340	110 — 110 v	379	127 v — 128	418	145 — 145 v	458	158 — 159
	122 — 123	380	126 v	419	145 v	459	159 v
341	111 — 111 v	381	126 v — 127	420	145 v — 146	460	159 v — 160
342	111 v — 112	382	134 v - 135 et	421	146 — 146 v	461	154
343	114 — 114 v		143 — 143 v	422	145	462	154 v
344	115	383	125 — 125 v	423	147	463	155
345	121	384	128 — 128 v	424	147 — 147 v	464	160
346	121 v — 122	385	128 v — 129	425	144	465	160 v
347	121 v	386	129 — 129 v	426	144 — 144 v	466	160 v
348	119	387	125 v — 126	427	144 v	467	160 v
349	117	388	131 — 131 v	428	144 v	468	160 v — 161
350	117 — 117 v	389	131 v	429	144 v — 145	469	161
351	117 v	390	131 v	430	146 v	470	161 — 161 v
352	117 v	391	132 — 132 v	431	147	471	149 v — 150

Ad omnes illas epistolas ex ipso codice Wibaldano derivatas accesserunt viginti septem, quae unde sint, breviter licet dicere. Excepi enim epistolas 1 et 2 ex Ruperti abbatis Tui-

tiensis Opp. ed. Parisiis 1638 T. II. 936 et 937. Epistolas 4, 5, 6, 8, 9, 14, 15, 16 ex appendice Chronicae Casinensis ed. Angelus de Nuce p. 24—26; epp. 7 et 10 ex Wattenbachii editione in Mon. Germ. SS. VII. p. 819 n. 40 et p. 840 petii; quae quidem omnes, praeter tres (epp. 14, 15, 16) iam a Martenio receptas, ideo a me allatae sunt, quod ad res Casinenses paullo ante susceptam a Wibaldo abbatiam cognoscendas valent. Ex Martenii et Durandii editione repetitae sunt epp. 11, 12, 13, 18, 23, 26, 27. In proponendis epistolis 19 et 20 adhibui editiones Martenii, Mabilionis (Acta SS. saec. V. p. 586. 587), Papebrochii (Acta SS. Apr. T. III. 807), Acherii (Spicil. II. 708). Epistolae 249 et 281 proveniunt e Tiraboschii Storia di Nonantula II. 263 et Saviolii Annali Bolognesi I. 2, 217 et 220. Postremo codex membranaceus quondam Corbeiensis, hodie Monasteriensis notatus I. 132 *(de quo cf. supra p. 66) mihi suppeditavit et epistolam 222, et eas, quae ad Wibaldum quidem iam nihil attinent, sed cum de Corbeia agant appendicis loco assumendae videbantur, epistolas 472, 473, 474, 475.*

Proinde cum et multitudine epistolarum et ordine editio haec a priore differat editione, quo faciliorem lectori editionum ambarum comparationem redderem, et lemmatibus epistolarum numeros Martenianos adieci supra hoc pacto: (M. 1.) (M. 2.) *cet., et ea quae subsequitur tabula, quo quaeque epistola Marteniana numero a me notata esset, indicavi:*

Numeri		Numeri		Numeri		Numeri		Numeri	
Marteniani	nostri	Marteniani	nostri	Marteniani	nostri	Marteniani	nostri	Marteniani	nostri
1	11	13	34	25	46	37	51	49	64
2	12	14	35	26	47	38	52	50	65
3	14	15	36	27	62	39	53	51	66
4	15	16	37	28	44	40	57	52	76
5	16	17	38	29	45	41	58	53	77
6	20	18	24	30	41	42	59	54	42
7	22	19	29	31	48	43	60	55	43
8	21	20	33	32	54	44	61	56	68
9	23	21	39	33	55	45	50	57	69
10	26	22	40	34	31	46	146	58	70
11	27	23	30	35	32	47	67	59	71
12	28	24	25	36	56	48	63	60	72

Numeri		Numeri		Numeri		Numeri		Numeri	
Marte-niani	nostri	Marte-niani	nostri	Marte-niani	nostri	Marte-niani	nostri	Marte-niani	nostri
61	73	105	126	149	183	193	267	237	257
62	74	106	127	150	162	194	241	238	258
63	75	107	128	151	168	195	242	239	147
64	80	108	129	152	161	196	195	240	339
65	81	109	131	153	169	197	196	241	259
66	83	110	130	154	170	198	199	242	260
67	84	111	132	155	171	199	200	243	261
68	85	112	89	156	172	200	201	244	262
69	86	113	160	157	173	201	202	245	263
70	114	114	138	158	174	202	203	246	264
71	115	115	139	159	175	203	205	247	265
72	87	116	140	160	176	204	206	248	266
73	88	117	135	161	177	205	207	249	247
74	49	118	136	162	179	206	208	250	274
75	91	119	137	163	180	207	209	251	268
76	92	120	148	164	185	208	211	252	275
77	93	121	178	165	184	209	212	253	269
78	94	122	97	166	186	210	213	254	270
79	96	123	141	167	187	211	214	255	271
80	78	124	142	168	188	212	215	256	276
81	98	125	143	169	181	213	216	257	272
82	99	126	149	170	182	214	198	258	277
83	100	127	144	171	189	215	217	259	273
84	101	128	145	172	191	216	218	260	279
85	102	129	133	173	190	217	230	261	282
86	103	130	134	174	192	218	232	262	280
87	104	131	150	175	193	219	231	263	284
88	105	132	151	176	194	220	235	264	285
89	106	133	152	177	197	221	236	265	286
90	107	134	153	178	227	222	224	266	278
91	108	135	154	179	228	223	225	267	296
92	109	136	155	180	229	224	246	268	287
93	110	137	156	181	239	225	252	269	288
94	111	138	157	182	210	226	248	270	289
95	112	139	121	183	204	227	250	271	290
96	113	140	122	184	226	228	251	272	291
97	117	141	158	185	233	229	253	273	292
98	118	142	159	186	234	230	254	274	293
99	116	143	79	187	237	231	255	275	295
100	119	144	164	188	243	232	219	276	328
101	120	145	165	189	244	233	319	277	302
102	123	146	166	190	245	234	220	278	297
103	124	147	167	191	238	235	221	279	299
104	125	148	163	192	240	236	256	280	298

Numeri		Numeri		Numeri		Numeri		Numeri	
Marteniani	nostri	Marteniani	nostri	Marteniani	nostri	Marteniani	nostri	Marteniani	nostri
281	300	314	333	347	376	380	399	411	443
282	301	315	334	348	377	381	401	412	446
283	303	316	335	349	368	382	402	413	441
284	304	317	336	350	369	383	403	414	444
285	305	318	337	351	370	384	{404	415	445
286	306	319	338	352	373		408	416	450
287	307	320	343	353	383	385	407	417	447
288	308	321	325	354	387	386	409	418	448
289	309	322	345	355	378	387	410	419	{451
290	320	323	346	356	380	388	411		471
291	321	324	344	357	381	389	414	420	452
292	295	325	363	358	379	390	415	421	453
293	310	326	348	359	384	391	416	422	455
294	311	327	349	360	406	392	417	423	456
295	312	328	350	361	385	393	425	424	461
296	313	329	351	362	386	394	426	425	462
297	314	330	352	363	392	395	427	426	463
298	315	331	353	364	393	396	428	427	437
299	316	332	355	365	400	397	429	428	438
300	317	333	356	366	388	398	413	429	434
301	318	334	357	367	389	399	422	430	439
302	322	335	358	368	390	400	418	431	440
303	323	336	359	369	394	401	419	432	465
304	329	337	360	370	391	402	420	433	469
305	330	338	361	371	395	403	421	434	470
306	324	339	362	372	457	404	430	435	466
307	331	340	364	373	458	405	431	436	467
308	332	341	365	374	468	406	423	437	435
309	326	342	366	375	396	407	424	438	436
310	341	343	367	376	405	408	432	439	454
311	342	344	375	377	397	409	433	440	460
312	327	345	372	378	382	410	442	441	464
313	340	346	374	379	398				

INITIA EPISTOLARUM

HUIUS TOMI.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

CORRIGENDA.

p. 39 *in margine pro:* Nov. 11 *scribe:* Nov. 9.
p. 61 v. 14 *pro:* abbate set *scribe:* abbates et.
p. 95 n. a *pro:* Augeli *scribe:* Angeli.
p. 148 ep. 73 *pro:* Warmundus *scribe:* Wizelinus.
pro: W(armundus) *scribe:* W(izelinus).
p. 289 ep. 170 *in lemmate pro:* Heinrici *scribe:* Herimanni.

BEROLINI APUD WEIDMANNOS (K. REIMER).

TYPIS GUSTAVI SCHADE, BEROLINENSIS.